ELEMENTA
MEDICINAE PRACTICAE

TOMUS QUINTUS.

FRANCISCI BENE,
MED. DOCT. CONSILIARII REGII, PROFESSORIS P. O.
THERAPIAE SPECIALIS AC PRAXIS MEDICAE ET SENIORIS FACULTATIS
MEDICAE IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

ELEMENTA
MEDICINAE PRACTICAE

E

PRAELECTIONIBUS ILLIUS PUBLICIS EDITA

PER

FRANCISCUM BENE JUN.

MED. DOCT.

TOMUS QUINTUS

CONTINENS

DOCTRINAM DE NEVROSIBUS.

PESTINI 1834.
SUMPTIBUS CONR. ADOLPHI HARTLEBEN.

Typis Trattner-Károlyianis.

CONSPECTUS
CONTENTORUM TOMI QUINTI.

Classis sexta morborum.

Nevroses.

Pag.

De nevrosibus in genere 1

Ordo I.

Dolores.

1. Cephalalgia 19
2. Rhachialgia 29
3. Neuralgia 33
4. Odontalgia 43
5. Otalgia 54
6. Gastralgia et cardialgia 58
7. Enteralgia 66

Ordo II.

Spasmi.

De spasmis in genere 82
1. Trismus maxillae inferioris 91
2. Tetanus 96
3. Hydrophobia 103
4. Eclampsia infantum 135
5. Eclampsia gravidarum, parturientium et puerperarum . . 142
6. Epilepsia chronica 150
7. Catalepsis 170

Pag.
8. Chorea S. Viti 173
9. Convulsio et necrosis cerealis 181
10. Hypochondriasis 187
11. Hysteriasis 204
12. Tussis convulsiva 216
13. Asthma 225

Ordo III.

Debilitates.

1. Vertigo 245
2. Sopor 250
3. Apoplexia 251
4. Paralysis 267
5. Animi deliquia 277
6. Asphyxia 281
a) A. per submersionem 286
b) A. ab aëre mephitico 296
c) A. per strangulationem 302
d) A. per congelationem 304
e) A. a fulmine 307
f) A. neonatorum 310

Ordo IV.

Vesaniae.

De vesaniis in genere 313
1. Monomania 358
2. Mania universalis 367
3. Fatuitas 373

Index generalis 381

CLASSIS SEXTA MORBORUM.

NEVROSES.

§. 1.

Nevroses vocantur in genere illi morbi, quorum symptomata praecipua consistunt in perturbatis functionibus systematis nervosi, et quorum causa a mutatione abnormi partis cujusdam systematis nervosi dependent. In morbis quidem omnibus generandis magnum influxum exerit systema nervosum, utpote ad functiones organismi perficiendas necessarium ita, ut relate ad hoc momentum morbi plurimi ad nevroses referri possent; in sensu tamen strictiori desumitur differentia a symptomatibus eminentioribus; atque hoc obtutu distribuuntur nevroses in quatuor ordines, et quidem:

Primum ordinem constituunt dolores seu *algemata*, ad quos ut genera referuntur: 1mo cephalaea, 2do rhachialgia, 3tio nevralgia, 4to odontalgia, 5to otalgia, 6to gastralgia, 7mo enteralgia. Non pauci ordini huic adscribunt dolores calculosos, rheumaticos, et arthriticos, quorum naturam jam alibi examinavimus.

Secundum ordinem efficiunt morbi spasmodici, quorum genera sunt: 1mo trismus maxillae inferioris, 2do tetanus, 3tio eclampsia, 4to epilepsia, 5to chorea sti Viti, 6to convulsio cerealis, 7mo hydrophobia, 8vo hypochondriasis, 9no hysteriasis, 10mo asthma, 11mo tussis convulsiva. Aliqui huic ordini inscribunt vomitum, per nos ad profluvia relatum.

Tertium ordinem constituunt debilitates seu eclyses, quarum genera sunt: 1mo vertigo, 2do lethargus, 3tio apoplexia, 4to paralysis, 5to asphyxia.

Quartus ordo comprehendit in se vesanias.

Morbi hi diversi jam a medicis antiquissimis observati et descripti sunt ita, ut jam in operibus Hippocratis, Celsi, Galeni et Aretaei descriptiones plures eximias et principia therapeutica rationalia detegamus; doctrina tamen haec per conatus medicorum recentiorum plurimum illustrata est, inprimis postquam anatome et physiologia systematis nervosi universi, praecipue autem cerebri adeo exculta fuerunt.

Burdach, vom Baue und Leben des Gehirnes. Leipzig. 1819—1826.

Hartmann, der Geist des Menschen in seinen Verhältnissen zum physischen Leben. Wien. 1820.

M. v. Lenhossek, Darstellung des menschlichen Gemüths. Wien. 1824, 1825.

Alibert, Physiologie des passions. Paris. 1825.

Willis, Pathologiae cerebri et nervosi generis specimen, Oxonii. 1667.

H. Boerhave, Praelectiones academicae de morbis nervorum. Lugd. Batav. 1761.

De la Roche, analyse des fonctions du système nerveux, pour servir d' introduction à un éxamen pratique des maux des nerfs. Paris. 1778.

Pomme, traité des affections vaporeuses des deux sexes, ou maladies nerveuses. Paris. 1782.

Mitchel, Diss. de causis, indole, et therapia morborum nervosorum, qui in Belgio observantur. Lugd. Batav. 1783.

S. A. D. Tissot, Traité des nerfs et de leurs maladies. Lausanne. 1778, 1784.

— Abhandlung über die Nerven und deren Krankheiten. Leipzig. 1790, 1803.

F. A. Reuss, Versuch einer Einleitung in die allgemeine Pathologie der Nerven. Prag und Leipzig. 1788.

R. Whytt, Beobachtungen über die Krankheiten, die man gemeiniglich Nerven-Übel nennt. Leipzig. 1794.

Plouquet, Diss. de morbis neuricis. Tübingae. 1792.

Cullen, Klinische Vorlesungen über die Nervenkrankheiten, Leipzig. 1794.

A. Thomson, an enquiry into the nature, causes and method of cure of nervous disorders. London. 1795.

— Untersuchung der Natur, Ursachen und Heilmethode der Nerven-beschwerden. Hannover. 1798.

Autenrieth, Diss. de natura et medela morborum nevricorum generatim spectatis. Tübingae. 1806.

F. W. Hoven, Versuch über Nerven-Krankheiten. Nürnberg. 1813.

J. Frank, Praxeos medicae universae praecepta. Lipsiae. 1818. Pars II. vol. 1 et 2.

J. C. Prichard, a treatise on diseases of the nervous system. London. 1822.

§. 2.

Ut in casu singulo individuali diagnosim morbi exactam construere valeamus attente colligimus symptomata cuncta, quibus se neurosis manifestat, quae consistunt in functionibus systematis nevrosi, sensatione motu, et exercitio facultatum intellectualium vario modo a statu normali recedentibus. Saepe observamus sensationes abnormes, quia sensibilitas est morbose exaltata hyperaesthesia, vel morbose imminuta — dysaesthesia, vel nulla anaesthesia. Non raro sensibilitas est peculiari modo perversa, ut enascantur sensationes singulares, in cuti sensus formicationis, in auri tinnitus, in visu scintillae et s. p. Saepe evadunt motus abnormes, quia irritabilitas est morbose exaltata — hypererethisia, vel morbose imminuta — dyserethisia, vel nulla — anerethisia. Non raro sensibilitas et irritabilitas simul sunt morbose exaltatae — hypercinesia, vel sunt morbose imminutae aut nullae, dicitur torpor, stupor, paresis, paralysis. Saepe occurrunt perturbationes in exercitio functionum intellectualium; non raro observamus defectum facultatis repraesentandi, cogitandi, reminiscendi, judicandi, ratiocinandi, vocatur fatuitas, amentia,

mentis imbecillitas; subinde repraesentatio, judicium et ratiocinium exercentur quidem, sed perverse, omnia inter se confundendo, dicitur delirium; simul cum tali perturbatione mentis abnormis est status animi seu facultatis sensitivae; ideo nonnulli vesani sine omni ratione continuo sunt jucundi, rident, dicitur stultitia, moria; alii continuo sunt tristes, dicitur melancholia; saepe etiam voluntas aegri evadit abnormis ita, ut subinde sit summe indifferens, ac si nullam haberet voluntatem; saepe est voluntas nimia, non rationi, sed soli affectui obtemperans, et saepe tendens in destructionem aliorum vel suimet ipsius, dicitur mania, furor.

Praeter hos status diversos vitae animalis in singulo casu individuali adnotamus conditionem somni et vigiliae, et functionum omnium vitae organicae; nonnisi statu organismi totius rite examinato possumus formam externam nevrosis definire, ad cujus naturam cognoscendam conamur dein eruere causas, per quas functiones illae abnormes inducuntur, et sustentantur.

§. 3.

In omni nevrosi status dynamici mutatio per symptomata sese manifestans indicat jam mixturam seu compositionem chemicam, jam fabricam seu texturam anatomicam partis alicujus systematis nervosi a statu normali recedere. Cum in natura universa phaenomena determinantur per indolem diversam partium constitutivarum, ideo conati sunt medici, per chemiam organicam naturam tam vitae sanae quam morbosae illustrare; propterea institutae sunt analyses cerebri et aliarum partium systematis nervosi per Fourcroy, Vauquelin et Berzelius, qui docent, partes constitutivas systematis nervosi esse substantiam adiposam albam et rubram, quae vocatur osmazon, praeterea albumen, aquam, phosphorum, sulfur, phosphatem calcis, magnesiae et sodae continere; huc usque tamen per cognitionem chemicam nec functiones systematis nervosi, nec morbi alicujus nervosi naturam explicare valemus. Majorem utili-

tatem experta est medicina practica e disquisitionibus anatomico-pathologicis a Morgagni, Baillie, Portal, Gall, Cruveilhier, Abercrombie, e. s. p. institutis, per quas informamur, sedem causae nevrosis subinde esse in substantia medullari aut corticali, quae jam durior, jam mollior, jam colore diverso instructa, jam volumine aucto (hypertrophia nervosa) jam volumine imminuto (atrophia nervosa) detegitur; frequentius adhuc observantur mutationes morbosae in velamentis membranaceis, quae jam incrassata, jam attenuata, jam indurata et ossificata reperiuntur; non raro vasa, arteriae et venae per meninges distributa jam infarcta, obstructa, jam morbose dilatata, jam ossificata conspiciuntur. Subinde occurrunt in substantia medullari vel corticali vel inter meninges liquida effusa, serum, sanguis, pus, subinde tumores varii, ut cystides, fungus haematodes, subinde calculi vel vermes.

Quotiescunque in parte aliqua systematis nervosi detegitur mutatio abnormis, a qua phaenomena morbi derivari possunt, appellatur nevrosis cum materia; dum nullae tales mutationes morbosae in vivo cum probabilitate demonstrari, nec in cadavere detegi possunt, vocatur nevrosis sine materia, suntque tales nevroses multae, in quibus mutationes sunt subtiliores, dynamicae, sensibus vix perceptibiles; nec mutationes omnes in cadavere detectae semper causam, saepius tantum effectus nevrosis praegressae constituunt.

Saepe in parte nulla systematis nervosi residet causa nevrosis, sed potius in alia parte organismi jam solida jam fluida; non raro ossa systema nervosum cingentia, ut ossa cranii et spinae dorsi, dum impressa, fracta, luxata, inflammata, carie correpta, vel tumoribus morbosis obsita sunt, partim mechanice, partim chemice in systema nervosum agunt, dolores, spasmos, paralyses et vesanias provocant. Ita status abnormis organorum masticationis sub dentitione difficili, status abnormis organorum deglutitionis, digestionis, chylificationis, absorptionis, assimilatio-

nis, sanguificationis, circulationis, respirationis in febribus, inflammationibus c. s. p. nevroses diversas excitat, eo magis quod etiam status liquidorum redditur abnormis; nam per sanguinis et liquidorum secretorum quantitatem et crasim abnormem nevroses generari diversas observatio quotidiana docet. Ideo ad definiendam sedem causae nevrosis necesse est, in singulo casu individuali organismum totum exacte investigare, quo facto conamur etiam eruere momenta, per quae status ille dynamico-organicus abnormis causam nevrosis constituens producitur et sustentatur.

Excitantur nevroses saepe per violentiam externam jam mechanicam, jam chemicam parti cuidam corporis illatam; saepe observamus influxus noxios atmosphaerae, quae jam per temperaturam exaltatam, jam per eandem imminutam, inprimis per subitaneam temperaturae mutationem, non raro per humiditatem majorem, frequentius per vapores noxios, subinde per constitutionem atmosphaerae endemicam vel epidemicam nevroses diversas provocat. Saepe morbi nervosi exoriuntur per alimenta et potulenta quantitate peccantia vel qualitatibus noxiis praedita; sic per usum secalis cornuti majori quantitate cerealibus immixti convulsio cerealis, per spirituosa dosi magna hausta delirium tremens potatorum, fatuitas et aliae nevroses generantur. Non raro pharmaca inprimis efficacia majori praedita, ut sunt narcotica et narcotico-acria nevrosium diversarum fontem constituunt. Similem potentiam exerunt contagia; ipsae etiam nevroses subinde contagiosae sunt, uti hoc observamus de tussi convulsiva et de hydrophobia. Motus corporis violentus, subinde omnis neglectus, in casibus nonnullis provocant nevrosim; saepius eandem excitant animi affectus varii, subinde grati, ut gaudium vehemens et inopinatum, frequentius animi affectus ingrati, ut ira, tristitia, metus, terror, odium, superbia, invidia, avaritia, amor infelix c. s. p. Raro generatur nevrosis per intermissum exercitium facultatum intellectualium, subinde per adstrictionem earumdem excessivam, inprimis dum quies corpori nulla indulgetur, vel dum simul excessus alii in Baccho et Venere

committuntur. Non raro evolvuntur nevroses ex aliis morbis, ex febribus, inflammationibus topicis e. s. p. imo etiam nevroses subinde generant alias, ita apoplexia excitat paralysim, epilepsia vesaniam, et vicissim.

Causae enumeratae non producunt in omni homine eumdem effectum, sed determinatur is per dispositionem generalem et specialem, quae consistit quidem in statu dynamico organico peculiari partis alicujus systematis nervosi, nec tamen ejus criteria indicare valemus, sed tantum per observationem cognoscimus. Dispositio haec saepe congenita, et quidem a parente alterutro haereditate propagata est, quemadmodum hoc observatione probatur de vertigine, apoplexia, spasmis, hypochondriasi, hysteriasi, epilepsia et vesaniis; non raro parentibus sanis existentibus in utero matris evolvitur dispositio nervosa, forte quod sub ipso actu conceptionis in parente alterutro status ebrietatis vel animi affectus ingratus, ira, metus, terror locum habuerint; vel quod tempore graviditatis mater animi affectibus tristibus vel morbis gravibus exagitata fuerit. Subinde dispositio nervosa generatur sub ipso partu, dum partus est difficilis, diuturnus, vel manu rudiori peractus, ut per compressionem cranii vel spinae dorsi cerebro vel medullae spinali laesio inducatur. Partu absoluto provocatur diathesis nervosa subinde per refrigerium, dum caput neonati aqua frigida perfunditur, saepe per educationem physicam minus congruam, dum infanti denegatur cibus a natura destinatus, lac nempe maternum, in cujus vicem porrigitur lac nutricis saepe minus idoneae, morbis variis afflictae; vel denegato lacte omni humano exhibetur lac alterius animalis sine cautela necessaria; vel dum porriguntur cibi diversi viribus digerentibus infantis minime accomodi, dum ingeruntur potus spirituosi, pharmaca noxia, inprimis narcotica; dum impeditur motus necessarius, infans tener semper in cunis ligatus servatur, dum currere cupit ad sedendum cogitur; dum mundities necessaria negligitur, vestimenta haud mutantur, aëris corrupti depurationi nulla cura impenditur; dum educatio moralis infantis et pueri per-

versa est, dum mature animi affectus, nemini nisi suae voluntati obtemperandi, cupiditas omnia sibi appropriandi provocantur; dum infantes jam teneri irritantur, ut ira corripiantur; dum excitantur in illis studium vindictae, invidia, odium erga alios, studium vanitatis, se ornandi, non tantum vestimentis sed etiam stellis e charta confectis; dum phantasiae illorum replentur repraesentationibus diversis falsis, de spectris, diabolis, sagis e. s. p. dum instruuntur ad veritatem celandam, ad mendacia proferenda; dum praemature adstringuntur ad studia, quibus colendis cerebrum eorum minime aptum est. Propter influxus hos diversos aetate infantili ac puerili frequentes sunt nevroses, inprimis dolores, spasmi et convulsiones. Generatur dispositio etiam per evolutionem successivam corporis, ita aetate tenera per processum dentitionis producitur congestio sanguinis major in caput et inde convulsiones saepe terribiles; aetate adolescentiae et juvenili vita genitalium aucta, secretione nova locum habente per stimulum Veneris non tantum vox mutatur, sed totum systema nervosum mutationem experitur in animo quoque conspicuam; in sexu sequiori evigilat magis studium amoris, in sexu utroque excitatur phantasia, ideo animi affectus evadunt vehementiores, judicio minus maturo existente facile jugum rationis excutientes; aetate quidem virili cum organismo reliquo etiam systema nervosum gradum perfectionis maximum attingit, ideo morbis minus subjacet, animi tamen affectus vehementes saepe et virum exagitantes nevroses non raro provocant; senectute adveniente redduntur et animus et mens pacatiores, ideo nevroses sunt rariores, nisi antea evolutae fuerint, sed debilitates tam physicae, quam psychicae sunt aetati senili propriae.

Dispositione evoluta post influxum potentiarum nocentium provocatur in organismo mutatio, quae partem aliquam systematis nervosi ita afficit, ut a statu normali recedat, et sic phaenomena nevrosis compareant, quae ipsa quamcunque formam referat, varias subit mutationes, quae in singulo casu individuali distingui debent; et quidem rela-

te ad conditionem energiae vitalis distinguuntur nevroses energicae seu sthenicae seu inflammatoriae, et nevroses asthenicae, et quidem jam erethisticae jam torpidae: relate ad originem distinguuntur protopathicae seu primariae, et deuteropathicae seu secundariae, praeterea symptomaticae, sympathicae, idiopathicae et metastaticae; relate ad durationem acutae et chronicae; relate ad typum continuae, remittentes et intermittentes; relate ad complicationem simplices et complicatae; relate ad indolem peculiarem contagiosae et non contagiosae; quae momenta in singulo casu individuali conamur eruere, ut diagnosis nostra de nevrosi praesente sit adaequata, tunc enim etiam prognosim probabilem pronunciare valebimus.

J. Abercrombie, pathological and practical researches on diseases of the brain and the spinal chord. Edinburgh. 1829.

— Pathologische und praktische Untersuchungen über die Krankheiten des Gehirns und des Rückenmarkes. Bremen. 1829.

§. 4.

Cautela in prognosi morborum pronuncianda semper necessaria major observari debet in nevrosibus; non raro eae sub exordio primo apparent minimis periculis stipatae, ut hydrophobia incipiens, et tamen morte terribili citissime terminantur; non raro evolvuntur symptomata gravissima, metum mortis instantis annunciantia, ut in hypochondriacis et hystericis, et post paucas horas nulla symptomata morbi conspiciuntur. Ideo ne errorem committamus, naturam nevrosis in casu singulo individuali exacte definire debemus. Non raro nevroses gravioribus etiam symptomatibus stipatae per solam autocratiam naturae, saepius therapia simul rationali concurrente in sanitatem deducuntur, et quidem ita, ut saepe in organismo nulla sit conspicua mutatio crisis nomine insignita; saepius tamen crises tales observamus, ut evacuationes per sudorem, urinam, alvum, sputa, subinde per lacrymas, per vomitum, per haemorrhagias, inprimis per epistaxes, haemorrhoides, catamenia, subinde per furunculos aut efflorescentias cutis

varias. Subinde nevrosi disparente comparent morbi alii, ut febris intermittens, vel febris continua acuta, quibus devictis disparet etiam nevrosis. Non raro accidit, ut morbis aliis evolutis nevrosis cesset, quin sanitas restituatur, imo morbus in organismo destructionem talem inducit, ut febri hectica, phthisi vel hydrope comparentibus aeger enecetur. Non raro ipsa nevrosis, ut apoplexia, asphyxia, asthma, epilepsia, tetanus, tussis convulsiva morte terminatur, quam etiamsi effugit aeger per nevrosim affligitur serie multorum annorum; ideo nevroses relate ad influxum, quem exerunt in organismum, merito referuntur ad morbos periculosissimos; saepe tamen cedunt therapiae rationali.

§. 5.

Cura nevrosis in genere triplex institui potest, prophylactica, palliativa et radicalis. Ubicunque fieri potest prophylaxis, morbi evolutionem impediens, utilissima est, perficimusque eam vel evitando causas excitantes morbi, quod tamen raro ad scopum desideratum deducit, cum causae nevrosium, quibus homo expositus est, valde multiplices sunt; ideo saepius amplectimur aliam curam, qua conamur dispositionem in nevrosim delere. Dispositio talis saepe a parentibus haereditate propagatur in soboles, ideo consulimus, ne homines nevrosi haereditate propaganda afflicti prolibus generandis incumbant; ideo epilepticis et vesanis matrimonia dissuademus; illos autem qui a matrimonio detineri haud possunt, admonemus, ut conjugem sanam eligant, ut sic forte per influxum ejus impediatur dispositio nervosa in sobole. Saepe provocatur talis dispositio aetate tenera per educationem physicam et moralem minus congruam; atque tunc parentes attentos reddimus ad momenta cuncta dispositioni evolvendae faventia sollicite evitanda, et ad remedia prophylactica ratione et experientia probata adhibenda. In genere quidem remedium nullum possidemus, quo nevrosis omnis evolutio impediri possit, sed in specie nevrosium nonnullarum jam instantium, ut apo-

plexiae, hydrophobiae eruptionem non raro per curam rationalem prophylacticam arcemus. In genere autem, qualiscunque sit nevrosis, inprimis dum ea jam saepius aegrum invasit, per observationem cognoscimus potentias nocentes, per quarum influxum nevrosis illa provocatur; atque tunc aegrum attentum reddimus ad evitationem scrupulosam causarum illarum. Saepe investigatio exacta nos informat ante evolutionem nevrosis, energiam vitae in toto organismo characterem dynamicum abnormem exhibere, jam morbose exaltatum, inflammatorium, jam asthenicum, atque non raro per methodum jam anti-phlogisticam, jam roborantem casui *individuali* adaequatam eruptionem nevrosis praevertimus.

Saepe cogimur, tantum curam palliativam nevrosis adhibere; nam saepe non observamus aegrum sub prodromis morbi, dum adhuc cura prophylactica adhiberi posset, sed tunc dum jam symptomata gravissima evoluta sunt. Subinde statim primo obtutu cognoscimus et formam, et naturam nevrosis ita, ut statim therapiam radicalem adhibere valeamus. Sed saepe nec aeger, nec ejus curam gerentes, per symptomata gravia attoniti, historiam morbi referre valent, nec aegrum nec adjuncta, quibus expositus fuit, noscimus; in tali statu curam tantum palliativam instituimus, causas nocentes, quas observamus praesentes, ne morbi symptomata augeant, removemus; sic saepe vestimenta aegri, partem aliquam corporis arctius stringentia, solvimus, odoramenta gravia multis aegris nervosis noxia, strepitum magnum, ut clamores arcemus, aegrum in situm debitum jam horizontalem, jam sedentem collocamus; interim conamur per observationem in aegrum et ejus adjuncta directam, et ex narratione morbi quamcunque imperfecta nobis ideam morbi efformare, et in multis casibus possumus statim definire characterem morbi dynamicum vel energicum, vel asthenicum, et ideo statim methodum jam anti-phlogisticam, jam stimulantem applicamus, sed cum cautela summa, ne per therapiam inconsulte adhibitam aegrum in periculum majus conjiciamus; ideo saepe tantum medicinam

indifferentem ordinamus, donec naturam morbi exactius cognovimus; nam ipsa cura palliativa seu symptomatica secundum eadem principia institui debet, quae observamus in cura radicali.

§. 6.

Cura rationalis et radicalis nevrosis omnis inchoanda est conatu removendi causas excitantes omnes forte adhuc praesentes; ideo dum nevrosis excitatur per aërem quoquomodo corruptum influxui ejus aegrum subtrahimus; dum nevrosis provocatur per vulnera, fracturas, luxationes, prolapsus, hernias, corpora peregrina parti cuidam corporis intrusa, tunc ad curam perficiendam auxilia chirurgica adhiberi debent; dum nevrosis provocatur per saburram in ventriculo vel tubo intestinali haerentem, tunc jam emetica, jam purgantia, jam anthelminthica sunt necessaria; dum nevrosis generatur et sustentatur per infarctus abdominales, scrofulas, syphilidem, vel alios morbos, tunc iis removendis curam impendimus; ita non raro nevrosis est symptoma febris intermittentis, tunc sanatur usu congruo praeparatorum corticis cinchonae; subinde exoriuntur nevroses propter retentionem profluvii cujusdam habitualis, vel propter statum morbosum alium inprimis cutis evanidum, tunc revocatio eorum indicata est.

Sed saepe causae excitantes amplius praesentes non sunt, ut admissum refrigerium vel animi pathema praegressum; saepe causae nevrosim sustentantes in organismo, ut dentitio difficilis apud infantes, graviditas apud mulieres cito removeri non possunt; in tali casu desumimus indicationem curae a statu dynamico organico systematis nervosi et totius organismi, quem cum probabilitate aliqua definimus ex combinatione symptomatum omnium successive evolutorum, reflectendo simul ad influxum potentiarum nocentium, quibus aeger expositus erat, et reflectendo ad effectus medicaminum adhibitorum; tunc saepe detegimus, nevrosim habere characterem dynamicum energicum, ita, ut per congestionem sanguinis energicam, saepe per pro-

cessum inflammatorium, in parte aliqua corporis evolutum symptomata nervosa producantur et sustententur; in tali casu ad curam nevrosis radicalem perficiendam methodus anti-phlogistica est necessaria, et non raro statim sanguinis evacuatio, jam universalis per phlebotomiam, rarissime per arteriotomiam, saepius sanguinis evacuatio topica per hirudines, scarificationem ope lanceolae, aut per cucurbitulas cruentas suscipi debet; et multae nevroses acutae periculis magnis stipatae, ut apoplexia, asphyxia, eclampsia, tetanus per sanguinis evacuationem justa quantitate institutam felicissime et citissime sanantur. Nec tamen in nevrosi omni ad energiam vitae morbose exaltatam deprimendam sufficiens aut necessaria est sanguinis evacuatio, saepe simul alia etiam auxilia adhiberi debent, quae non raro sola ad scopum deducunt, talia sunt:

Vitae regimen anti-phlogisticum strictum, quies animi et corporis summa, remotio stimulorum irritantium, victus tenuis et parcus, pro potu aqua simplex, vel emulsiones tenues, vel decocta emollientia cum oxymelle simplici, vel succo citri, vel syrupo berberum, ribesiorum, rubi idaei, vel aceto bono; sales medii anti-phlogistici, ut nitrum, cremor tartari, arcanum duplicatum, tartarus tartarisatus, sal amarus, sal mirabilis Glauberi, qui dosi etiam majori exhibiti, ut purgantes partim saburram evacuando, partim virtute sua antagonistica, ut multis observationibus docet Hamilton, nevroses diversas sanant; inprimis laudatur hoc scopo calomela. Diathesi inflammatoria haud praesente ob virtutem antagonisticam proficua sunt etiam emetica et purgantia drastica.

Subinde remedia huc usque laudata nevrosim tollere non valent, energia morbose exaltata perdurat, se manifestans per calorem cutis siccum, saepe recurrentem, per rubores fugaces, cordis palpitationes, pulsum arteriarum frequentiorem, inquietudinem majorem, capitis dolores per vices revertentes, quae symptomata nec per sanguinis evacuationem, nec per pharmaca purgantia abiguntur, sed saepe cedunt applicationi frigoris; et quidem subinde jam

sufficit aër frigidus, saeplus recurrimus ad aquam frigidam, qua caput fomentamus, vel corpus abluimus, vel perfundimus; initio aquam per cribrum pluviae instar applicamus, dein rivo crassiori ex aliqua altitudine effundimus, saepe etiam balneum frigidum adhibemus; non raro usum internum aquae frigidae commendamus, ut aeger initio uno poculo, dein successive pluribus, decem usque viginti per nycthemerum aquam frigidam hauriat; testantibus observatoribus eximiis, ut Hahn, Oertel, Brandis, Hufeland, nevroses multae pharmacis aliis rebelles per solum usum aquae frigidae internum et externum feliciter sanantur.

J. S. Hahn, Unterricht von der wunderbaren Heilkraft des frischen Wassers, nach den allerneuesten Erfahrungen in der Wasserheilkunde, verbessert und vermehrt von Oertel. Ilmenau. 1833.

J. D. Brandis, Erfahrungen über die Anwendung der Kälte in Krankheiten. Berlin. 1833.

§. 7.

Saepe status dynamico-organicus nevrosim sustentans est asthenicus, tunc per therapiam prius laudatam symptomata potius exasperantur; debilitas impugnari debet pharmacis variis, prout modificatio debilitatis varia est. Subinde debilitas vera conjuncta est cum torpore, cum statu ad paralysim accedente, et tunc stimulantia tantum fortiora, ut radix et flores arnicae, praeparata ammoniae, liquores aetherei, olea destillata aetherea, et phosphorus utilitatem praestant. Longe frequentius sustentatur nevrosis asthenica per debilitatem cum irritabilitate et sensibilitate morbose exaltata, quae vocatur debilitas erethistica, a Richter debilitas spasmodica, contra quam pharmaca diversissima sub nomine nervinorum, cardiacorum, anti-spasmodicorum et narcoticorum commendantur, e quibus in singulo casu individuali maxime congruum seligere arduum est.

Non raro debilitas erethistica et nevrosis ab eadem pendens sustentatur inprimis per irritabilitatem morbose exaltatam cordis et arteriarum, quae determinatur per statum peculiarem dynamico-organicum systematis nevrosi vitae organicae seu systematis gangliosi, et sanguinis ipsius, et quem cognoscimus e calore fugaci, rubore cutis majore transitorio, pulsu frequenti et duriusculo, cordis palpitatione, pectoris anxietate, et ex observatione illa, quod post applicationem stimulorum aliquantum majorum statim orgasmus sanguinis major provocetur. In tali casu optima anti-nervina sunt, quae irritabilitatem morbose exaltatam imminuere valent: acida, et quidem saepe sufficiunt vegetabilia, ut acetum, succus citri, succus pomi aurantii, acidum tartari; saepe tamen requiruntur acida mineralia, et quidem frequentissime adhibemus acidum vitrioli dilutum et liquorem acidum Halleri. Saepe salutaris est usus acidularum initio mitiorum alcalinarum, dein vero debilitate *vera majori praesente martialium*. Mitioribus his haud e voto adhibitis recurrimus ad pharmaca efficaciora, ut digitalem purpuream, aquam laurocerasi, acidum hydrocyanicum. Subinde ipsam debilitatem nervosam efficacissime sanamus per lotiones frigidas, aut per balneum frigidum. Saepe causa debilitatis nervosae asthenicae per nevroses diversas se manifestans sustentatur per statum dynamico-organicum peculiarem ipsius pulpae nerveae, qui se manifestat per sensibilitatem morbose exaltatam, tunc maxime indicata sunt narcotica, saepe blandissima, ut flores papaveris rhoeados, stipites dulcamarae, succus inspissatus lactucae sativae et sylvestris, saepe fortiora necessaria sunt, ut extractum hyoscyami, cicutae, belladonnae, stramonei, vel opium, quod virtute narcotica in gradu eminentiori praeditum contra nevroses plurimas efficaciam exerit summam; sed meminisse oportet, narcotica omnia, in specie opium, nisi per naturam individualem morbi indicata, et dosi justa adhibita fuerint, plus damni adferant. Nec sunt semper necessaria, et utilia remedia nervina nunc memorata, saepe alia utilitatem majorem praestant. Non raro status *dynami-*

co-organicus abnormis partis cujusdam systematis nevrosi sustentatur per debilitatem organorum digestionis et chylificationis, quod functiones illae vitae organicae minus perfectae locum habent; tunc cura dirigenda est praecipue in tubum alimentarem; saburra forte praesens evacuari, infarctus abdominalis solvi, dein debilitas residua per remedia amara, ut herbam centaurei minoris, cardui benedicti, trifolii fibrini, absinthii, radicem gentianae, rasuram ligni quassiae, extractum fellis tauri, tolli debet. Debilitate per organismum latius extensa effectum meliorem praestant amaro-aromatica, ut flores chamomillae vulgaris, romanae, tiliae, lavendulae, herba anthos, melissae, menthae crispae et piperitae, folia aurantiorum, radix acori, levistici, imperatoriae, valerianae sylvestris, cortex cassiae lignene vel cinnamomi; dum debilitas connexa est cum laxitate majori, qualis se manifestat per habitum corporis pallidum et languidum, tunc magis indicata sunt roborantia tonica, adstringentia, ut alumen, cortex quercus, inprimis autem praeparata corticis cinchonae et martialia. Dum gradus debilitatis major torpore juncta est, tunc utilissime adhibentur liquores aetherei, ut spiritus nitri dulcis, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, spiritus salis dulcis, aether aceti, aether vitrioli; subinde in auxilium vocamus etiam olea destillata aetherea, ut chamomillae, aurantiorum, lavendulae, menthae crispae, piperitae, oleum aethereum animale Dippelii, tincturas diversas, ut corticum aurantiorum, chamomillae, valerianae sylvestris, castorei, asae foetidae; non raro adhibemus camphoram, moschum, praeparata ammoniae, inprimis spiritum cornu cervi simplicem et succinatum; saepe effectum maxime salutarem exerit vinum bonum antiquum.

§. 8.

Non raro nevrosis charactere licet asthenico praedita pharmacis hucusque laudatis resistit, cedit remediis non raro antagonisticis, ut emeticis dosi saepe tantum minori, subinde majori exhibitis, purgantibus non tantum mitiori-

bus sed etiam drasticis, pharmacis alterantibus dictis, uti sunt gummi-resinae, inprimis asae foetidae, praeparata complura metallorum, inprimis flores zinci, magisterium Wismuthi, cupram ammoniacale, nitras argenti fusus e. s. p. quae actione sua in organismo statum dynamico-organicum nevrosim sustentantem saepe cito, saepe tantum lente immutare valent.

§. 9.

Remedia interna saepe parum praestant, aegri ea sumere recusant, vel sumere non valent; tunc remedia externa sunt necessaria, quae virtutem internorum adjuvant, subinde superant, imo non raro sola curam omnem perficiunt; ita adhibemus saepe clysmata non tantum emollientia et purgantia, sed etiam virtute nervina, anodyna vel antispasmodica praedita, quibus addimus jam asam foetidam, jam camphoram, jam spiritum cornu cervi, jam opium. Subinde contra nevroses mulierum utilia sunt pessaria jam per Hippocratem laudata; frequentius recurrimus ad diversa collutoria oris, subinde ad sialagoga, errhina, injectiones; saepe scopum attingimus per irritamenta varia sensuum externorum, per imagines pulchras, radios lucis, per sonum fortiorem, amoenum, musicam et cantum, per odoramenta varia, per sapores jam gratos, jam acres; inprimis agimus in organon tactus latissime extensum, saepe frictio sola, inprimis manu molli hominis sani instituta nevrosim sanat; saepe requiritur frictio rudior panno aspero vel setaceo instituenda; saepe utiles sunt lotiones, linimenta, unguenta varia stimulantia; saepius virtutem maximam exerunt balnea diversa tam naturalia, quam artificialia; saepe curam nevrosium perficimus usu balnei tepidi ex aqua simplici parati, saepe illud efficacius redditur per decoctum herbarum emollientium, furfurum, vel herbarum aromaticarum, vel roborantium adstringentium, vel vinum, vel hepar sulfuris, vel salem communem, salem maritimum, vel alcali vegetabile vel minerale, vel lapidem causticum, vel alumen, vel globulos martiales, vel partes

animalium, nidum formicarum e. s. p. Subinde irritatio cutis major per epispastica, sinapismos, vesicantia, corticem mezerei, emplastrum vel unguentum antimoniale, fonticulos, moxam, vel ferrum candens necessaria est.

Ad remedia externa, quorum ope nevroses diversae non raro felicius quam pharmacis sanantur, pertinent electricitas, galvanismus, perkinismus, magnes mineralis et magnetismus animalis.

T. Cavallo, an essay on theory and practice of medical Electricity. London. 1780.

— Vollständige Abhandlung der theoretischen und praktischen Lehre von der Electricität. Leipzig. 1797.

Struve, System der medizinischen Electricitäts-Lehre. Breslau und Leipzig. 1802.

C. G. Kühn's, neue Erfahrungen über die Wirkungen der Electricität auf den kranken Organismus. Leipzig. 1805.

Andry und Thouret, Beobachtungen und Untersuchungen über den Gebrauch des Magnets in der Arzneikunst. Leipzig. 1785.

C. A. Becker, der mineralische Magnetismus und seine Anwendung in der Heilkunst. Mühlhausen. 1829.

Herholdt und Raffen, von dem Perkinismus, oder den Metall-nadeln des Perkins in Nord Amerika, a. d. Dänischen von Tode. Koppenhagen 1798.

B. D. Perkins, the efficacy of Perkins metallic tractors. London. 1800.

Bischoff, de usu galvanismi in arte medica. Jenae. 1801.

Grappengiesser, Versuch den Galvanismus zur Heilung einiger Krankheiten anzuwenden. Berlin. 1801.

Augustin, Versuch einer vollständigen Geschichte der galvanischen Electricität. Berlin. 1803.

E. Andrieux, Mémoire sur l' application méthodique du galvanisme au traitement des maladies. Paris. 1824.

§. 10.

Praeter remedia enumerata partem principalem curae nevrosium constituit vitae regimen statui individuali aegri accomodatum; non raro error parvus in vitae regimine commissus emendationem per therapiam rationalem longiori tempore continuatam iterum destruit, ideo aegrum nevrosi affectum semper attentum reddere debemus ad omnia momenta hygieae exacte observanda, quam diu vigilare, quam diu dormire et quando debeat, quales motus corporis, quales labores mentis suscipere possit, quales animi affectus vitare, quibus alimentis et potulentis, qua dosi et quoties uti, qualem attentionem in temperaturam externam, vestimenta et aëris puritatem impendere debeat. Non raro nevroses pharmacis diu rebelles sanantur solo vitae regimine, jam solo victu vegetabili, jam solo animali, vel solo lacteo, subinde usu aquae, subinde usu spirituosorum, saepe peregrinatione, quae non tantum salutaris est per aëris mutationem, sed per influxum aliorum etiam objectorum in itinere occurrentium; ita a nevrosi sua liberatur aeger, dum e regione plana suscipit iter ad regiones montosas, vel ex continente proficiscitur per mare, vel si iter instituit ad loca de curis peractis celebrata.

Principia therapeutica nunc indicata observamus in curanda nevrosi omni, sed pro diversitate naturae necessariae sunt modificationes etiam in therapia, ideo interest praecipuarum nevrosium naturam in specie investigare.

DOLORES seu ALGEMATA.

CEPHALALGIA.

§. 11.

Dolor capitis frequentius morborum aliorum symptoma jam prodromum, jam constitutivum, non raro constituit

morbum principalem, et graviter affligit; subinde tantum brevi tempore per horas paucas vel dies paucos aegrum torquet, et tunc vocatur sensu strictiori cephalalgia; saepe longo tempore vexat aegrum, per vices remittit, intermittit et iterum revertitur febrilis vel apyretus, et tunc vocatur cephalaea. Variat dolor relate ad extensionem, subinde enim caput universum occupat, saepe tantum partem ejus unam infestat, inde distinguitur cephalalgia frontalis, temporalis, occipitalis, verticalis; non raro extenditur dolor per totam dimidiam partem capitis, medietate altera sana persistente, vocatur hemicrania. Subinde limitatus est dolor ad partem minorem, ad punctum unicum capitis, tunc appellatur clavus, extensione aliquantum majori concessa dicitur ovum. Differt dolor capitis relate ad qualitatem sensationis quam excitat, subinde est ardens, ac si carbo candens caput contingeret, subinde est frigidus, qualis sensatio producitur per contactum glaciei, subinde est dolor pungens, scindens, terebrans, pulsatorius, constringens, dislacerans, dilatans, subinde gravativus, ac si pondus grave capiti impositum esset, dicitur carebaria.

F. Hoffmann, Diss. de dolore cephalico. Halae. 1731.

Stahl, Diss. tradens cephalalgiae therapiam. Erfurti. 1732.

Ponty, Diss. de hemicrania. Halae. 1738.

Juncker et Oppermann, Diss. de hemicrania horologica. Halae. 1747.

J. G. Brendel, Diss. de dolore capitis. Göttingae. 1747.

C. H. Schobelt, tractatus de hemicrania. Berolini. 1776.

E. A. Nicolai, Diss. de diversis doloris capitis speciebus. Halae. 1763.

— Diss. sistens historiam hemicraniae. Jenae. 1785.

E. A. Nicolai, Diss. sistens hemicraniae aetiologiam. Jenae. 1785.

— Diss. sistens hemicraniae therapiam, Jenae. 1787.

Plouquet, cephalalgia methodo naturae accomodata. Tübingae. 1787.

S. G. Vogel, kleine Schriften, Bd. I. vom Kopf und Zahnweh. Berlin. 1811.

§. 12.

Dolores caput infestantes saepe sunt tantum mitiores, et tunc praeter sensationem doloris subjectivam vix observantur alia symptomata in organismo, estque tunc diagnosis morbi subinde difficilis, nam aegri nonnulli minus sinceri dolores, quibus carent, simulant, vel dolores parvos multum exaltant; tunc aegrum diverso tempore et inopinate observamus, ne in diagnosi erremus. Reperiuntur subinde homines minus sensibiles, temperamento torpido praediti, qui nec dolores majores praesentes accusant; in genere tamen dum dolores capitis intensi aegrum excruciant, tunc praeter sensationem illam ingratam aegro soli perceptibilem comparent etiam alia symptomata, quae observator omnis detegere potest. Plurimi aegri dolore capitis intenso correpti tranquillitatem suam consuetam perdunt, redduntur inquieti, alii ejulant, vociferantur, alii flent, plurimi somno privantur, rarius tantum dolore aliquantum remittente exhausti in somnum incidunt profundum, somniis turbatum, vix refocillantem; nonnulli sub dolore intensissimo delirant, et secus mites, mansueti evadunt furiosi; sub dolore intenso caput calet, facies est turgida et rubicunda; subinde rubor et turgor tantum ad partem unam capitis restringitur; non raro tunc arteriae temporales et carotides vehementius pulsant ita, ut motus pulsatorius etiam visui pateat; symptomata tamen haec non sunt constantia, imo observamus sub capitis dolore intensissimo subinde faciem esse pallidam, calorem animalem in toto corpore ita imminutum, ut extremitates frigeant, et sudor frigidus in fronte et collo erumpat. Saepe sub cephalalgia vehementiori oculi erga lucem ita sunt sensibiles, ut aeger cogatur palpebras claudere; subinde visus est obfuscatus, vel duplicatus, vel ita abnormis, ut aeger scintillas vel nebulas in oculo praesentes accuset. Subinde auditus est valde sensibilis ita, ut strepitus etiam minor provocet contremiscen-

tiam totius corporis, et dolorem capitis reddat intensiorem; ita occurrunt mutationes in olfactu, gustu et tactu; nares subinde sunt valde sensiles, sternutationem frequentem excitantes, non raro sunt obstructi, unde olfactus evadit obtusus; saepe sapor oris est alienatus, os observatur siccum, sitis nimia, appetitus cibi omnis deletus, nausea, vomituritio, non raro vomitus per solam cephalalgiam provocatur. Sub dolore capitis intenso alteratur etiam motus cordis et sanguinis circulatio; saepe evadit pulsus frequentior, saepe irregularis, intermittens, jam celerior, jam tardior jam major, jam minor; excretiones alvi et urinae imminuuntur, subinde involuntarie secedunt.

§. 13.

Ex symptomatibus quidem omnibus attenta mente collectis cephalaeam praesentem cum probabilitate magna cognoscere possumus, naturam tamen ejus haud determinabimus, nisi causae exquisitae fuerint. Aliqui homines habent dispositionem peculiarem in cephalaeas per influxus etiam leviores provocandas, quae dispositio fundata est in peculiari statu dynamico-organico diversarum partium capitis; sedes enim doloris distinguitur diversa, jam occupat integumenta communia cranii, jam extenditur per galeam aponeuroticam, jam divexat pericranium, ossa cranii, vel meninges, vel ipsam substantiam cerebri, estque dispositio talis per organisationem determinata non raro congenita, aut per haereditatem propagata, aut per influxus diversos in utero evoluta, aut post nativitatem per influxus potentiarum nocentium provocata.

Potentiae nocentes cephalaeam excitare valentes diversae adnotantur ab observatoribus; saepe post influxum potentiarum mechanicarum, ut contusiones, vulnera capiti illata, non raro cum impressione, fissura vel fractura ossium cranii conjunctarum dolores se manifestant; subinde sine laesionibus mechanicis per morbos diversos, ut syphilidem, rhachitidem, arthritidem efformantur in ossibus cranii tumores, ulcera, caries, quae vitia organica cephalaeam

provocantia vivente aegro tantum cum aliqua probabilitate determinata in cadavere deteguntur; subinde membranae cerebrum cingentes sunt abnormes, incrassatae, ossificatae, vasa, arteriae, sinus morbose dilatantur, ossificantur; non raro reperiuntur in substantia cerebri indurationes calculosae, cystides, hydatides, tubercula, tumor scirrhosus, imo carcinomaticus, extravasata varia, serum, sanguis, pus. Saepe tamen nullae violentiae locum habuerunt, nec ex symptomatibus ad vitium organicum praesens concludere valemus, sed excitantur dolores capitis per causas alias, et quidem subinde per situm tantum declivem capitis, per constrictionem partis alicujus corporis imprimis colli majorem, circulationem sanguinis impedientem, per motum corporis vehementiorem, per vocis, subinde mentis intensionem majorem, frequentius per potus spirituosos excessive sumtos, subinde per venena narcotica, inprimis opium, per flores et plantas graveolentes, inprimis noctu in cubili eodem conservatos, per fumum carbonum, vaporem musti fermentantis, subinde per calorem intensiorem, ut radios solis fervidos, quae causae cunctae in eo conveniunt, quod congestionem sanguinis majorem in encephalon producant. Subinde quantitas sanguinis ad statum normalem encephali necessaria per profluvia, ut haemorrhagias, diarrhoeas, gonorrhoeam imminuta provocat cephalaeas. Saepe excitatur cephalaea sympathice per statum abnormem aliarum partium, ita per ophthalmitidem, otitidem, per corpora peregrina in meatum auditorium externum penetrantia, per coryzam, per odontalgiam, per ventriculum vacuum, saepius per eundem nimis repletum, per statum immutatum viscerum inprimis uteri; ideo non raro tempore fluxus catamenialis, magis tempore graviditatis cephalaeis divexantur mulieres. Exoritur hic dolor subinde antagonistice, metastatice, dum profluvia habitualia supprimuntur, vel morbi alii ut rheumatismus, arthritis, efflorescentiae cutis, antequam decursum suum absolverunt, e partibus externis disparent. Saepe cephalaea constituit tantum symptoma aliorum morborum, ut febrium diversarum, haemorrhoidum, scrofularum, in-

farctuum abdominalium, arthritidis vagae, hysteriasis, hypochondriasis, syphilidis etc. unde apparet, naturam individualem cephalaeae esse diversam, utque eam detegere valeamus organismi totius investigationem esse necessariam, nec nisi diagnosi exacta formata poterimus prognosim probabilem pronunciare.

§. 14.

Non raro cephalalgia constitnit morbum tantum leviorem transitorium, sed saepe est molestus intensitate et diuturnitate sua; tunc non tantum cerebrum ad functiones intellectuales perficiendas minus aptum redditur, sed etiam functiones vitae organicae vario modo perturbantur, somno haud concesso mox etiam appetitus cibi imminuitur, et processus reproductionis omnis languidior et imperfectior evadit; ideo saepe post cephalaeam chronicam inducitur habitus cachecticus, transiens in tabem et hydropem; non raro post cephalaeam evolvuntur perturbationes mentis, convulsiones, paralyses, apoplexia, nisi mature therapia rationalis adhibita fuerit.

§. 15.

Remedium quidem specificum, ut olim putabatur, contra cephalaeas omnes proficuum haud possidemus, sed sicut natura individualis doloris capitis est diversa, ita per ingenium medici pro singulo casu therapia individualis construenda est. Cura prima impendi debet removendis causis excitantibus et effectibus earum in organismo; ita post contusiones ac vulnera capitis exoritur cephalaea traumatica ab incipiente processu inflammatorio, quem saepe statim tollimus applicando fomenta frigida vel Smuckeri vel solam aquam frigidam. Subinde tamen haec fomenta non sufficiunt, perdurant tumor et dolor utplurimum obtusus cum stupore, tunc necessaria est investigatio exacta laesionis mechanicae; saepe sufficit integumenta communia incidisse usque in pericranium, ut sanguis forte extravasatus intra integumenta communia et galeam aponeuroticam haerens

evacuetur. Dum detegitur laesio ipsorum ossium cranii, fissura, fractura vel depressio, tunc cum probabilitate supponi potest extravasatum in ipso cranio, ideo tunc trepanatio necessaria est. Dum cephalaea excitatur sympathice per statum morbosum partis alterius, oculorum, aurium, narium, cavi oris, dentium, tunc cura status morbosi partis affectae suscipienda est. Contra cephalaeam provocatam et sustentatam per ventriculum vacuum medicina optima est cibus bonus facilis digestionis dosi moderata sumtus, et potus vini boni; dum autem dolor excitatur per cibos majori quantitate ingestos, non raro abstinentia, jejunium, et potus aquae simplicis curam perficiunt; non raro cephalaea post ingurgitationem spirituosorum residua tollitur potu jusculi acidi cum aceto, vel succi caulium acetatarum, efficacius perfusione capitis aqua frigida; si saburra in ventriculo vel tubo intestinali haerens cephalaeam excitans sponte evacuationem provocet, tunc medicina evacuans exhiberi haud debet, et minime emeticum, observatio enim tristis docuit, subinde per pharmacum emeticum gastritides letales provocatas fuisse; sufficit in tali casu potu tepido evacuationem spontaneam adjuvare. Dum evacuatio sponte haud contingit, signis inflammationis nullis praesentibus, tunc exhibemus vel emeticum, vel purgans, et evacuatione larga subsecuta citissime dissipantur dolores omnes. Si cephalaea fuerit symptoma morbi alterius, ut febris, haemorrhoidum, scrofularum, syphilidis, arthritidis, e. s. p. tunc contra hos morbos protopathicos curam dirigimus; ita contra cephalaeam periodicam, sub paraxysmo febris intermittentis saepe valde intensam, praeparata corticis cinchonae, contra cephalaeam a syphilide inductam hydrargyrum, et sic porro adhibemus.

§. 16.

Sed saepe causae excitantes cephalaeae jam remotae sunt, subinde removeri statim non possunt, ut vitium organicum in cavo cranii vel in alia aliqua parte organismi haerens, tunc desumimus indicationem curae a charactere

dynamico-organico morbi. Saepe sustentatur dolor per congestionem sanguinis majorem in encephalon, atque tunc curam perficimus ope sanguinis evacuationis; et quidem saepe topice per hirudines aut cucurbitulas cruentas, quas applicamus retro aures, ad nucham, raro ad regiones temporales, subinde ad regionem sacro-coccygeam, perinaeam, superficiem internam femorum, dum nempe cephalaea inducta fuit per suppressionem catameniorum vel haemorrhoidum; dum autem cephalaea exoritur post suppressionem epistaxis, tunc successu optimo applicantur hirudines ad superficiem internam narium. Dum cephalaea in aegro robusto plethorico sustentatur per congestionem sanguinis majorem, eo magis si observata fuerint signa etiam inflammationis, tunc evacuatio sanguinis universalis est necessaria, commendaturque incisio venae jugularis ab antiquis, et a recentioribus Anglis incisio arteriae temporalis, quae tamen periculo non destituuntur, ideo frequentissime instituimus phlebotomiam in brachio, subinde in pede. Cavendum tamen est, ne remedium hoc eximium sine necessitate adhibeatur, nam saepe non obstante calore, rubore et pulsu frequentiore sanguinis evacuatio levamen nullum adfert, cephalaea intensior evadit, quia cephalaea excitatur tantum ob irritabilitatem majorem cordis et arteriarum, quae imminuitur saepe per remedia blandiora, per vitae regimen anti-phlogisticum, temperaturam atmosphaerae frigidiorem, victum tenuiorem, potum aquae simplicis, vel decocti emollientis. Subinde necessaria sunt etiam pharmaca; ut cremor tartari, arcanum duplicatum, sales reliqui purgantes dosi minori, nonnunquam etiam dosi majori, ut evacuationes alvi quotidie binae ternae-ve producantur; ideo laudantur ab observatoribus multis contra cephalaeas chronicas sal amarus, sal mirabilis Glauberi, aqua Pilnauensis, Seidschützensis, Sedliczensis, e quibus commendamus ut aeger vesperi ante decubitum poculo uno hauriat, et si mane effectus desideratus secutus non fuerit, poculo altero aquam eandem bibat. Aegri nonnulli purgantia talia longiori tempore adhibere non valent sine incommodis magnis

ventriculi, cujus vis digerens sub usu salium evadit languidior; talibus in vicem purgantium commendamus clysmata, quorum virtus per observationes numerosas Kaempfii comprobata est. Saepe simul adhibemus contra cephalaeas pertinaces fomenta frigida, lotiones capitis frigidas quotidie mane corpore haud sudante, in morbo intensiori repetimus eas etiam vesperi, et saepe eodem tempore proficuum est pediluvium tepidum per quadrantem usque mediam horam, ad cujus virtutem antagonisticam exaltandam addimus aquae tepidae jam cineres, jam salem communem, jam farinam seminum sinapis.

§. 17.

Nec tamen cephalaea omnis exoritur et sustentatur a congestione sanguinis majori activa et energica, subinde potius post profluvia praegressa vasa encephali vacua sunt; subinde congestio quidem sanguinis in caput adest, sed propter statum asthenicum, torpidum vasorum absorbentium, et tunc methodus anti-phlogistica noxia, roborans vero utilis est; et quidem dum sedem principalem debilitatis in organis digestionis et chylificationis observamus adesse, tunc pharmaca amara, stomachica dicta, alimenta aromate grato condita, potus spirituosi maxime conveniunt; debilitate per organa reproductionis magis extensa recurrimus ad roborantia fortiora, ad praeparata martis et cinchonae. Dum causa status asthenici residet in nervis vitae organicae, quemadmodum id observamus in hysteriasi et hypochondriasi, tunc pharmaca indicata sunt: flores chamomillae vulgaris, lavendulae, folia aurantiorum, herba melissae, menthae, radix valerianae sylvestris, liquores aetherei, saepe gummi asae foetidae, castoreum, subinde ammonia, camphora et moschus. Non raro debilitas nervosa ita peculiariter modificata est, ut per pharmaca huc usque laudata dolor nihil minuatur, potius intensior reddatur; tunc indicata sunt narcotica, quae seligimus in singulo casu individuali, jam extractum hyoscyami, jam cicutae, jam aconitum, jam digitalem purpuream, saepius

opium ordinamus; semper tamen attendimus ad effectus eorum, nam narcotica omnia, inprimis opium congestionem sanguinis majorem in encephalum inducunt; ideo narcotica tantum utilia sunt dum dolor producitur et sustentatur per vacuitatem vasorum; secus congestio praesens per narcotica inprimis opium augetur, ideo dolores evadunt intensiores, vel sopiuntur quidem, sed subsequitur apoplexia, paralysis, vel fatuitas.

§. 18.

Saepe cephalaea removetur usu remediorum externorum, et quidem dum sustentatur per congestionem sanguinis activam aquae frigidae, hirudinum vel cucurbitularum cruentarum applicatio votis respondent. Contra cephalaeam, quae producitur et sustentatur per debilitatem, congestionem sanguinis passivam, alia remedia magis proficua sunt; ita non raro compressio capitis fortior, ligatura fronti et occipiti applicita, calor siccus ope panni calidi fumo aromatico imbuti, vel ope sacculorum herbis aromaticis repletorum dolores per rheumatismum, hysteriasim vel hypochondriasim inductos dispellunt. Saepe contra cephalaeam asthenicam proficuae sunt lotiones frontis, capitis, cum vino, spiritu aromatico, spiritu anthos, lavendulae, melissae; magnam laudem sibi meruit aqua Coloniensis, simili virtute gaudet aqua Agriensis, Viennensis, Pestiensis e. s. p.

Dum morbus pertinacior remediis huc usque laudatis resistit, tunc recurrimus ad remedia antagonistica; partim extremitatibus, partim nuchae, rarissime cranio deraso applicamus sinapismos, emplastrum cantharidum, corticem mezerei, emplastrum vel unguentum antimoniale, fonticulum, subindè moxam vel etiam ferrum candens; nec tamen adustionem cranii, licet per Hippocratem commendatam perficimus, tristi observatione admoniti, per adustionem talem meningitidem letalem inductam fuisse.

Morbo devicto causae excitantes solicite evitari et pro ratione status dynamici adhuc perdurantis jam methodus

anti-phlogistica, jam roborans illucusque continuanda est, donec restitutio sanitatis integrae reversionem cephalaeae improbabilem reddidit.

RHACHIALGIA.

§. 19.

Rhachialgia dicitur dolor in medulla spinali residens; non est quidem dolor semper restrictus ad medullam spinalem, sed saepe comprehendit partes spinam dorsi constituentes, musculos, ligamenta, tendines, cartilagines intervertebrales, vel ipsas vertebras; frequentior tamen et periculis plurimis stipatus est dolor, qui producitur et sustentatur per statum abnormem ipsius medullae spinalis, qui status morbosus jam meninges, jam ipsam medullam afficiens subinde extenditur per totam medullam spinalem — rhachialgia universalis, subinde restringitur ad latus dimidium — hemirhachialgia, subinde tantum partem unam medullae spinalis divexat — rhachialgia partialis, jam cervicalis, jam dorsalis, jam lumbalis.

J. Frank, Praxeos medicae universae Praecepta. Pars II. Vol. I. Sect. 2. pag. 37.

§. 20.

Pro diversitate sedis morbi diversa observantur symptomata. In rhachialgia cervicali persentit aeger dolorem in nucha, qui extenditur versus occiput, faciem, partem anteriorem colli, dorsum, scapulas, pectus, extremitates superiores, in quibus tremores, et subinde convulsiones conspiciuntur; dolor fixus junctus est cum inquietudine, motu colli difficili vel impossibili, deglutitione et loquela plus minus-ve impeditis, non raro motu etiam cordis abnormi. In rhachialgia dorsali accusat aeger dolorem in medio vertebrarum dorsalium cum inquietudine et anxietate magna,

respiratione difficili, palpitatione cordis, motu trunci impedito ita, ut aeger nonnisi corpore antrorsum inclinato incedere possit, ob affectionem nervorum splanchnicorum functiones organorum digestionis et chylificationis vario modo perturbantur. In rhachialgia lumbali vexatur aeger dolore diversae intensitatis in regione lumbo-sacrali, experiturque symptomata diversa molesta in extremitatibus inferioribus, quarum motus cum dolore junctus est; non raro tremores, stupores, convulsiones in iisdem observantur, simul evacuationes alvi et urinae cum difficultate perficiuntur, licet aeger experiatur nisum frequentem ad evacuationes illas perficiendas.

§. 21.

Ut naturam individualem rhachialgiae cognoscamus, conamur praeter symptomata etiam causas ejusdem determinare, docetque observatio, rhachialgiam non raro esse traumaticam, quae evolvitur post violentias mechanicas spinae dorsi illatas ita, ut fracturae vel luxationes vertebrarum subinde locum habeant; subinde exoritur morbus post motum corporis violentum, inprimis cum adstrictione spinae dorsi conjunctum sub ponderum gravium levatione, sub brachiorum aut pedum motu nimis violento; subinde produxerunt morbum acria, ut tinctura cantharidum, emplastrum cantharidum acrius, caustica, moxa, ferrum candens, prope ad spinam dorsi applicita. Eundem effectum noxium exerit solis ardor, ideo rhachialgia sub tropicis est morbus frequentior, et constituit stadium primum tetani; apud nos saepius post refrigerium calente corpore admissum evolutus est morbus. Subinde rhachialgia est antagonistica seu metastatica, qualis inducitur post evacuationes habituales inprimis cruentas suppressas, vel dum morbi alii, ut rheumatismus, arthritis, efflorescentiae cutis, antequam cyclum suum absolverunt, disparent; subinde status morbosus medullae spinalis dolore se manifestans tantum symptoma constituit morbi alterius, ut scrofularum, scorbuti, syphilidis, plicae Polonicae, e. s. p. ideo distin-

guuntur ab auctoribus rhachialgia rheumatica, arthritica, gastrica, rhachitica, scrofulosa, scorbutica, syphilitica, plicosa. Subinde causa morbum sustentans est debilitas vera inducta per evacuationes nimias, per excessus in Venere, per partus complures se cito excipientes, per onaniam, atque tunc vocatur rhachialgia nervosa in sensu strictiori.

§. 22.

Momentis omnibus inter se combinatis valemus sententiam probabilem enunciare de exitu rhachialgiae; non raro ea causis excitantibus remotis sanatur per solam autocratiam naturae, causis vero excitantibus perdurantibus et therapia rationali neglecta morbus nova incrementa capit; subinde contingunt in specu vertebrarum secretiones morbosae seri, sanguinis vel puris, et inde exoriuntur convulsiones, pareses, subinde apoplexia, spinalis dicta; non raro in morbo diutius durante ob processum dynamicum abnormem exoriuntur inflammationes lentae in vertebris, ligamentis, atque inde subsequuntur concretiones morbosae, ancyloses, emollitio cartilaginum et vertebrarum, inde curvaturae spinae dorsi, subinde caries, atque sic evolvitur tabes et febris hectica morte terminanda. Saepius tamen per therapiam rationalem exitus morbi periculosi praeverti possunt.

§. 23.

In therapia rationali maxime desideratur, ut causae excitantes tollantur, ideo si per violentiam mechanicam inductae fuerint fracturae vel luxationes vertebrarum, rhachialgiam provocantes, tunc chirurgia recentior demonstravit, aegros sanari posse vertebras in situm normalem reducendo, et aegrum quam diutissime in situ congruo retinendo; si rhachialgia per morbum alium symptomatice vel antagonistice provocata fuit, tunc therapiam modificamus pro diversitate morbi protopathici. Necessitate nulla existente in causas excitantes agendi indicationem ulteriorem desumimus a charactere dynamico-organico rhachialgiam susten-

tante. Non raro momenta omnia nosographica et nosogenetica nos informant, rhachialgiam sustentari per congestionem sanguinis activam in meninges medullae spinalis, quin inflammatio exorta fuisset, ideo in tali casu methodus anti-phlogistica per rationem et experientiam commendatur. Dum rhachialgia inflammatoria excitata fuit a solis ardore, potibus spirituosis, motu corporis vehementiori, haemorrhagiis habitualibus suppressis, tunc necessaria est sanguinis evacuatio universalis, saepius topica per hirudines vel cucurbitulas cruentas, quas applicamus ad latus utrumque spinae dorsi, commendamusque aegro vitae regimen anti-phlogisticum, quietem animi et corporis summam; his haud sufficientibus indicatione pro ulteriore sanguinis evacuatione nulla praesente, utilissime adhibentur externe fomenta frigida, interne dum alvus obstipa est purgantia anti-phlogistica, inprimis calomela. Emendatione haud comparente justus est metus, secretionem morbosam locum habuisse, et tunc internis pharmacis vix quidquam proficientibus externa, ut sinapismi, emplastrum cantharidum, unguentum vel emplastrum antimoniale, cortex mezerei, fonticuli per caustica vel setacea excitati, moxa vel ferrum candens efficaciam salutarem exeruerunt: oportet tamen in singulo casu individuali naturam morbi exacte distinguere, nam quousque congestio activa cum diathesi inflammatoria perdurat, eousque remedia antagonistica augendo congestionem perniciosa sunt. Simili ratione in rhachialgia nervosa, quae inducitur per debilitatem veram post evacuationes nimias, quemadmodum observamus in tabe dorsali, remedia antagonistica effectu desiderato destituuntur, cura potius perficitur evitando causas excitantes, adhibendo lotiones cum aqua frigida, aestate balneum frigidum, vitae regimen roborans, pharmaca simul blandiora roborantia, initio liquorem acidum Halleri, amara stomachica, dein infusum corticis cinchonae frigidum, tardius decoctum, tandem pulverem corticis cinchonae in connubio cum praeparatis ferri.

NEVRALGIA.

§. 24.

Nevralgia dicitur in genere dolor nervosus, et quia nervi in corpore toto distributi sunt, ideo nevralgia in omni parte corporis potest locum habere, aliquae tamen ejus species sunt frequentiores et molestiores; talis est nevralgia facialis, cujus mentionem injecerunt jam antiqui medici, ut Aretaeus Cappadox et Arabes, descriptionem tamen ejus magis exactam primus dedit Fothergill, ideo vocatur *dolor facialis Fothergillii.* Sauvagés observavit morbum dolorificum spasmis connexum, ideo vocavit *trismum dolorificum.* Chaussier et Pinel vocant *nevralgiam facialem*, Plouquet *prosopalgiam.*

J. Fothergill, a concise and systematic view of a painful affection of the nerves of the face. (Philosophical Transact. 1773). London. 1805.

— (Sammlung auserl. Abhandl. für prakt. Aerzte, Bd. III. S. 152.)

J. W. Forstmann et J. G. Leidenfrost, de dolore faciei Fothergillii. Duisburg. 1790.

Lentin, (Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft, Bd. I. S. 324. Bd. III. S. 120).

G. C. Siebold, doloris faciei morbi rarioris atque atrocioris observationibus illustrata adumbratio. Wirceburgi. 1795—6.

Posewitz, (Semiotisches Journal für Medizin, Chirurgie und Geburtshülfe. Leipzig. 1803. Hft 1.)

C. J. M. Langenbeck, Tractatus anatomico-chirurgicus de nervis cerebri in dolore faciei consideratis. Göttingae. 1806.

F. J. Leutner, de dolore faciei Fothergillii. Marburgi. 1810.

K. A. T. Hartmann, praes. Autenrieth, Diss. sistens observationes quasdam de prosopalgia. Tübingae. 1811.

Murray, an essay on nevralgia. New-York. 1816.

M. Meglin, Recherches et observations sur la névralgie faciale, ou le tic douloureux de la face. Strasbourg. 1816.

Woskrasenski, Diss. anatomico-therapeutica de dolore faciei. Moscowiae. 1817.

R. Kerrison, Diss. de nevralgia faciei spasmodica. Edinburgi. 1820.

B. Hutchinson, Cases of tic douloureux successfully treated. London. 1820.

L. Mayer, Diss. de prosopalgia. Viennae. 1822.

C. Bew, Opinions on the causes and effects of the disease denominated tic douloureux. London. 1824.

G. H. Masius, Beiträge zu einer künftigen Monographie, über den nervösen Gesichts-Schmerz, (J. F. C. Hecker's Literarische Annalen der ges. Heilk. 1826, Sept.–Dec.)

§. 25.

Prosopalgia consistit in dolore intenso, saepe intensissimo, non raro spasmis nexo, qui sedem habet in nervis per faciem distributis, et quidem jam in ramis paris quinti seu trigemini, subinde in ramo, qui per foramen supraorbitale egressus in fronte et regione temporali extenditur, et tunc aeger percipit dolorem ab arcu superciliorum extensum per frontem et regionem temporalem, dicitur nevralgia frontalis vel temporalis; saepius residet dolor in nervo, qui per foramen infraorbitale egreditur, et distribuitur per genas, nasum, palatum, labium superius, atque in his partibus dolores intensos excitat, dicitur nevralgia infraorbitalis. Non raro morbus evolvitur in nervo faciali, qui per foramen stylomastoideum egressus ramis copiosissimis distribuitur per faciem totam. Secundum observationes a F. Hildenbrand factas, dum sedem morbi constituit nervus trigeminus, tunc se manifestat doloribus atrocissimis, et tunc est prosopalgia genuina; dum vero sedem morbi constituit nervus facialis, tunc dolores sunt mitiores, sed observantur potius spasmi per paroxysmos recurrentes, ideo vocat morbum *choream faciei paroxysticam*. Doctrinae huic favent experimenta physiologica a Bell et Magendie instituta, quae indicant, nervum trigeminum sensui, facialem autem

motui perficiendo dicatum esse, quod tamen observationes adhuc ulteriores comprobare debent. Id ex observationibus de hoc morbo certum est, naturam ejus esse diversam, ad quam cognoscendam in singulo casu individuali sollicite colligimus et symptomata et momenta pathogenetica.

Relate ad symptomata observatur differentia, quod saepe evolutionem morbi praecedant phaenomena deflexionem sanitatis a statu normali indicantia; nonnulli experiuntur dolores vagos similes doloribus rheumaticis et arthriticis; alii accusant dyspepsiam, gastralgiam, enteralgiam, alvi evacuationem perturbatam; alii vexantur cephalaeis et vertiginibus; nulla tamen sunt symptomata prodroma ita constantia, ut ex iis morbum futurum praedicere possimus; non raro sine ullis prodromis in homine apparenter sano subito comparet prosopalgia; nempe in una parte faciei, frequentissime tantum in uno latere percipit aeger dolorem intensum, quasi acu pungeretur, vel scintilla electrica eliceretur, qui dolor cum inquietudine et anxietate nexus extenditur per partem faciei jam minorem, jam majorem, per palpebras oculorum, nasum, genas, palatum, linguam, excitatque in multis simul contractiones spasmodicas; saepe dolor tam intensus est, ut ejulatum excitet, in plurimis lacrymas, in non paucis etiam salivam majori copia exprimat; in quiete summa mitigatur dolor aliquantum, sed sub motu minimo, sub loquela, oscitatione, sternutatione, risu vel tussi dolor intenditur; ita etiam ad pressionem leniorem ope digiti dolor resuscitatur, ad pressionem majorem saepe silet. Ita dolor vehemens excruciat hominem per minuta, per horas, dein remittit vel plane intermittit, sed iterum revertitur quotidie vel omni altero die periodice, donec post unam vel plures septimanas disparet, frequentissime locum habentibus evacuationibus criticis, et subinde non revertitur amplius — prosopalgia acuta; longe frequentior est prosopalgia chronica, quae initio redit omni anno semel, duratque per unam alteramve septimanam, dein revertitur frequentius, tandem familiaris quotidie hominem affligit, habemusque exempla mor-

bi per triginta usque quadraginta annos durantis, tunc per dolores intensos corpus languet, appetitus cibi imminuitur, animus evadit tristis, non raro evolvuntur in dentibus in maxilla superiori vel inferiori caries, in facie scirrhus et cancer, quibus jungitur melancholia desinens in tabem.

§. 26.

Causae excitantes morbi molesti diversae adnotantur ab observatoribus; subinde post violentiam externam capiti vel faciei illatam evolutus est morbus, nec semper statim post laesionem, sed subinde post moram longiorem vestigiis externis violentiae jam deletis; frequentius excitatur nevrosis haec post refrigerium, post evacuationes habituales suppressas, post morbum alium inprimis cutis evanidum; non raro est symptoma morbi alterius, ut saburrae, febris intermittentis larvatae, infarctuum abdominalium, arthritidis, syphilidis, scrofularum, scirrhi vel carcinomatis, ideo distinguuntur prosopalgia traumatica, rheumatica, gastrica, syphilitica, arthritica, scrofulosa, carcinomatica et nervosa.

Per momenta enumerata non provocatur prosopalgia in omni homine, est enim morbus rarior, ideo supponit dispositionem specificam, quae consistit in statu dynamico-organico peculiari nervorum faciei, estque dispositio talis jam congenita, jam per influxus diversos efformata, raro juniores affligit, longe frequentius intra annum aetatis trigesimum et quinquagesimum hominem invadit ita, ut ad evolutionem morbi videatur conferre functio genitalium; in sexu quidem utroque occurrit morbus, frequentior tamen est in sexu sequiori.

De causa proxima morbi in diversas abeunt opiniones auctores; ita Fothergill docet, causam proximam esse acrimoniam carcinomaticam in nervos faciei depositam, cum observavit, in iis, qui diathesi carcinomatica instructi scirrho vel cancro mammae aut uteri laborant, etiam prosopalgiam evolvi; neque tamen omnes aegri hoc morbo in gradu majori affecti exhibent symptomata labis scirrhosae

vel carcinomaticae; ideo multi cum Sprengel defendunt, morbum provocari per acrimoniam arthriticam, vel cum Richter per acrimoniam rheumatico-arthriticam nervos faciei infestantem, cum observatio repetita doceat, in aegris arthritide vaga affectis per refrigerium admissum dolorem faciei provocari. In multis casibus causam proximam prosopalgiae constituit inflammatio nevrilematis subinde acuta, frequentius chronica, ad quam concludimus partim ex indole causarum excitantium, partim e symptomatibus, partim ex effectu therapiae, partim ex investigationibus anatomico-pathologicis; non raro enim secretionem, indurationem vel emollitionem morbosam detegimus in nevrohymene. Subinde tamen nulla signa phlogosis detegi possunt, nullamque aliam causam detegere valemus, quam hypercinesiam per causas diversas inductam.

§. 27.

Pro diversitate momentorum enumeratorum varia est prognosis prosopalgiae, quae subinde causis excitantibus remotis sanatur per solam autocratiam naturae; saepe tamen sibi relictus, vel perverse curatus morbus, incrementa capit successive majora, tunc efformantur degenerationes, et metamorphoses in nervis arti rebelles. Per therapiam tamen rationalem mature adhibitam saepe saepius morbus feliciter sanatur.

§. 28.

Quemadmodum sententiae auctorum de natura morbi differunt, ita etiam therapiae diversae propositae sunt. Ita Fothergill causam morbi defendens specificam maxime commendavit cicutam post Störck contra scirrhum et cancrum maxime celebratam, quod pharmacum in casibus nonnullis proficuum saepius effectu omni salutari destituebatur. Lentin virtutem maximam tribuit stramonio, cujus jam extractum, jam tincturam exhibuit. Meglin virtutem specificam extollit extracti hyoscyami, quod jam solum, jam in connubio cum valeriana et floribus zinci praescribit.

Chisholm effectus optimos expertus est a kali muriatico oxygenato. P. Frank testatur, sibi aliquoties profuisse valerianam cum asa foetida et cortice cinchonae, in alio casu morbum molestum devictum fuisse pulveribus e moschi grano uno, calomelis, sulfuris aurati antimonii ana grano semis, sacchari albi scrupulo uno, mane et vesperi. Masius et Kluge depraedicant virtutem summam mercurii sublimati corrosivi et acidi hydrocyanici. Secundum Ferriar plurimum praestat tinctura Fowleri, solutio arseniatis sodae; longe tamen majorem celebritatem sibi meruit carbonas ferri, qui post Hutchinson exhibetur a granis 15—20, usque drachmam semis, unam ter per diem. F. Hildenbrand gloriatur de methodo maxime secura detecta in cura hujus morbi; si nempe sedem morbi constitueret ramus paris quinti nervorum cerebralium se manifestans dolore intensissimo, tunc remedium specificum esse hydrargyrum; vel exhibetur interne calomela ad grana duo, quatuor usque sex pro nycthemero, vel effectu majori applicatur externe unguentum hydrargyri cinereum, cujus drachma una, duae inunguntur extremitatibus secundum regulas in cura syphilidis expositas, donec ptyalismus comparet. Dum morbus sedem habet in nervo faciali, se manifestans inprimis per spasmos sub forma choreae faciei paroxysticae, tunc remedium specificum possidemus in unguento tartari emetici, quod externe cuti faciei inungitur, donec pustulae characteristicae provocatae fuerunt. Remedia haec jam ab aliis etiam observatoribus laudata non raro proficua sunt, nec tamen semper votis satisfaciunt, nam etiam hic contra prosopalgiam genuinam calomela manu cauta adhibita fuit, cito sequebatur ptyalismus profusus, cum incremento dolorum nimio.

Weisse, Diss. de praeclara virtute unguenti Neapolitani in prosopalgia. Jenae. 1796.

F. Hildenbrand, Annales scholae clinicae medicae Ticinensis, Pars altera. Paviae. 1830. pag. 138.

§. 29.

Cum methodus specifica nulla per observatores comprobata est, ideo in singulo casu individuali debemus therapiam adaequatam invenire, conamurque initio causas excitantes adhuc praesentes removere; dum dolor facialis excitatur per dentem carrosum, tunc cura perficitur per dentis evulsionem, nec tamen contra omnem odontalgiam operatio illa suscipienda est; non raro accidit, ut dolor dentis non sit causa, sed tantum symptoma prosopalgiae, quae per evulsionem dentis redditur intensior. Dum dolor facialis excitatur vel sustentatur per profluvia habitualia suppressa, vel efflorescentias cutis evanidas, tunc revocatio eorum et irritatio cutis indicantur. Si nevrosis haec symptoma constituat saburrae gastricae, vel infarctuum abdominalium, tunc jam emeticis, jam purgantibus, jam solventibus perficitur cura. Prosopalgia rheumatica vel arthritica tollitur usu diaphoreticorum, florum sulfuris, stipitum dulcamarae, guajaci, antimonialium e. s. p. Dum symptoma constituit febris intermittentis, tunc cortice cinchonae sanatur; dum vero naturam scirrhoso-carcinomatioam habet, tunc cicuta levamen adfert.

Causis excitantibus remotis therapiam dirigimus contra statum dynamico-organicum, per quem morbus sustentatur; sensibilitas quidem est semper morbose exaltata, character tamen hyperaesthesiae variat; non raro habitus aegri plethoricus, indoles momentorum pathogeneticorum et symptomata simul praesentia indicant, statum nervi trigemini vel facialis esse inflammatorium, atque in tali casu indicata est methodus anti-phlogistica, et quidem praeter vitae regimen anti-phlogisticum necessaria est sanguinis evacuatio subinde universalis, saepius topica; charactere morbi energico perdurante recurrimus ad frigus, ad fomenta glacialia; dum processus phlogisticus in nevrohymene chronicus evadit, tunc ad resolutionem perficiendam usus hydrargyri indicatus est.

§. 30.

Nec tamen methodus anti-phlogistica contra omnem prosopalgiam utilis est, saepe hyperaesthesia characterem asthenicum habet, et per methodum anti-phlogisticam intensior evadit; in tali casu maxime proficua sunt narcotica, e quibus pro singulo casu individuali maxime congruum ex observatione in effectus eorundem seligere valemus. Saepe votis respondet extractum hyoscyami, subinde majorem efficaciam exerit cicuta, stramonium, belladonna, aqua laurocerasi, frequentius opium. Nec tantum interne exhibita narcotica, sed etiam externe forma unguenti, emplastri, fomenti, vel cataplasmatis, colutorii oris, vel fumi dolores atroces fugant; subinde fumus nicotianae tabaci, subinde epidermide per parvum emplastrum cantharidum remota acetas morphii applicitus levamen attulerunt.

Dum narcotica longiori tempore adhibita effectu desiderato destituuntur, tunc recurrimus ad alia experientia probata, subinde kali muriaticum oxygenatum ad grana tria cum saccharo ter per diem removendo morbum sufficit; saepe ob debilitatem, per quam morbus sustentatur, plus praestat vitae regimen roborans, cujus effectus salutaris exaltatur per pharmaca roborantia tonica, ut carbonatem ferri, et subinde per praeparata corticis cinchonae.

§. 31.

Saepe remedia externa efficaciam majorem exerunt internis; charactere morbi inflammatorio energico existente applicatio hirudinum, frigoris et hydrargyri partem praecipuam curae constituit; charactere morbi asthenico erethistico praesente indicata sunt fomenta calida e cineribus, vel sale culinari tosto, vel herbis aromaticis; utilia sunt unguenta, emplastra, fomenta, fumus ex hyoscyamo, cicuta, belladonna, nicotiana. Majorem utilitatem praestant remedia epispastica, ut sinapismus, emplastrum cantharidum, unguentum vel emplastrum antimoniale, quod in chorea faciali paroxystica ut specificum commendat Hildenbrand;

subinde morbus molestus tollitur per corticem mezerei, fonticulum inter processum mastoideum et angulum maxillae inferioris applicitum; subinde adustio ope moxae vel ferri candentis salutaris est. Minime tamen adhibemus statim remedia dolorifica; semper prius usum instituimus blandiorum; non raro prosunt magnes mineralis, electricitas, galvanismus, perkinismus. F. Hildenbrand commendat scopulas metallicas, anodynas dictas, quae conficiuntur e filis metallicis aureis vel argenteis vel cupreis vel ferreis in fasciculum ligatis; pars dolore vexata humectatur prius solutione aquosa salis communis, dein scopula illa anodyna contingitur, et dolor intensus ab electricitate accumulata dependens removetur. Recentissime Galli maxime commendant acupuncturam, ut cutis acu aurea perfodiatur usque nervum affectum. Saepe morbus feliciter sanatur per magnetismum animalem.

§. 32.

Subinde morbus pharmacis tam internis quam externis resistit, tunc a Haighton proposita fuit transsectio nervi dolentis, quae operatio testante Langenbeck subinde successu felici coronata fuit; saepe tamen referentibus J. Frank, Sabatier et Richerand, dolores per breve tempus mitigati post operationem atrociores reversi sunt; saepe enim sedes doloris non ad unam partem nervi restricta, sed per ramos ejus plures extensa est.

P. J. Leydig, doloris faciei dissecto infraorbitali nervo profligati historia. Heidelbergae 1807.

§. 33.

Principia therapeutica in curanda prosopalgia per rationem et experientiam stabilita nos dirigunt etiam in curandis aliis nevralgiis. In extremitatibus superioribus occurrit subinde nevralgia radialis, quae in superficie interna brachii excurrit usque pollicem, et nevralgia cubitalis, quae in superficie externa brachii excurrit usque digitum minimum. Frequentior est nevralgia extremi-

tatum inferiorum a Cotunni descripta, et vocatur ischias nervosa, distinguiturque ischias nervosa Cotunni postica, quae incipit in parte superiori et posteriori femoris in regione trochanteris majoris, excurrit per regionem subpopliteam, inde secundum longitudinem tibiae usque pedem extremum; et ischias nervosa Cotunni antica, quae vocatur etiam nevralgia cruralis, incipit in regione inguinali, in superficie interna femoris, et excurrit versus crus.

Natura individualis nevralgiarum harum in extremitatibus variat pro diversitate momentorum pathogeneticorum ita, ut jam sit inflammatoria, jam rheumatica, jam arthritica, jam antagonistica, jam symptomatica, jam nervosa. Ideo etiam therapia diversa indicata est. Non raro sub exordio ulterior evolutio morbi per methodum anti-phlogisticam, sanguinis evacuationem, frigoris et hydrargyri applicationem impediri potest. In morbo inveterato saepe proficua sunt balnea, electricitas, magnes mineralis, galvanismus, magnetismus animalis, inprimis epispastica secundum decursum nervi affecti applicita; Cotunni commendavit emplastrum cantharidum imponere prima vice regioni trochanteris majoris et morbo haud remittente tardius regioni subpopliteae. Pharmaca interna seligimus pro natura individuali morbi; secundum observationes Gallorum maximam laudem sibi meruit oleum terebinthinae, cujus uncia una subigitur cum vitello ovi unius, adduntur syrupi menthae et syrupi florum aurantiorum ana unciae duae, sumiturque ter per diem uno cochleari ordinario. In casu pertinaci moxa et ferrum candens cum utilitate adhibebantur.

D. Cotunni, de ischiade nervosa commentarius. Neapolis. 1764, Viennae. 1770.

J. Girault, Mémoire sur la guérison d' une sciatique universelle. Paris. 1800.

P. R. Bailly, Essai sur la névralgie fémoro-poplitée. Paris. 1803.

C. F. G. Fournilhac-Béringer, Diss. sur la névralgie fémoro-poplitée. Paris. 1814.

L. Martinet, du traitement de la sciatique et de quelques névralgies par l' huile de térébenthine. Paris. 1828.

ODONTALGIA.

§. 34.

Odontalgia seu dolor dentium pertinet inter dolores frequentissimos et saepe molestissimos, qui non raro jam teneros infantes excruciat, rarissime quidem primis mensibus, nam ad casus rarissimos referuntur infantes statim post nativitatem dentibus instructi; erumpunt iidem subinde jam tertio mense a nativitate; frequentissime tamen inchoat dentitio post sextum septimum-ve mensem ita, ut prima vice compareant dentes medii incisores superiores, dein inferiores, post unum alterum-ve mensem duo incisores laterales, versus finem anni primi comparent primi dentes molares, post unum alterum-ve mensem dentes cuspidati seu canini, tandem versus finem anni secundi erumpunt dentes molares secundi; ita dentitione prima versus finem anni secundi absoluta infans instructus est viginti dentibus lacteis, qui durant usque annum aetatis sextum septimum-ve, tunc erumpunt dentes molares tertii jam permanentes, et postea incipiunt dentes lactei successive excidere ordine eo, quo eruptio eorum contigit, absolviturque eruptio dentium permanentium usque annum aetatis duodecimum, decimum quartum, et pubertate evoluta comparent dentes molares quarti, incipiente aetate virili dentes molares quinti, sapientiae dicti conspiciuntur. Eruptio dentium saepe sine omnibus incommodis perficitur, ideo Wichmann docuit, dentitionem e numero morborum et causarum eorumdem delendam esse; licet saepe status morbosi diversi minus vere a dentitione difficili repetantur, tamen e numero causarum morborum excludere dentitionem haud valemus, nam observatio casta docet, processum hunc vitae organicae me-

morabilem non raro symptomatibus periculosis stipatum esse. In genere infantes antea hilares evadunt sine alia causa morosi, inquieti, saepe flent, ejulant, ubera, quia valde sitiunt, avide arripiunt, sed mox ob dolorem inter fletum et inquietudinem labia removent, ipsa suctio excitat dolorem; saepe experiuntur pruritum in gingivis, ideo cupiditatem habent easdem fricandi; saliva majori quantitate secreta subinde etiam qualitate mutata effluit ex ore, et non raro excoriationem superficialem, apththas inducit in labiis, palato et lingua, irritat fauces et laryngem, ideo excitat non raro tussim; in ventriculum delata saliva acrior provocat gastralgiam, enteralgiam, vomitum, diarrhoeam. Non raro salivae secretio est impedita, os magis siccum, alvus obstipa, et sub diversis his symptomatibus comparet etiam febris jam mitior, jam intensior, diversum characterem dynamicum exhibens, pro diversa constitutione individuali infantis et diversa indole potentiarum nocentium aliarum, quibus infans expositus est. Non raro comparent in cuti papulae rubrae vel albicantes prurientes, post paucos dies per desquamationem evanidae, vocantur post Willan et Bateman *strophulus infantilis*. Subinde provocantur ophthalmiae, otalgiae, encephalitis, hydrops cerebri acutus, eclampsia infantum; unde patet, dentitionem saepe saepius constituere causam morborum periculosissimorum.

§. 35.

Nec dentes perfecte evoluti cessant hominem affligere, saepe doloribus excruciant, qui variant sede, intensitate et extensione, subinde tantum dens unicus, saepe plurimi experiuntur dolorem jam urentem, jam pungentem, jam terebrantem, jam distendentem, jam continuum, jam remittentem, jam intermittentem, et saepe cum dolore intenso conjuncta est sputatio frequentior, per irritationem nempe sympathicam largior est secretio et excretio salivae et muci in cavo oris. Saepe dolores per consensum extenduntur in aurim, oculum, caput; non raro dolore aliquo tempore durante intumescunt gingivae et genae, et saepe tumore

evoluto dolor dentium remittit, nec tamen semper, imo saepe per dolorem intensiorem provocantur symptomata febris.

J. J. Plenk, Doctrina de morbis dentium ac gingivarum. Viennae. 1778.

J. Hunter, Natürliche Geschichte der Zähne, und Beschreibung ihrer Krankheiten. Leipzig. 1780.

Hirsch, von den Mitteln die Gesundheit der Zähne zu erhalten. Rottenburg. 1789.

Laforgue, Théorie et pratique de l'art du dentiste. Paris. 1802, et 1810.

— Handbuch der Zahnarzneilehre. Leipzig. 1803.

J. Foxe, the history and treatment of the diseases of the teeth, gums etc. London. 1806.

J. R. Duval, Réflexions sur l' odontalgie. Paris. 1808.

Galetti, Blicke in das Gebiet der Zahnarzneikunde. Mainz. 1810.

J. Lamaire, Traité sur les dents, contenant la physiologie, la pathologie, et l' art opératoire. Paris. 1822, 1824.

K. A. Schulze, Diss. de cura doloris dentium. Lipsiae. 1827.

T. Bell, the anatomy, physiology and diseases of the teeth. London. 1829.

G. Carabelli, systematisches Handbuch der Zahnarzneikunde. Wien. 1831.

§. 36.

Diversitas symptomatum inducitur pro parte a constitutione individuali aegri, pro parte tamen majori a diversitate causarum. Aliqui dispositionem peculiarem habent in odontalgiam vel haereditate acquisitam, vel congenitam, vel tardius per influxus noxios evolutam, quae saepe se manifestat jam in pueritia et adolescentia. Qui infelices jam aetate tenera scrofulis, rhachitide, syphilide vel scorbuto affecti fuerunt, tales raro habent dentes bonos, mature color nitidus albus mutatur in flavicantem, substantia vitrea firma deraditur, et cito evolvitur caries jam in corona, jam in cervice, jam in radice dentis, quae caries do-

lorem non excitat, sed increscens dentem perforat, et tunc nervi distributi in periosteo potentiis nocentibus sunt expositi, atque sic caries causam frequentem odontalgiae constituit. Ita dum cavum oris haud mundum servatur, mucus accumulatus evadit tenacior, gingivam et dentes obtegit, processus secretionis in vasis capillaribus per gingivam distributis evadit abnormis, sic efformatur tartarus dentium, qui secundum analyses a Fourcroy et Vauquelin institutas inprimis constat e phosphate calcis, instar crustae flavicantis obtegit initio collum dentis, dein penetrat versus radicem, et sic cohaesionem dentis cum gingiva relaxat.

Causae excitantes odontalgiae sunt diversae; subinde violentiae externae maxillis vel dentibus illatae, frequentius potentiae inflammationem producere valentes, quae agunt partim in gingivam, partim in periosteum, partim in nervos per dentes distributos. Non raro excitatur talis odontalgia inflammatoria per acria varia ori imposita, per calorem intensum, frequentius per refrigerium, aut per potum gelidum, aut per aërem frigidum; subinde constitutio atmosphaerae epidemica est talis, quae odontalgiam inflammatoriam provocat, quam cognoscimus ex habitu aegri plethorico, dolore dentis intenso continuo, febre simul praesente et tumore, rubore et calore, qui observantur subinde in bucca, saepius in gingiva et vocatur parulis. Talis odontalgia inflammatoria est subinde sympathica, provocatur nempe per inflammationem vicinam aurium, membranae mucosae faucium sub catarrho intenso; subinde est talis odontalgia antagonistica, inducta per suppressionem evacuationum aliarum, vel quod rheumatismus, arthritis e partibus externis disparuerunt. Saepe characterem inflammatorium odontalgiae detegere non valemus, sed morbus atrox producitur tantum per statum dynamico-organicum abnormem nervorum, qui se manifestat per sensibilitatem morbose exaltatam, quemadmodum hoc observamus in hystericis et hypochondriacis. Praesente tali dispositione nervosa excitatur odontalgia non raro per sa-

burram in tubo alimentari haerentem, per vermes intestinales, per statum uteri immutatum tempore fluxus catamenialis et tempore graviditatis, per evacuationes nimias. Non raro est odontalgia symptomatica, et quidem rheumatica, arthritica, syphilitica, scorbutica; subinde est symptoma febris intermittentis; ab observatoribus adnotata fuit febris intermitens larvata odontalgica.

§. 37.

Pro diversitate momentorum enumeratorum variat prognosis odontalgiae; saepe est morbus levior, transitorius, causisque excitantibus remotis sponte cessat; sed saepe est dolor molestissimus, quietem et somnum fugat, masticationem impedit; ideo per morbum diu durantem et saepe repetitum inducitur habitus cachecticus; per ipsum dolorem intensum provocatur in gingivis aut in bucca inflammatio, quae haud resoluta transit in suppurationem, sic efformantur in gingiva fistulae, ulcera cum excrescentiis fungosis, dicitur epulis, sequitur facile destructio dentis, caries extenditur per dentes plures, subinde communicatur ossi maxillari, et sic aeger conjicitur in statum periculosum, cui per therapiam rationalem in plurimis casibus feliciter occurri potest.

§. 38.

Ad praecavenda pericula, quae per eruptionem dentium apud infantes comparent, adhibentur varia remedia prophylactica, collo alligantur diversa ornamenta virtute sympathica praedita, pro mordendo porrigitur dens lupi vel apri, rectius frustum radicis iridis florentinae, gingivae inunguntur jam vino rubro, jam decocto emolliente vel cremore lactis; licet haec virtutem salutarem vix ullam habeant, matribus tamen in ea confidentibus tamquam innocua concedimus; nos commendamus tantum munditiem, ut os eluatur quotidie aqua simplici, linteo mundo aqua tali madefacto abstergantur gingivae, palatum et lingua quotidie

ter. Saepe eruptio dentium contingit ita pacate, ut nulla therapia necessaria sit; saepe tamen ob hypercinesiam infantis exaltatam evolvuntur morbi varii pro diversitate causarum nocentium, et ideo therapia diversa necessaria est. Non raro comparent symptomata febris gastricae, ita tamen, ut autocratia naturae infantis activa saburram sponte evacuet vel per emesim, vel per diarrhoeam, vel per choleram, tunc evacuationes tales salutares nunquam supprimimus, tantum ne excessivae evadant diaetam restringimus, cibum blandissimum, si adhuc lactatur infans solum lac matris vel nutricis, secus solum jusculum tenue mucilaginosum vel gelatinosum, pro potu decoctum emolliens, frequentissime decoctum oryzae concedimus. Praesentibus symptomatibus febris gastricae evacuatione saburrae per autocratiam naturae haud subsecuta succurrimus arte, et quidem observantes, quod infans cibum consuetum respuat, linguam spurcam muco spisso obtectam cum halitu oris acido vel foetido nauseam et vomituritionem habeat, tunc emeticum et quidem frequentissime tartarum emeticum praescribimus. Meminisse tamen oportet, symptomata gastrica in infantibus non raro excitari sub dentitione sine saburra in ventriculo haerente tantum sympathice per irritationem encephali a congestione majori sanguinis, tuncque emeticum esse noxium et provocari symptomata hydrocephali interni periculosissimi. Saepius perficitur evacuatio saburrae ope clysmatis emollientis, vel pharmacis purgantibus mitioribus, ut syrupo cichorei cum rheo, vel syrupo mannato, vel oleo lini recenti, vel oleo ricini.

Non raro febris dentitioni juncta est mitior catarrhosa, sanaturque per calorem externum moderatum, emulsionem oleoso-gummosam, decoctum emolliens, althaeae vel salep, quibus addimus vini stibiati guttas paucas.

Nec tamen semper symptomata mitiora comitantur dentitionem, in casibus non paucis evolvitur febris intensa cum inquietudine summa, cum statu soporoso, cum convulsionibus, et tunc infans versatur in summo periculo vitae; subinde symptomata talia gravissima excitantur per saburram

in ventriculo haerentem, cujus evacuatione disparent; sed frequentius inducuntur talia symptomata ab encephali irritatione per sanguinem majori quantitate congestum, tunc emetica et purgantia haud prosunt, saepius nocent; tunc sine mora applicamus ad regiones temporales, vel retro aures hirudines duas, quatuor usque sex, et non raro sub ipsa sanguinis evacuatione dissipantur symptomata ominosa ita, ut nullum amplius remedium sit necessarium, quam vitae regimen congruum anti-phlogisticum. Non raro tamen remanent aliqua symptomata, ut calor exaltatus, inquietudo, propensio major in somnum, alvus obstipa, tunc purgantia et inprimis calomela indicata sunt. Subinde indicatione nulla praesente pro sanguinis evacuatione spasmi divexant infantem, qui tolluntur per flores zinci cum pulvere lapidum cancrorum ac saccharo exhibitos. Rarissimi sunt casus, in quibus ob constitutionem infantis debilem nervosam producuntur convulsiones, ad quas tollendas commendamus infusum tenue radicis valerianae sylvestris cum aliquot guttis spiritus cornu cervi succinati, et pro clysmate infusum florum chamomillae vulgaris cum dosi exigua asae foetidae q. s. vitello ovi subactae.

Mitigatis symptomatibus perficitur dentium eruptio per ipsam naturam, gingivam dentes ex alveolis suis elevati tendunt, successive attenuant et perrumpunt; rarissimi sunt casus, in quibus eruptio per gingivam crassiorem ita impedita est, ut incisio cruciata gingivae suscipi debeat.

§. 39.

Dolores molesti dentium permanentium praecaveri possunt cura prophylactica eo tendente, ut evitentur causae omnes statum morbosum dentibus inducere valentes, ne violentia ulla dentibus vel maxillae inferatur, ne corpora dura, nuclei, ossa dentibus conterantur, ne caloris vel frigoris gradus intensior dentibus applicetur; inprimis autem necessaria est mundities dentium, cui jam a teneris assuefieri debent singuli, nam e muco in cavo oris accumulato

et e residuis alimentorum intra dentes remanentibus ac mora corruptis gingivae redduntur laxiores, et per secretionem morbosam generatur tartarus dentium, contra quem adhibentur pulveres diversi acres, tincturae, electuaria, et non raro lima, quae omnia dentes magis destruunt. Maxime congruum est, exhibere aquam puram simplicem, qua os quotidie ter eluimus, et mucum dentibus adhaerentem abstergimus; observata genesi tartari aquae misceatur acetum vini bonum, quo tartarus solvitur. Dum laxitas gingivae major est, et ad pressionem sanguinem fundit, tunc ad statum hunc morbosum scorbuticum topicum gingivarum removendum pharmaca alia necessaria sunt; olim commendabatur cornu cervi ustum, hodie adhibemus pulverem carbonis vegetabilis, ut tiliae vel crustam nigram panis, exaltamusque virtutem talis pulveris dentifricii addito pulvere herbae salviae vel pulvere corticis cinchonae alcoholisato; laxitate majori praesente praeter pulverem commendamus collutoria roborantia, ut vinum antiquum, spiritum vini aqua dilutum, vel spiritum lavendulae, cochleariae, tincturam laccarum.

§. 40.

Nec per curam prophylacticam possunt dentes semper boni conservari, ob dispositionem peculiarem congenitam vel acquisitam vita evadit dentium imperfectior, corripiuntur carie, qua increscente nervi denudati facile dolore corripiuntur, ad quem praecavendum remedium efficacissimum constituit evulsio dentis cariosi; sed defectus dentis et masticationem et saepe loquelam laedit, et evulsio etiam non raro symptomatibus gravibus stipata est, ideo conservamus dentem infirmum quam diu possumus. Si foramen dentis a carie inductum applicationem remedii topici concedit, tunc contingendo nervum per ferrum candens vel per acidum concentratum, ut acidum nitricum solum, vel cum acido muriatico junctum sensibilitas exstinguitur; in applicatione tamen causticorum cautela magna necessaria est, ne partes etiam aliae inflammatione molesta corripian-

tur; foramine ampliore praesente subinde cavum dentis expleri potest, et dens per plures annos conservari. Destructione tamen dentis jam magis increscente evulsio evitari haud potest, tunc attentio omnis adhibeatur, ne dens vel pars maxillae frangatur, ne haemorrhagia nimia exoriatur, ne commotio cerebri violenta locum habeat; ideo in gravidis, sub diathesi spasmodica eminenti, vel praesente statu inflammatorio evulsio nonnisi sub cautela summa concedi potest.

§. 41.

Evulsio dentis operatio et molesta et periculo juncta nequaquam debet suscipi ob dolorem solum, etiamsi intensum; dolor enim non inducitur a carie, ea tantum est causa praedisponens; saepe sine illa dolores locum habent atroces, producti a variis causis, quas in singulo casu individuali exquirere, et therapia individuali congrua removere conamur. Ita non raro odontalgia est symptoma saburrae in tubo alimentari haerentis, tolliturque tantum evacuatione saburrae; subinde est symptoma febris intermittentis larvatae, et tunc sanatur cortice cinchonae; non raro est symptoma rheumatismi, arthritidis, syphilidis, et tunc morbi principalis cura necessaria est; subinde usus hydrargyri excessivus producit odontalgiam, quae seposito hydrargyro sub cura ptyalismi disparet.

Saepe causis etiam excitantibus remotis perdurat odontalgia, tunc therapiam dirigimus contra statum dynamico-organicum in cavo oris efformatum, per quem dolor dentis sustentatur. Non raro detegimus statum inflammatorium jam mitiorem, jam eminentiorem, tunc methodus anti-phlogistica est indicata; irritantia omnia ut noxia removeantur, praeter vitae regimen anti-phlogisticum commendamus collutoria oris blandissime emollientia ex decocto foliorum malvae vel furfurum, externe applicamus cataplasma emolliens, interne praescribimus vel decoctum emolliens, vel emulsionem amygdalarum dulcium tenuem, nitrum, cremorem tartari, subinde medicinam blande purgantem. Statu

inflammatorio in gradu eminentiori existente necessaria est topica sanguinis evacuatio, saepe sufficit hirudines applicare externe ad regionem maxillarem; major est efficacia hirudinum gingivis impositarum, quod tamen aegri multi horrent, ideo tunc incisionem vel scarificationem gingivae inflammatae instituimus et haemorrhagiam moderatam sustentamus. Nisi inflammatio resoluta fuerit, sequitur facile suppuratio, qua efformatur abscessus aut in gingivis, aut in superficie interna buccae; dum hoc observamus, applicamus externe cataplasmata emollientia, in ore vero teneat aeger collutorium emolliens, decoctum foliorum malvae vel aquam tepidam cum lacte, vel ficus coquantur in lacte; abscessus maturus sponte rumpitur, et puris effluxus sustentatur per collutoria oris ex decocto emolliente cum melle despumato vel melle rosarum.

§. 42.

Nec tamen odontalgia omnis inflammatoria est, saepe nulla vestigia phlogosis detegimus, tantum ob sensibilitatem morbose exaltatam dolor aegrum excruciat; tunc emollientibus solis haud sufficientibus narcotica simul indicata sunt; subinde decoctnm tepidum e foliorum malvae uncia una et foliorum hyoscyami drachmis duabus ad colaturam librae unius ut collutorium oris adhibitum jam dolores fugat; subinde dolor intensior nevrosus tantum cedit, si decocto eidem addita fuerint laudani puri mucilagine gummi arabici subacti grana duo usque quatuor. Subinde utilis est fumus nicotianae tabaci vel masticatio foliorum nicotianae, quod remedium effectum salutarem exerit et principio suo narcotico, et principio simul acri; nam etiam alia sialagoga, ut radix bistortae, tormentillae in decocto adhibita, dum irritatione largiorem efluxum salivae provocant, odontalgiam tollunt; ita praesente carie dentis ad dolorem atrocem tollendum commendantur olea aetherea, ut oleum caryophyllorum, oleum cajeput, quae ope gossypii cavo dentis imponuntur, sed non raro inflammationem membranae cavi oris molestam inducunt; subinde sopiuntur dolores per

vinum bonum aut per crematum ore diutius retentum; saepius tamen votis respondet opium. Richter commendat pilulas parvas ex opio et camphora cavo dentis imponendas. J. P. Frank laudat aetheris vitrioli, tincturae opii simplicis ana, ut ope gossypii applicetur denti carioso, vel dum hoc fieri non potest, guttae aliquot misceantur decocto emollienti vel lacti tepido et ore teneantur; subinde exaltatur virtus addita tinctura cantharidum. Non raro dolor molestissimus tollitur per applicationem principii peculiaris acris insectorum quorundam, ut sunt coccionella s. chrysomela septempunctata, curculio anti-odontalgicus s. carabus chrysocephalus et cynips rosarum; dum haec insecta digitis conteruntur, et digito dens dolens contingitur, dolor cessat. Eundem effectum exerit tinctura ex his insectis in spiritu vini maceratis et contritis parata, et ope gossypii denti carioso applicita.

Saepe efficaciam majorem exerunt remedia externa, linteamina calida fumo aromatico gummi-resinoso impraegnata, vel sacculi repleti cineribus vel herbis aromaticis calidis; subinde levamen majus adferunt cataplasmata emollientia, emollienti narcotica, inunctio linimenti volatilis, vel linimenti saponato-camphorati. Contra dolorem intensiorem requiruntur efficaciora antagonistica remedia, pediluvium tepidum, radix cochleariae armoraciae brachio vel nuchae alligata; plus adhuc praestat sinapismus, emplastrum cantharidum, quod saepe parvum ad processum mastoideum retro aurim applicamus. Saepe effectum eximium praestant cortex mezerei, unguentum vel emplastrum antimoniale. Subinde in odontalgia nervosa virtutem conspicuam exerunt magnes mineralis, scopula metallica anodyna Hildenbrandii, vel magnetismus animalis a Wolfarth inprimis laudatus.

OTALGIA.

§. 43.

Otalgia seu dolor auris morbum quidem rariorem, sed saepe molestissimum constituit, frequentissime unam, rarius utramque aurim infestat, dolorque intensitate et qualitate variat, ut jam urens, jam scindens, jam pungens, jam rodens, jam terebrans, jam constringens, jam distendens, jam pulsatorius sit, et occupat diversas partes organi auditus, subinde tantum auriculam afficit, vel meatum auditorium infestat, subinde in cavo tympani, in labyrintho, vel tuba Eustachii furit.

Kaltschmidt, Diss. de otalgia. Jenae. 1749.

Wilhelm, Diss. quae sistit otalgiam ex colluvie serosa. Argentorati. 1768.

J. C. Saunders, the anatomy and diseases of the human ear. London. 1817.

J. Harrison Curtis, a treatise on the physiology and diseases of the ear. London. 1817, 1824.

J. E. M. G. Itard, traité des maladies de l' oreil at de l' audition. Paris. 1821.

van den Hoeven, Diss. de morbis aurium, auditusque. Lugd. Bat. 1824.

K. J. Beck, die Krankheiten des Gehörorgans. Heidelberg und Leipzig. 1827.

Malatides, Tractatus de otalgia. Viennae. 1821.

J. B. Saissy, Essai sur les maladies de l' oreille interne. Paris. 1827.

§. 44.

Praeter diversitatem sedis producuntur symptomata diversa per constitutionem individualem aegri et per indolem momentorum pathogeneticorum. Habent aliqui dispositionem peculiarem in otalgiam, quemadmodum observamus diffe-

rentiam relate ad aetatem, infantes et pueros frequentius hoc morbo corripi. Causae excitantes multiplices per observatores adnotatae sunt; subinde violentia mechanica, contusio, perforatio lobuli auris, irritatio major sub exceptione ceruminis, subinde corpora peregrina ut semina, lapilli, acus in meatum auditorium externum intrusa, vel insecta ut muscae, pulices, pediculi penetrantia; saepius cerumen aurium induratum vel per causam quamcunque acrius redditum dolorem provocat; non raro refrigerium inprimis calente corpore admissum accusatur; subinde per statum morbosum partium vicinarum, ut sub dentitione molesta, sub odontalgia intensa per dentis cariem sustentata, vel per catarrhum e faucibus in tubam Eustachii extensum excitatur dolor molestus. Non raro est otalgia symptoma alterius morbi, ut febris intensioris tam continuae, quam intermittentis, encephalitidis, exanthematum, ut erysipelatis faciei, variolarum, morbillorum, scarlatinae, scrofularum et syphilidis; subinde provocatur morbus antagonistice, dum evacuationes habituales supprimuntur, vel morbi alii haud resoluti; efflorescentiae cutis disparent. Per diversas has causas inducuntur in organo auditus status abnormes diversi, et quidem subinde locum habet congestio major sanguinis in aurim ita, ut secretio etiam contingat abnormis, non raro e meatu auditorio externo effluit cerumen majori quantitate, vel effluit liquidum mucosum, puriforme, sanguine mixtum; non raro exoritur status abnormis in partibus solidis aurim constituentibus, conspiciuntur rubor major, subinde papulae, vesiculae, pustulae, condylomata, in parte ossea tumor, caries. Saepe omnia symptomata attente collecta nos convincunt, statum dynamico-organicum praesentem esse inflammatorium, et quidem jam mitiorem catarrhosum, jam rheumaticum, jam inflammatorium in gradu eminentiori cum febri valida et dolore tunc intolerabili. Saepe tamen nulla signa phlogosis vel vitii organici in partibus solidis et fluidis detegere valemus, dolore licet intenso existente, tunc vocatur otalgia nervosa.

§. 45.

Prognosis variat pro diversitate momentorum enumeratorum; otalgia recens et simplex saepe cito disparet, dum inflammatio intensior evoluta est, tunc morbum constituit periculosissimum, non raro letalem, quia inflammatio facile extenditur in meninges, et symptomata provocantur sphacelismi cerebri. In morbo chronico frequentissime cum vitio organico connexo prognosis est dubia, quia nec sedem, nec indolem vitii organici reconditi cum probabilitate magna determinare valemus; saepe tamen per therapiam rationalem morbum feliciter sanamus.

§. 46.

Ut scopum curae assequamur, causarum excitantium rationem primam habemus; ideo organon auditus, in quantum sensibus patet, investigamus, corpora peregrina subinde digitorum ope removemus, eadem meatui auditorio externo intrusa ope volsellae vel tenaculi excipimus, insecta enecamus infundendo aquam tepidam, vel oleum, vel decoctum absinthii, vel fumo tabacae, cautelam semper adhibendo omnem, ne per irritationem inducatur inflammatio. Si causa otalgiae fuerit dens cariosus, tunc evulsio ejus necessaria est; si morbus e cuti evanidus sustentat dolorem, tunc irritatio cutis maxime indicata est; in otalgia sympathica et symptomatica curam instituimus morbi principalis. Non raro otalgia per refrigerium excitata characterem habet mitiorem inflammatorium, jam catarrhosum, jam rheumaticum, tunc per methodum mitiorem anti-phlogisticam, ut per decocta emollientia, nitrum, subinde salem ammoniacum, tartarum emeticum dosi refracta, diaphoretica blandiora, externe per calorem siccum vel cataplasma emolliens dolores etiam intensiores fugantur.

Saepe dolor intensior sustentatur per sensibilitatem morbose exaltatam latius in organismo extensam, et tantum in nervis auditus se inprimis exerentem, tunc indicata sunt narcotica tam interne, quam externe adhibenda; non

raro sufficiunt doses parvae hyoscyami, cicutae, aconiti vel opii, externe vapor emolliens in meatum auditorium externum deductus, vel cataplasma emollienti-narcoticum, vel instillatio aut injectio olei blandi cum opio, vel decocti foliorum hyoscyami aut cicutae; sed meminisse oportet, tales injectiones praesente diathesi inflammatoria non raro fuisse periculosas, per irritationem etiam letales. Saepe dolor talis efficacissime tollitur per remedia antagonistica, ut sinapismum, emplastrum cantharidum, emplastrum vel unguentum antimoniale.

§. 47.

Subinde otalgia est chronica, aegrum affligit per plures annos, per vices intensior, iterum remittens, est utplurimum cum vitio organico juncta, saepe cum secretione morbosa puris, atque non raro cum probabilitate cognoscimus morbum principalem, per quem sustentatur, esse jam scrofulas, jam syphilidem, jam rhachitidem, jam arthritidem; tunc ad otalgiam et otorrhoeam curandam morbi protopathici ratio praecipua haberi debet; simul etiam topica remedia in usum vocanda sunt, ne caries inducatur in ossibus auris, atque saepe contra talem otorrhoeam, testantibus Saunders, Itard et Curtis, cum utilitate adhibentur injectiones e solutione sulfatis zinci, vel mercurii sublimati corrosivi, vel lapidis caustici, vel lapidis infernalis.

Subinde causa otalgiae haeret in tuba Eustachii, quae per mucum spissum morbose secretum obstruitur, et sic auditus difficilis, tinnitus, susurrus et dolor excitatur; tunc commendant auctores, ut injectiones emollientes instituantur in ipsam tubam Eustachii; dum hoc perfici nequit, vapores emollientes derivantur in cavum faucium, decocta emollientia tepida adhibentur ut gargarismata, vel naribus attrahuntur, ut per choanas defluant. In casibus rarioribus tuba Eustachii per morbum praegressum ex integro obstructa est, ut nec per vapores, nec per injectiones resolvi possit, tunc auditus omnis cessat, vel est val-

de obscurus, cum susurru et tinnitu continuo nexus, et in tali casu perforatio membranae tympani est indicata, quae ab A. Cooper successu felici instituta fuit.

F. C. Himly, Comment. de perforatione tympani. Göttingae. 1808.

J. F. Fuchs, Disquisitio de perforatione membranae tympani. Jenae. 1809.

GASTRALGIA et CARDIALGIA.

§. 48.

Ventriculus nervis copiosis instructus et eorum ope sympathiam sustentans cum pluribus organismi partibus, morbis multiplicibus expositus est, quorum symptoma praedominans saepe dolor est; dum is in gradu minus vehementi afficit aegrum, vocatur gastralgia vel gastrodynia; dum autem dolor percipitur intensissimus in regione epigastrica cum anxietate, inquietudine magna, extremitatum frigore, sudore frigido in fronte et collo, cum sensu debilitatis magnae, non raro superveniente animi deliquio, vocatur cardialgia, quia supponebatur, sedem doloris intensi esse in cardia, quod tamen nec observatio in vivis, nec disquisitio in cadaveribus semper probat.

Alberti, Diss. de colica ventriculi. Halae. 1735.

Ucroczy, Diss. de cardialgia. Tyrnaviae. 1773.

W. Trnka, Historia cardialgiae omnis aevi observata continens. Viennae. 1785.

J. D Schneller, Diss. de ardore ventriculi. Gissae, 1786.

Class, Diss. sistens cardialgiae historiam et medelam. Halae. 1790.

Behrends, Diss. de cardialgia. Francofurti. 1792.

Acrel, Diss. de gastro-dynia. Upsaliae. 1797.

F Schlüter, über den Magenkrampf, dessen Ursache und Heilung Braunschweig. 1797.

Otto, Diss. de cardialgiae causa, huicque medendi ratione multiplici. Francofurti. 1805.

Erdmann, Diss. de cardialgia. Vittenbergae. 1809.

G. A. F. Neumaier, die sichersten Mittel wider den Magenkrampf und Magenschwäche. Leipzig. 1820.

C. Vogel, Diss. de cardialgia. Lipsiae. 1820.

§. 49.

Ut naturam individualem cardialgiae cognoscere valeamus, attentionem oportet dirigere in symptomata cuncta tam topica, quam universalia successive in organismo evoluta. Saepe praecedunt symptomata prodroma per dies complures, imo etiam septimanas, quae indicant statum ventriculi et reliqui organismi minus normalem, et digestionem perturbatam. Saepe quin prodroma observata fuerint, aeger corripitur subito in regione epigastrica dolore, qui intensitatem et qualitatem diversam habet; subinde accusat aeger sensum frigoris, ac si glaciem in ventriculo habeat; saepius percipit sensum ardoris, subinde sensum puncturae, scissurae, morsus, vel rosionis, subinde sensum constrictionis, et tunc non tantum ventriculus, sed etiam musculi abdominales vehementer et dolorifice contrahuntur, ut aeger levamen quaerat corpore antrorsum versus incurvato; subinde percipit sensum extensionis dolorificae, tunc ventriculus et abdomen inflantur, respiratio plus minus-ve impeditur. Saepe praeter dolorem jam continuum continentem, jam remittentem, jam intermittentem nulla alia observantur symptomata; non raro cum dolore junguntur ructus, et quidem saepe aëris insipidi; saepe eructatur liquidum tenue serosum, salivae simile, subinde spissum mucosum, subinde biliosum, foetidum; non raro percipit aeger sensum liquidi ardentis e ventriculo in fauces ascendentis, dicitur soda vel pyrosis; subinde cum dolore intenso jungitur vomituritio et vomitus; subinde comparent etiam in reliquo organismo varia symptomata pro diversa constitutione individuali aegri et pro diversitate momentorum pathogeneticorum.

§. 50.

Post actionem causae excitantis violentae potest homo omnis dolore ventriculi corripi, aliqui tamen dispositionem habent eminentiorem jam congenitam, jam per influxum potentiarum nocentium diversarum generatam, quae sustentatur non raro per vitium organicum ventriculi aut partium vicinarum, ita hernia ventriculi vel intestini vel omenti, induratio vel emollitio morbosa, anevrysmata vel varices sive in ventriculo, sive in tubo intestinali, inprimis in hepate, pancreate vel liene existentes, vel intropressio cartilaginis xiphoideae, vel tumores qualescunque morbosi in cavo pectoris vel abdominis generati, quatenus dilatationem ventriculi debitam haud admittunt, digestionem impediunt, causam praedisponentem gastralgiae et cardialgiae constituunt. Saepe tamen nullum vitium organicum detegi potest, nec aliam causam disponentem assignare valemus, quam sensibilitatem majorem nervorum ventriculi, quae non raro congenita est, non raro partem efficit status morbosi alterius, ut hypercinesiae hystericae et hypochondriacae; non raro provocatur per actionem potentiarum nocentium ad causas excitantes gastralgiae et cardialgiae relatarum. Tales causae excitantes sunt subinde violentiae externae ventriculo illatae, ut compressio violenta ope thoraculorum in puellis et mulieribus, contusio, conculcatio regionem epigastricam feriens, quemadmodum id accidit sub lucta in Anglia usitata, Subinde laesio exoritur in superficie interna ventriculi, dum ingeruntur monetae, lapides, vitrum, cultri, forfices, acus. Frequentius laeditur superficies interna ventriculi per alimenta et potulenta, quorum quantitas nimia ventriculum nimium dilatando praedisponit in gastralgias perennes, digestio perficitur lentissime, ingesta corrumpuntur, et tunc dolores excitant molestos, quod eo facilius locum habet, si etiam qualitas ingestorum noxia est. Ita non raro in teneris infantibus gastralgiae molestae excitantur per lac nutricis minus congruum, subinde pingue, caseosum vel peculiariter mutatum per ali-

menta et potulenta incongrua, vel per animi affectus, iram, per morbos quibus nutrix affligitur; ita cibi male praeparati, corrupti, heterogeneis noxiis, forte per vasa communicatis dolorem ventriculi provocant, qui excitatur subinde per cibum et potum in genere innocuum, tantum ob idiosyncrasiam relative noxium. Non raro potus tepidi, ut infusa theata, infusum vel decoctum coffeae quantitate nimia hausti ventriculum debilitando provocant gastralgias; similem effectum habent decocta emollientia et alterantia diu et magna dosi adhibita; non raro provocant morbum eundem potus spirituosi, inprimis crematum, inducendo speciem inflammationis chronicae et indurationem; etiam pharmaca tonica, adstringentia et stimulantia minus congrue exhibita gastralgiam excitant; frequentius effectum noxium exerunt emetica, purgantia, solventia, inprimis autem venena acria caustica, ut arsenicum, mercurius sublimatus corrosivus, lapis infernalis, butyrum antimonii, tartarus emeticus dosi majori, vitriolum zinci et cupri, aurum fulminans, acida mineralia concentrata, alcalia caustica, e vegetabilibus ranunculus, euphorbium, cortex mezerei et fungi venenati, ex animalibus cantharides et phosphorus. Subinde hirudines in ventriculum delatae, frequentius vermes e tubo intestinali in ventriculum penetrantes, raro taenia, saepius ascarides lumbricoides gastralgiam vehementissimam excitant. Referuntur etiam historiae de ranis et serpentibus vivis in ventriculo multiplicatis, et cardialgias excitantibus, quae tamen historiae ad fabulas pertinent.

Praeter causas enumeratas immediate ventriculum ferientes excitatur gastralgia et cardialgia in praedispositis per causas in reliquum organismum agentes, non raro per refrigerium, subinde per calorem excessivum, per aërem corruptum, exhalationibus foetidis inquinatum, per motum corporis vehementem, inprimis gyratorium, per animi affectum ingratum, ut terrorem, tristitiam, iram, in casibus rarioribus per adstrictionem mentis excessivam. Non raro excitatur morbus sympathice per statum morbosum partis

alterius organismi, ita cephalaea intensa, odontalgia gravis, morbi viscerum cavo pectoris et abdominis inclusorum, inprimis morbi hepatis, lienis, pancreatis, tubi intestinalis, renum, vesicae urinariae, uteri, testiculorum excitant gastralgias et cardialgias; frequentissime influxum hunc noxium sympathicum experiuntur mulieres, quarum non paucae omni mense, plurimae dum gravidae evadunt, gastralgia corripiuntur; ita etiam scirrhus et cancer uteri et calculi urinarii dolorem hunc provocant, ideo ut causa morbi detegi possit in singulo casu partes organismi omnes investigari debent. Subinde gastralgia est antagonistica, metastatica, qualis provocatur per evacuationes habituales retentas, vel per morbos alios, ut arthritidem, podagram evanidos; subinde est morbus symptomaticus, et quidem symptoma febris intermittentis, cujus species una perniciosa cardialgica adnotatur; ita etiam cholerae Asiaticae symptoma molestissimum constituit cardialgia.

§. 51.

Pro diversitate momentorum enumeratorum variat prognosis gastralgiae; non raro causis excitantibus remotis per autocratiam naturae morbus dissipatur cito; sed saepe morbus est diuturnus, dum neglectus sustentatur per vitium quoddam organicum ventriculi vel alterius partis, vel per statum abnormem systematis nervosi latius extensum, vel dum aeger causas excitantes, ut errores in Baccho et Venere evitare non valet, tunc morbus per vices remittit quidem, subinde intermittit, sed iterum revertitur, status organorum digestionis et chylificationis redditur abnormis, aeger praeter dolores torquetur subinde fame, cui satisfacere vix valet ita, ut praeter cibos consuetos non raro alia insolita, sebum, terram, lapillos ventriculo ingerat, aliqui inconsueta et absurda ut cretam, ceram, carbones, singulari modo appetant; saepe appetitus cibi omnis deletur, aegri vexantur ructibus, flatibus, nausea, vomituritione, vomitu, et dyspepsia; talis longiori tempore excurrens inducit corporis emaciationem, tabem, hydropem, et succes-

sive mortem lentam. Cardialgia vehemens est utplurimum conjuncta cum inflammatione, vel cum statu multum abnormi systematis nervosi, ideo subinde intra paucas horas enecat, nisi therapia rationalis mature administrata fuerit.

§. 52.

Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus, ideo in cardialgia sympathica, symptomatica vel antagonistica conamur naturam morbi principalis exacte definire. Si cardialgia est symptoma febris intermittentis, tunc inprimis cortice cinchonae sanatur; si causa excitans fuerit saburra sive ex ingestis, sive per secretionem morbosam generata, tunc evacuatio et quidem via brevissima, per emeticum nempe, indicata est; emesim per autocratiam naturae ipsius provocatam faciliorem reddimus per potum aquae tepidae, vel infusi florum chamomillae vulgaris; emesi sponte haud secuta emeticum ordinamus statui individuali aegri accomodatum; semper tamen in memoriam revocamus, signa gastrica saepe fallacia esse; non obstante dolore premente in regione epigastrica cum nausea, vomituritione, ructibus, lingua spurca, emeticum noxium esse potest, statum inflammatorium latentem exaltando; ideo in tali casu dubio ab emetico abstinemus, tantum emollientia commendamus, donec per observationem natura morbi clarior reddita fuit. Maxime urgens est emeticum contra cardialgiam per venena inductam; saepe per autocratiam naturae provocatur statim emesis, et tunc sufficit eam adjuvare potu copioso tepido emolliente; subinde emesis sponte non exoritur, licet venenum acre, ut arsenicum, deglutitum sit, involvitur idem muco copiosissimo, excitat initio tantum dolorem obtusum, et tardius evolvuntur symptomata gastritidis vehementissimae; in tali casu antequam symptomata inflammationis comparent emeticum potens effectum salutarem exerit, post moram protractam phlogosi jam evoluta emeticum nihil prodest, imo inflammationem augendo interitum aegri accelerat. In tali casu indicata sunt, quae venenum diluunt, et inflammationem inchoan-

tem resolvunt, quo scopo exhibemus decocta emollientia, lac dulce, butyrum, oleum blandissimum, albumen ovi aqua subactum, juscula gelatinosa et pinguia. Si venena fuerint acida, tunc alcalia diluta in decocto emollienti, si vero venena fuerint alcalia caustica, tunc acida mitiora, ut acetum, succus citri indicata sunt. Praesentibus signis gastro-enteritidis, methodus anti-phlogistica strictior adhiberi debet. In casu rarissimo cardialgia inducitur per hirudinem deglutitam, tunc commendatur sal communis aqua solutus, quo hirudo enecatur, et dein vomitu vel alvo excernitur.

Subinde excitatur et sustentatur gastralgia per secretionem morbosam in ventriculo locum habentem, per saburram acidam, ut hoc observamus in infantibus, in hominibus vitam sedentariam ducentibus, in eruditis et gravidis, tunc cura dirigenda est contra causas secretionem illam morbosam provocantes; simul secretionem abnormem corrigimus subinde per solam aquam frigidam majori quantitate ingestam, qua succus gastricus diluitur et sensibilitas major ventriculi imminuitur; subinde effectum meliorem exerit aqua saccharo dulcis reddita; saepe necessaria sunt alcalia, absorbentia dicta, ut lapides cancrorum, magnesia pura, magnesia usta, sal tartari vel bicarbonas sodae.

§. 53.

Saepe causae excitantes jam remotae sunt, vel removeri omnes haud possunt, tunc indicationem curae ulteriorem desumimus a statu dynamico-organico ventriculi et totius organismi. Non raro momenta tam nosographica, quam pathogenetica nos convincunt, cardialgiam praesentem habere characterem inflammatorium, subinde acutum, saepius chronicum, atque tunc methodus anti-phlogistica indicata est, ideo commendamus vitae regimen stricte anti-phlogisticum, regioni epigastricae imponimus hirudines, interne exhibemus sola remedia emollientia. Nec tamen omnis gastralgia symptoma constituit gastritidis, saepe dolor intensus provocatur per solam sensibilitatem morbose exalta

tam, ut in hystericis et hypochondriacis, et tunc indicata sunt remedia, quae hyperaesthesiam imminuere valent, quae multiplicia ab observatoribus commendantur, et pro singulo casu individuali maxime congruum tantum post observationem aliquo tempore continuatam valemus definire; causis nempe excitantibus evitatis adhibemus initio tantum remedia blandiora, eis haud sufficientibus successive transimus ad potentiora. Saepe virtutem maxime salutarem exerit gas acidum carbonicum in acidulis contentum, ita gastralgiam et cardialgiam gravidarum hystericarum saepe tollimus acidulis Füredienſibus, Szalatnyensibus, Bilinensibus, Selteranis, vel solis, vel instillato succo citri sub effervescentia haustis; in defectu earum praescribimus carbonatem lixivae vel carbonatem magnesiae, frequentius bicarbonatem sodae, distincte praescribimus acidum tartari, et dum hi pulveres aqua adfusa invicem mixti sub effervescentia hauriuntur, cardialgiam removent. Nec tamen semper votis respondet hoc remedium gratum, saepe peculiaris modificatio systematis nervosi per statum totius organismi determinata aliorum pharmacorum usum desiderat; saepe utiliter adhibentur infusum florum chamomillae vulgaris, florum tiliae, foliorum aurantiorum, herbae melissae, menthae crispae, menthae piperitae, radicis valerianae sylvestris. Subinde in auxilium vocari debent liquores aetherei, ut spiritus nitri dulcis, spiritus salis dulcis, inprimis liquor anodynus mineralis Hofmanni, vel solus vel junctus cum tinctura corticum aurantiorum, subinde pharmaca potentiora requiruntur, ut asa foetida, castoreum, praeparata ammoniae. Saepe effectum meliorem praestant narcotica, ut extractum hyoscyami, belladonna, acidum hydrocyanicum, inprimis autem opium. Occurrunt casus, in quibus remedia laudata dolorem molestum haud removent, qui dispellitur per ipecacuanham dosi refracta porrectam, saepius adhuc per magisterium bismuthi seu nitratem praecipitatum bismuthi, quod remedium inprimis Odier commendavit ut specificum contra cardialgiam, virtusque ejus observationibus felicibus etiam hic factis probata est; ex-

hibetur adultis omni bihorio granum unum usque quatuor cum sacchari albi scrupulo semis. Non raro, quod etiam in cholera Asiatica experti sumus, cardialgia vehementissima dispellitur per aquam frigidam parva quantitate et saepius sumtam, vel per glaciem ad magnitudinem pisi vel nucis avellanae deglutitam.

§. 54.

Remedia interna votis haud satisfaciunt semper, externa effectum meliorem exerunt contra cardialgiam; saepe adhibemus fomenta calida sicca, ut parvos calefactos saccos repletos avena, hordeo vel sale, vel cineribus, vel herbis aromaticis calidis; saepe majorem efficaciam exerunt fomenta, vel cataplasmata calida, saepe utilia sunt linimenta stimulantia, inunctiones vinosae, spirituosae, cucurbitulae ventosae seu siccae, sinapismus, emplastrum cantharidum, in morbo chronico electricitas, galvanismus, magnes mineralis, magnetismus animalis, et subinde moxa.

Morbo superato ad recidivam illius impediendam inprimis causae excitantes vitari debent.

ENTERALGIA.

§. 55.

Enteralgia seu dolor intestinorum vocatur in genere colica, quia sedem frequentiorem morbi constituit intestinum colon; minime tamen morbus ad hanc partem tubi intestinalis restrictus est, non raro partem aliam intestini crassi, vel intestinum tenue occupat, ideo rectius denominatur post Swediauer enteralgia, cujus symptomata variant pro diversitate sedis, extensionis, intensionis, complicationis morbi, et pro diversitate constitutionis individualis aegri.

J. Purcell, Treatise of the colic. London. 1714.

— Abhandlung von allen Gattungen der Kolik. Nördlingen. 1775.

A. H. Dahlhausen, Diss. de doloribus intestinorum, vulgo colicis dictis. Lugd. Batav. 1750.

C. C. R. Siemerling, Diss. de colica ejusque speciebus. Göttingae. 1778.

Otto, Diss. de colica. Francofurti. 1800.

J. Markofszky, Essai sur la colique. Paris. 1805.

W. A. Marmet, Diss. colicae adumbratio, pathologica et therapeutica. Berolini. 1820.

§. 56.

Morbum futurum annunciant subinde symptomata quaedam, ut cephalaea, nausea, gastralgia, vomituritio, alvus obstipa vel diarrhoica, subinde etiam febris aliqua; saepe hominem apparenter sanum sine ullis prodromis jam interdiu, jam noctu dormientem comprehendit, incipitque dolor utplurimum in regione umbilicali, subinde tamen in alia regione abdominis, et inde excurrit in diversas regiones, sequitur tamen decursum tubi intestinalis, vix maneat fixus in una parte, sed locum mutando divexat. Variat sensatio ingrata dolorifica intensitate ita, ut jam sit dolor obtusus mitior, jam intensus intolerabilis, ejulatum excitans, qualitatis distinctae, rarius excitat sensationem frigoris ac si glacies contingeret intestinum, longe frequentius est dolor ardens, et quidem jam pungens, jam scindens, jam rodens, jam constringens, jam extendens; subinde continuus continens semper increscit, saepius est continuus remittens, non raro perfecte intermittens, et post intervalla breviora vel longiora, certis vel incertis temporibus recurrens. Sub dolore intenso abdomen est tensum, musculi tam recti, quam obliqui abdominis attactu distinguuntur esse rigidi et duri, saepe abdomen est ita contractum, ut paries anterior abdominis cum umbilico videatur vertebras lumborum contingere; subinde vero abdomen est potius extensum, dum sub colica vehementiori in tubo intestinali evolvitur

gas majori quantitate, tunc abdomen intumescit totum tympani instar, ad percussionem resonat, flatibus sursum vel deorsum versus explosis aeger persentit levamen, tunc vocatur colica flatulenta.

Praeter dolores adsunt etiam alia symptomata, ut inquietudo, anxietas, pervigilium, anorexia, sitis magna, oris siccitas, respiratio difficilis, subinde convulsiones et deliria; cutis saepe tangitur sicca et calida, mox iterum friget, inprimis in extremitatibus, in quibus non secus ac in facie et fronte sudor frigidus erumpit, facies jam magis rubet, mox iterum pallet, pulsus arteriarum jam normalis, jam frequens, plenus, jam parvus, irregularis, vix perceptibilis, saepe evacuatio urinae est impedita, vel ea contingit parca, aquosa, spasmodica, inprimis alvi evacuatio est valde impedita, et per hanc pertinacem alvi obstipationem augentur symptomata morbi ita, ut aeger excruciatur doloribus, inquietudine, nausea, vomituritione; accedit dein vomitus, quo non tantum ingesta alimenta et potulenta, sed etiam excrementa evacuantur, vocaturque haec species colicae ileus vel passio iliaca, quia sedem morbi principalem reponebant ad intestinum ileon. Nec tamen omnem colicam comitatur, non raro evacuatio alvi abnormis adest, et liquidum serosum, mucosum evacuatur, dum nempe membrana mucosa tubi intestinalis inflammatione catarrhosa corripitur, describiturque morbus ab observatoribus nomine colicae catarrhosae. Subinde contingit inter dolores colicos excretio largior bilis, jam flavae, jam viridis, jam fuscae et acrioris, ut in fine intestini recti sensum ardoris molestum excitet, dicitur colica biliosa, quae inducitur per secretionem bilis morbosam, ob statum inflammatorium organorum cholopoëticorum, inprimis hepatis, vel tantum ob sensibilitatem ac irritabilitatem morbose exaltatam organorum cholopoëticorum. Subinde inter dolores colicos evacuantur etiam vermes, et tunc vocatur colica verminosa.

§. 57.

E symptomatibus omnibus attente collectis facile cognoscimus praesentem enteralgiam, ad cujus naturam individualem determinandam causas etiam semper exquirere debemus. Homines quidem omnes potentiis nocentibus vehementioribus expositi colica corripi possunt, aliqui tamen dispositionem habent peculiarem, quae fundatur saepe in vitiis organicis vel tubi intestinalis, vel partium vicinarum, non raro congenitis, subinde acquisitis; ita observatio quotidiana docet, causam unam praedisponentem enteralgiae constituere hernias omentales, vel intestinales, jam congenitas, jam tardius post nativitatem evolutas, quae incipientes dum efformantur, vel etiam chronicae habituales dum incarcerantur, enteralgiam excitant molestissimam; ideo in omni casu enteralgiae aegroti abdomen totum sollicite investigamus, ut nos convincamus de praesentia vel absentia herniae. Non raro alia occurrunt vitia organica, ut tubercula haemorrhoidalia, varices, condylomata, excrescentiae fungosae, polyposae, quae vitia frequentissime resident in intestino recto, et tunc visu et tactu cognosci possunt; sed saepe vitia eadem, uti etiam indurationes, coarctationes, emollitiones morbosae, degenerationes scirrhosae et carcinomatosae profundius in parte aliqua tubi intestinalis haerent, et tunc nonnisi e combinatione omnium symptomatum, e decursu morbi et ex effectu remediorum adhibitorum cum probabilitate aliqua valemus definire vitium organicum, vocaturque morbus colica organica, rectius enteralgia a vitio organico. Saepe tale vitium non in tubo intestinali, sed in partibus vicinis haeret, observatio enim docet, quod induratio et scirrhus ventriculi, infarctus lienis et hepatis, induratio pancreatis, tumores glandularum mesaraicarum, inflammationes renum, vesicae urinariae vel uteri, calculi biliosi et urinarii, graviditas, scirrhus et cancer uteri saepe enteralgias excitent, aut saltem ad easdem praedisponant. Saepe tamen vitia organica sensibilia sunt in cavo abdominis, quin dolor coli-

cus evolvatur, at saepe vitium organicum nullum detegi potest, et tamen aeger divexatur colica vehementi, tunc causam praedisponentem assignamus esse sensibilitatem et irritabilitatem morbose exaltatam, seu hypercinesiam tubi intestinalis, per quam generatur dispositio ad dolores et spasmos, ideo aetas tenerior, infantes et pueri, sexus sequior et qui temperamento nervoso instructi sunt, qui hypochondriasi vel hysteriasi laborant, etiam enteralgia facilius corripiuntur.

Dispositione praesente provocatur morbus per causas excitantes diversas, subinde per violentias externas abdomini illatas, frequentius per ingesta, quae tubum intestinalem partim mechanice, partim chemico laedunt. Ita alimenta et potulenta, etiamsi bona, dum quantitate nimia ingeruntur, volumine suo dolores excitant, dicitur enteralgia saburralis vel stercoracea; eo facilius evolvuntur dolores, si cibi fuerint duri, corrupti vel in corruptionem proni, potus spirituosi, vel aqua putrida, vel vinum et cerevisia nedum satis fermentata, mustum. Subinde excitatur enteralgia gravis per deglutitos nucleos, ossicula, monetas, quae mechanice tubum intestinalem laedunt. Frequentius accusantur pharmaca, subinde emollientia, adstringentia, stimulantia, aetherea, olea destillata, emetica, purgantia drastica, venena, inprimis metallica. Non raro contingit in ipso tubo intestinali secretio morbosa bilis, vel generatio vermium, excitaturque enteralgia biliosa vel verminosa. In nonnullis provinciis est colica endemica, ut in provincia Galliae Pictavia, in provincia Angliae Devonshire, in Hispania Madridi, in insulis Caraibicis et aliis sub zona torrida sitis, putabantque auctores aliqui, colicam endemicam excitari per plumbum, quod immiscetur vino e pomis et pyris parato, quae tamen opinio per observationes Madridi a Larrey factas et per disquisitiones criticas a Sprengel institutas refutatur, et maxime probabile redditur, colicas eas induci per refrigerium, cum in provinciis iis inter aestum diurnum et frigus vespertinum differentia notabilis locum

habeat; tales colicae a refrigerio calente corpore admisso observantur etiam apud nos, quae jam conjunctae sunt cum doloribus rheumaticis partes diversas, inprimis extremitates divexantibus, vocatur enteralgia rheumatica, vel cum secretione morbosa muci in tubo intestinali, vocatur enteralgia catarrhosa. Subinde excitatur enteralgia antagonistice, dum profluvia habitualia ut fluxus haemorrhoidalis vel catamenialis supprimuntur, dicitur enteralgia catamenialis et haemorrhoidalis; subinde colica gravissima provocatur, dum efflorescentiae e cuti disparent, vel dum in tubum intestinalem extenduntur, ut aphthae oris, et subinde etiam variolae.

Per causas multiplices enumeratas tubus intestinalis conjicitur in statum abnormem, qui causam proximam enteralgiae constituit; non raro status is est inflammatorius, jam mitior, jam intensior, jam acutus, jam chronicus, vocaturque colica inflammatoria, cujus praesentiam indicant tam symptomata, quam effectus remediorum adhibitorum, extra dubium ponunt investigationes anatomico-pathologicae. Nec tamen omnis enteralgia inflammatoria est, saepe dolores intensissimi excruciant aegrum tantum ob sensibilitatem morbose exaltatam, et tunc vocatur colica nervosa, vel quia spasmis juncta est colica spasmodica; talem observamus in hystericis, hypochondriacis, et in iis, qui per profluvia, per animi affectus ingratos enervati sunt.

§. 58.

Pro diversitate naturae individualis enteralgiae exitus subsequuntur varii; non raro morbus levior per autocratiam naturae solam tollitur, partim quod irritamenta ventriculi et tubi intestinalis, reactione naturae provocata per emesim aut diarrhoeam evacuantur, partim quod status dynamico-organici abnormes enteralgiam sustentantes per crises, ut sudores, efflorescentias cutis, subinde erysipelas removentur. Saepe tamen enteralgiae morbum constituunt periculosum, neglectae vel perverse curatae mortem jam

citam, jam lentam adducunt; omnis nempe enteralgia ob sensibilitatem morbose exaltatam facile transit in phlogosim, quae saepe sub exordio minor, latens et partialis est, donec clandestine ultro serpens subito caput extollit; tunc experitur aeger dolores intensos abdominis cum anxietate, inquietudine, vomitu bilioso, alvo pertinaciter obstipa, et comparentibus symptomatibus febris accedit gangraena in sphacelum terminanda. Dum aeger mortem effugit, inducitur per enteralgiam neglectam dispositio ad morbum molestum ita, ut potentiae nocentes minimae colicam provocent; subinde tubus intestinalis e situ suo turbatur, herniae vel volvuli enascuntur, saepe organisatio tubi intestinalis vario modo laeditur, sicque affligitur aeger dyspepsia chronica, chylificatione tarda et molesta, alvi evacuatione irregulari, flatulentiis, pneumatosi abdominali, hydrope, tabe, febri hectica.

In cadavere reperiuntur non raro indurationes in una vel pluribus partibus tubi intestinalis, subinde emollitiones morbosae, in uno loco coarctationes, in alio dilatationes, exulcerationes jam superficiales, jam profundiores, subinde perforationes tubi intestinalis, qui effectus noxii per therapiam rationalem in plurimis casibus averti possunt.

Ut in casu singulo individuali prognosim probabilem pronunciare valeamus, attentionem dirigimus ad momenta cuncta, quae naturam individualem morbi determinant. Enteralgia incipiens ceteris paribus sanatur citius quam neglecta. Enteralgia simplex saburralis vel stercoracea est ceteris minus periculosa, nec tamen semper periculo destituta, nam potest complicata esse cum hernia, cum vitio organico, vel inflammatione, et tunc prognosis evadit semper dubia. Colicam quidem inflammatoriam incipientem, ut haemorrhoidalem vel catamenialem saepe feliciter sanamus, sed quae excitatur per venena acria, per herniam incarceratam, per vitia organica inveterata, et quae exhibet symptomata enteritidis gravis, talis est periculosissima, et si accesserint symptomata febris cum charactere septico-nervoso, cum signis gangraenae, tunc casus est desperatus.

§. 59.

In therapia enteralgiae statim commendamus, ut causae omnes irritationem, vel plane inflammationem tubi intestinalis excitare valentes sollicite arceantur, ideo salutare est, ut aeger in lectum moderate calidum decumbat, nam per quietem corporis et animi, et per temperaturam externam aequabilem cura morbi promovetur, ideo exhibemus simul infusum tepidum florum chamomillae vulgaris vel tiliae; dum haec ordinamus excipimus historiam brevem morbi, investigamus corpus aegri, inprimis abdomen totum, ut eruamus, concurrat-ne ad morbum dolorificum hernia vel status inflammatorius partis cujusdam; post hanc investigationem definimus speciem enteralgiae, tam relate ad causas, quam relate ad statum dynamico-organicum, atque dein curam ita coordinamus, ut causam excitantem removeamus. Sic si detecta fuerit hernia, ejus repositionem conamur perficere taxi, quae incarceratione increscente effectu desiderato destituitur, imo enteralgia augetur, tunc therapiam dirigimus contra causam incarcerationis; est ea saepe inflammatoria et tunc methodus anti-phlogistica est necessaria, non raro sanguinis evacuatio universalis, saepius topica, post eam fomenta frigida, glacialia, subinde instillatio aetheris vitrioli, et nisi incarceratio cito sublata fuerit, strictura per operationem solvi debet, quae herniotomia idoneo tempore peracta periculo nullo jungitur, sed tardius suscepta, sphacelo jam evoluto, omni utilitate caret. Frequenter inducitur enteralgia per saburram in tubo intestinali accumulatam, atque tunc evacuatio saburrae necessaria est; subinde per saburram in ventriculo haerentem excitatur vomitus spontaneus, quem facilitamus potu aquae tepidae, vel infuso florum chamomillae vulgaris vel tiliae; vomitu nullo, vel parco secuto, ne saburra in ventriculo accumulata deferatur in tubum intestinalem, aegrumque magis affligat, praescribimus emeticum et quidem frequentissime tartarum emeticum. Saepe saburra enteralgiam provocans haeret in tubo intestinali inprimis crasso, alvi eva-

cuatio spontanea vix contingit, potius alvus est pertinaciter obstipa, ideo exoriuntur etiam flatulentiae molestae, atque tunc indicata sunt clysmata vel ex sola aqua tepida, vel ex decocto furfurum, vel foliorum malvae, vel ex infuso florum chamomillae vulgaris, quibus addimus uno altero-ve cochleari oleum lini vel olivarum, vel butyrum. Non raro necessaria sunt etiam pharmaca purgantia, initio blandissima, ne per irritationem majorem provocetur phlogosis; ita infantibus praescribimus syrupum mannatum, vel syrupum cichorei cum rheo, vel, quod praestantius est, oleum seminum lini recens, vel oleum olivarum, vel oleum amygdalarum dulcium, omni hora vel omni bihorio uno cochleari coffeaceo, donec alvi evacuatio secuta fuit; blandioribus his haud sufficientibus commendat Richter salem amarum in emulsione oleosa; in vicem pharmaci hujus ingrati et irritantis potius adhibemus oleum ricini e seminibus rite conservatis recenter pressum, vel calomelam. Alvi obstipatione perdurante ob herniam incarceratam ita, ut symptomata ilei evolvantur, saepe clysmata necessaria sunt ex infuso foliorum sennae cum sale amaro et oleo lini majori quantitate, subinde addimus et tartarum emeticum, subinde clysmata paramus e decocto foliorum nicotianae tabaci, et subinde contra alvi obstipationem rebellem utilissime adhibemus interne aquam frigidam, vel pilulas glaciales, externe autem fomenta frigida et clysmata ex aqua frigida.

Subinde colica sustentatur per saburram mucosam et verminosam, signis inflammationis plane nullis praesentibus, in tali casu indicata sunt purgantia magis irritantia, ut folia sennae, radix rhei, radix vel resina jalappae jam sola, jam calomelae juncta. Commendantur etiam drastica fortiora, ipsum oleum crotonis tiglii, cujus tamen adhibendi necessitas apud nos rarissima est, et meminisse semper oportet, purgantia omnia, inprimis autem drastica in enteralgia omni cautissime adhibenda esse; saepe enim dolores non a saburra, sed ab inflammatione latente dependent.

§. 60.

Quotiescunque dolor fixus, etiamsi non intensus et febris simul etiamsi mitior nos informant de praesentia enteralgiae inflammatoriae, tunc maxime urgens indicatio est resolutio inflammationis, ideo ordinamus methodum anti-phlogisticam, sanguinis evacuationem universalem vel topicam, et remedia blandissime emollientia. Saepe post sanguinis evacuationem justam institutam symptomata morbi maxima ex parte mitigantur et dissipantur, remanet tantum dolor per vices recurrens ob sensibilitatem morbose exaltatam, quae tollitur per potus emollientes, cataplasmata emollientia et semicupium tepidum emolliens. In nonnullis casibus sustentatur dolor intestinalis per evacuationem aliam, ut catamenia, fluxum haemorrhoidalem, sudorem habitualem retentum vel suppressum, vel quod morbi alii, ut erysipelas, porrigo, rheumatismus e partibus externis evanuerunt; tunc revocatio profluvii vel morbi habitualis, irritatio cutis post praemissam methodum anti-phlogisticam sunt indicata.

Saepe saepius in enteralgia gravi nec herniam, nec saburram, nec inflammationem ullam detegimus, dolor tantum est symptoma sensibilitatis morbose exaltatae, est enteralgia nervosa in sensu strictiori, qualis in hystericis, hypochondriacis atque in aegris teneris locum habet. In tali casu indicata sunt remedia, quae sensibilitatem morbosam imminuunt, adhibemusque initio tantum blandiora, ut infusum tepidum florum chamomillae vulgaris, florum tiliae, foliorum aurantiorum, herbae melissae, herbae menthae crispae, herbae menthae piperitae, quibus solis haud sufficientibus addimus guttas paucas spiritus nitri dulcis, vel spiritus salis dulcis, vel liquoris anodyni mineralis Hofmanni. Dum haec species enteralgiae conjuncta est cum accumulatione gasis in tubo intestinali, et colicam flatulentam constituit, tunc commendantur praeter memorata infusa seminum anisi, cumini, foeniculi, vel aquae destillatae aut spiritus, vel tinctura chamomillae, vel radix va-

lerianae sylvestris, gummi-resina asae foetidae, praeparata ammoniae, ut spiritus cornu cervi simplex vel succinatus, vel spiritus salis ammoniaci anisatus, olea destillata chamomillae, menthae crispae et piperitae, quae forma elaeosacchari praescribimus, guttas duas, tres quatuor-ve cum drachma una sacchari miscemus, vocanturque haec remedia carminativa, et in colica flatulenta nervosa utilitatem exerunt conspicuam, sed in colica inflammatoria sunt deleteria, transitum morbi in gangraenam accelerant, quae tantum per methodum anti-phlogisticam impediri potest. Saepe ob sensibilitatem morbose exaltatam virtutem maxime salutarem exerunt narcotica jam mitiora, ut extractum hyoscyami, jam fortiora, ut aqua laurocerasi et opium. Non raro etiam enteralgiae saburralis curam inchoamus cum narcoticis, dum nempe aeger doloribus ac spasmis exagitatur vehementioribus, qui evacuationem necessariam impediunt, tunc prius symptomata molesta mitigari debent per narcotica.

Saepe remedia externa sola sufficiunt ad colicam mitiorem removendam, in morbo autem graviori exaltant virtutem remediorum internorum. Ita cum utilitate adhibemus pannos calefactos fumo sacchari, vel seminum cumini, vel alterius aromatis imbutos, vel sacculos calidos repletos seminibus avenae vel hordei, vel herbis aromaticis, vel operculum ollae calefactum abdomini imponitur. In morbo intensiori recurrimus ad calorem humidum, ad cataplasmata emollientia, emollienti-narcotica, fomenta aromatica, vinosa, unguenta et linimenta stimulantia. Saepe quidem effectum meliorem observamus ab inunctione olei blandissimi lini, vel olivarum, vel amygdalarum dulcium, subinde plus praestant oleum hyoscyami, cicutae, vel chamomillae coctum, vel unguentum althaeae cum unguento cicutae vel hyoscyami junctum. Subinde in colica spasmodica nervosa, asthenica indicata sunt linimenta stimulantia, ut linimentum volatile, linimentum saponato-camphoratum, spiritus aromaticus, unguentum nervinum, cujus virtutem exaltamus addito aethere vitrioli, balsamo peruviano et tinctura opii,

quibus nedum sufficientibus imponimus abdomini cucurbitulas siccas ventosas, sinapismum vel emplastrum cantharidum; non raro in usum vocamus etiam clysmata anodyna et antispasmodica ex infuso florum chamomillae vulgaris, vel radicis valerianae sylvestris, quibus addimus jam gummi-resinam asae foetidae q. s. vitelli ovi subactam, jam guttas paucas spiritus cornu cervi, jam tincturam opii.

§. 61.

Peculiarem attentionem requirit colica metallica, in specie saturnina; quae excitatur subinde per plumbum ut pharmacum, saepius vino, alimentis vel potulentis diversis immixtum, dum eadem in vasis plumbeis praeparantur et conservantur; saepius adhuc vapores plumbi in fodinarum cultoribus, figulis, auri et argenti fabris, pictoribus, partim cutim contingentes, partim per membranam mucosam narium et cavi oris penetrantes excitant saepe colicam vehementissimam, quae vocatur colica saturnina vel pictorum, figulorum, metallurgorum, et se manifestat per diversa symptomata; dum minori quantitate receptum est plumbum in organismum, tunc aeger persentit dolores mitiores inprimis in regione umbilicali, accusat alvum morosam, appetitum cibi imminutum, et sic morbus decurrit subinde per plures septimanas, imo menses. Dum vero plumbum majori quantitate recipitur in organismum, tunc brevi tempore evolvuntur symptomata morbi gravissima, aeger persentit dolorem intensissimum in parte abdominis majore, inprimis autem in regione umbilicali et sacro-lumbali, excurrentem per longitudinem spinae dorsi; simul cum dolore evolvuntur symptomata febris, calor exaltatus cum pulsu frequenti, contracto, duro, saepe irregulari, cum debilitate musculari magna, cephalaea gravativa, cum oris siccitate, lingua fusca, arida, saepe nigricante, siti intensa, appetitu cibi prostrato, nausea, vomitu, partim bilioso, partim mucoso; abdomen totum est attactu tensum, rigidum, durum, quia musculi omnes tam recti quam obliqui abdominis sunt spasmo violento

contracti; dolores per vices evadunt mitiores, nunquam tamen perfecte silent; alvus est pertinacissime obstipa, et dum contingit aliqua evacuatio, scybala tantum dura et pauca exprimuntur, etiam urinae evacuatio impedita est. Nisi per therapiam rationalem ulteriori morbi incremento obices ponantur, symptomata increscunt, aeger experitur inquietudinem et anxietatem summam, saepe corripitur delirio, tremoribus artuum et convulsionibus, quibus praegressis accedunt dolores extremitatum superiorum et inferiorum, tunc saepe dolores abdominis mitigantur, subinde tamen et ii intensi perdurant. Morbo diutius excurrente habitus aegri evadit macilentus, color cutis inprimis faciei pallido-flavescens, vox debilis, lingua balbutit, sensus redduntur obtusi, auditus difficilis, visus debilis, pupilla jam dilatata parum mobilis, mens imbecillis, fatuitatem annuncians, accedunt dein paralyses intestini recti, vesicae urinariae, extremitatum, subinde hemiplegia, et tandem mors apoplectica.

De Haen, Diss. de colica pictonum. Hagae. 1745.

J. Grashuis, de colica pictonum. Amstelodami. 1752.

J. G. Ilsemann, Diss. de colica saturnina metallurgorum. Göttingae. 1752.

Tronchin, de colica pictonum. Genovae. 1757.

C. Strack, Observatio medica de colica pictonum. Francofurti. 1772.

K. G. Kühn, gesammelte wichtige Schriften zur Erkenntniss und Behandlung der Blei-kolik, von Tronchin, Strack, Huxham und Grashuis. Leipzig. 1784.

Ludvig, Diss. de colica saturnina. Lipsiae. 1800.

Kletten, Diss. de colica saturnina. Vittebergae. 1810.

F. V. Mérat, Traité de la colique métallique. Paris. 1812.

J. Schreinzer, Diss. de colica saturnina. Viennae. 1815.

B. Palais, Traité pratique sur la colique métallique. Paris. 1825.

§. 62.

Enteralgia metallica, in specie saturnina in nonnullis casibus ob constitutionem individualem aegri, et influxum aliarum potentiarum characterem exhibet inflammatorium cum signis enteritidis, et tunc methodus anti-phlogistica est indicata, rarissime sanguinis evacuatio universalis, topica tamen hirudinum ope cum usu emollientium interno et externo saepe salutaris fuit, testantibus observatoribus Gallis Parisiensibus. In genere tamen enteralgiae saturninae inflammatoriae rarissimae sunt, nec Viennae per de Haen, Stoll etc. nec in Anglia per Mason Good adnotatae; frequentissime character hujus enteralgiae est nervosus, atque indicatio curae est, ut plumbum evacuetur, retentum innocuum reddatur, et effectus noxii jam in organismo producti tollantur. Dum plumbum in ventriculum ingestum est, tunc evacuatio tubi alimentaris est maxime indicata, et subinde purgantia sola morbi evolutionem ulteriorem impediunt. Frequentissime deglutitur acetas plumbi, nam ad vina acida dulciora reddenda adhibetur; experimenta per Orfila instituta docent, sulfatem plumbi longe minus nocere, quam acetatem, ideo maxime commendat sulfatem magnesiae, nam, si miscetur acetas plumbi cum sulfate magnesiae, contingit decompositio et enascitur sulfas plumbi; licet in ventriculo non contingant compositiones et decompositiones eodem modo ac in vasis chemicis, tamen, dum plumbum non ita pridem ingestum fuit, sal amarus ut purgans medicina subinde utilis est. Majorem tamen utilitatem praestant olea blanda, ut oleum lini recens, oleum olivarum, oleum amygdalarum dulcium, oleum ricini, quae et purgant et plumbum minus noxium reddunt, inflammationem impediunt. Sed rariores sunt casus colicae statim post plumbum majori quantitate deglutitum evolutae, sed longe saepius inducuntur enteralgiae per vapores plumbi diutius in organismum agentes, qui per pharmaca purgantia evacuari non possunt, effectum suum exerunt in systema nervosum, producuntque spasmos ac dolores; in

tali casu optimum remedium possidemus in opio, cujus granum semis, unum, grana duo usque quatuor per nycthemerum exhibemus, et non raro post usum hujus remedii doloribus et spasmis dissipatis sequitur alvi evacuatio spontanea, nec tamen semper, sed praeter opium necessaria sunt emollientia, interne olea blandissima, emulsio oleoso-gummosa, decoctum althaeae vel salep, clysmata emollientia, simul cataplasmata emollientia abdomini imponimus. Non raro levamen opio inductum est tantum transitorium, alvi obstipatione pertinaciter perdurante, tunc usus alternus purgantium et opii indicatus est; jam Stoll uno die exhibuit salem amarum, altero die opium; et Parisiis referente Pinel in nosocomio charitatis omnes aegri enteralgia saturnina affecti una methodo tractabantur: mane datum est purgans, ex infuso foliorum sennae cum arcano duplicato, vesperi opium et clysma cum opio, secundo die eadem therapia repetebatur, tertio die emeticum porrigebatur, quarto die iterum mane purgans, vesperi opium, et plurimi aegri spatio octo dierum sanabantur. Interim observationes recentiores Parisiis factae docuerunt, methodum laudatam minime esse congruam pro omni casu individuali; subinde effectu optimo adhibitum fuit alumen, jam olim a de Haen et Stoll laudatum; exhibetur vel in pulvere a granis duobus usque sex cum saccharo, vel in decocti emollientis libra una solvitur drachma semis, una et omni bihorio medio vasculo coffeaceo hauritur. Bunger contra colicam saturninam Idriae valde frequentem successu felici adhibuit pulveres e laudani puri granis sex, calomelis granis duodecim, sacchari albi drachmis duabus, misce exactissime, divide in duodecim partes aequales, sumaturque omni trihorio pulvis unus, superbibatur lac dulce tepidum, vel decoctum emolliens.

Morbo per therapiam statui individuali accomodatam sanato remanet adhuc dispositio in eundem, et quo saepius revertitur morbus, eo gravioribus stipatur symptomatibus, et eo difficilius curatur, ideo admonemus aegros reconvalescentes, ut causam excitantem vitent, et si vitae genus

enteralgiae huic excitandae favens derelinquere non possunt, saltem id observent, ne continuo in aëre corrupto versentur, sed saepius etiam aëre puro utantur, quotidie mane comedant cibum pinguem, laridum vel butyrum, cutim, inprimis faciem et manus inungant larido vel oleo, laboribusque suis terminatis, eluant os et nares, et cutim universam *abluant aqua tepida saponata.*

Dum colica saturnina intensa fuit, diutius duravit, saepius jam aegrum invasit, tunc raro revertitur sanitas integra, sed remanent gastralgiae, enteralgiae, saepe recurrentes, appetitus cibi prostratus, digestio difficilis, alvus obstipa, habitus externus cachecticus, emaciatio, sensuum externorum et internorum debilitas, tremores, convulsiones, paralyses, quibus accedit non raro hydrops universalis, ac tandem apoplexia. Status hi morbosi pro diverso charactere dynamico-organico, diverso modo curari debent. Saepe status morbosi residui sustentantur per infarctus et indurationes in tubo alimentari productos, et tunc thermae alcalino-sulfureae, quales Budae habemus, et forma potus et forma balnei utilissimae sunt. Qui aquarum similium usum instituere non valent, illis commendamus decoctum graminis vel taraxaci saturatum cum sale amaro vel arcano duplicato, vel sale mirabili Glauberi. Saepe morbi a colica saturnina residui sustentantur per statum asthenicum, atque tunc indicata est methodus roborans, aër purus siccus, cibus animalis nutriens, vinum bonum, motus corporis moderatus. Subinde tamen etiam alia remedia necessaria sunt, ita contra paralysim residuam de Haen maxime commendat electricitatem, P. Frank unguentum hydrargyri cinereum, secundum longitudinem spinae dorsi inungendum; non raro stimulantia, ut radix et flores arnicae, liquores aetherei, praeparata ammoniae, olea destillata etc. in usum vocari debent. Contra convulsiones, ut epilepsiam residuam, subinde utilis fuit radix valerianae sylvestris, subinde stimulantia fortiora requirebantur, ut oleum animale Dippelii.

SPASMI.

§. 63.

Spasmus in genere dicitur ille status morbosus, sub quo contractio morbosa locum habet; quae frequentissime observatur in musculis tam vitae animalis, quam vitae organicae, cum in iis contractilitas et irritabilitas in gradu eminentiori evoluta sit. Nec tamen ad musculos solos restricti spasmi sunt, sed etiam cutis ad actionem frigoris magis contrahitur, ita in textu celluloso, in arteriis, venis, vasis lymphaticis, probabilius etiam in vaginis nervorum contractiones spasmodicae locum habent. Dum contractio talis morbosa din perdurat, vocatur spasmus tonicus, ut distinguatur ab eo, in quo contractio alternat cum relaxatione, vocatur spasmus clonicus seu convulsio. Pro diversitate partium, in quibus spasmi comparent, diversis insigniuntur nominibus; subinde restricti sunt spasmi ad partem corporis minorem, topici vocantur, non raro partem corporis majorem comprehendunt, universales nuncupantur. Sic subinde spasmus tonicus residet in musculo constrictore palpebrarum oculi, tunc eae firmiter clausae manent; subinde musculi bulbi oculi tali spasmo afficiuntur, tunc bulbus est fixus, immobilis, attonitus; subinde musculi recti capitis spasmo tonico laborant, et tunc caput evadit immobile; subinde alternter musculus sterno-cleido-mastoideus in hoc statu morboso constitutus est, et tunc efformatur collum obstipum; subinde musculos maxillae inferioris comprehendit idem spasmus, dicitur trismus vel tetanus maxillae inferioris; subinde musculi complures voluntarii tali spasmo afficiuntur ita, ut corpus totum vel saltem pars ejus major in statum rigidum conjiciatur, vocatur tetanus. Non raro etiam musculi involuntarii, ut oesophagi, tracheae, sphincter vesicae urinariae et ani ac uterus tali spasmo tonico corripiuntur, unde exoriuntur dysphagia spasmodica,

dyspnoea, asthma cum metu suffocationis, retentio spasmodica urinae et alvi. Saepe spasmus tonicus sine ullo dolore comparet, non raro tamen contractio violenta etiam dolore juncta est, et tunc vocatur crampus, qualis non raro observatur in musculis surae, et provocatur per motum pedis certum, vel etiam per solam quietem diutius protractam, non raro noctu e somno excitat; subinde occurrit status morbosus in musculis penis, se manifestans per erectionem involuntariam, dolorificam diu durantem, vocatur priapismus. Simili ratione observatur spasmus clonicus in palpebris oculorum, in musculis bulbi oculi, faciei, labiorum oris, unde producitur spasmus cynicus, risus sardonicus; subinde observatur in lingua, in musculis organorum respirationis, unde exoriuntur singultus, tussis, cachinnus, non raro occurrunt spasmi clonici in ventriculo et tubo intestinali sub vomitu, diarrhoea, dysenteria. Saepe spasmi clonici late per organismum extenduntur, in eclampsia, epilepsia, chorea S. Viti, hysteriasi, hypochondriasi, hydrophobia.

J. C. A. Clarus, der Krampf in pathologischer und therapeutischer Hinsicht, systematisch erläutert. Leipzig. 1822.

§. 64.

Ut diagnosim morbi spasmodici in singulo casu individuali construere valeamus, attentionem nostram dirigimus in symptomata, quae morbum praecedunt, comitantur et sequuntur. Non raro observantur phaenomena, quae morbi spasmodici evolutionem futuram annunciant; aeger percipit per sensum coenaesthesis statum valetudinis suae a normali recedere, quin explicare valeat clare; accusat jam horripilationem, jam calores fugaces, color cutis, inprimis in facie, observatur jam pallidior, jam magis ruber, subinde livescens, functiones vitae organicae non perficiuntur modo consueto, appetitus cibi imminuitur, deletur, subinde nimius evadit, saepe nausea, ejectio sputi frequens, gastralgia, enteralgia percipiuntur, saepe in circulatione sanguinis, in respiratione, in perspiratione cutis, in uri-

nae et alvi evacuationibus contingunt mutationes; saepe dolores molesti comparent in capite, vel in alia parte corporis; saepe sensus externi evadunt debiliores, obfuscantur, subinde morbose sensibiles redduntur; etiam relate ad somnum et vigiliam observatur mutatio. Dum aeger morbum spasmodicum jam perpessus est, forte aliquo habituali laborat, tunc in se attentus ex prodromis ipse praesagit futurum insultum spasmodicum, quem per attentionem adhibitam etiam observator medicus praedicere valet. Saepe tamen prodroma illa sunt ambigua, et saepe nullis praegressis in homine apparenter sano subito erumpit morbus spasmodicus, in quo praeter spasmos tonicos et clonicos ad organismi partem majorem extensos etiam reliquae functiones corporis plus minus-ve perturbatae sunt, quas perturbationes omnes colligimus, atque ex complexu symptomatum omnium facile definimus formam morbi spasmodici, sit-ne tetanus, vel epilepsia, vel catalepsis, vel alia forma.

§. 65.

Cognitio tamen formae morbi ex symptomatibus constructa nec ad naturam morbi definiendam, nec ad therapiam rationalem construendam sufficit, exquiri debent in singulo casu etiam momenta pathogenetica morbi. Omnes quidem homines dispositione generali praediti sunt, ut spasmis corripi possint, in aliquibus tamen occurrit dispositio peculiaris in spasmos specificos, non raro congenita, et quidem subinde haereditate propagata a parentibus in soboles, ut hoc de epilepsia, hysteralgia, hypochondriasi et asthmate observamus; subinde evolvitur dispositio in utero per influxus raro cognitos; non raro tardius post nativitatem dispositionem hanc provocant potentiae nocentes diu in hominem agentes, ita observatio docet, morbos spasmodicos sub zona torrida esse frequentiores; ita exaltatur dispositio per evolutionem organismi, ut sub periodo dentitionis, pubertatatis, tempore fluxus catamenialis, graviditatis, puerperii spasmi facilius evolvantur; etiam constitutione teneriori praediti, ut aetas tenerior, sexus foemininus fa-

cilius corripiuntur spasmis. In quo consistat dispositio illa major, quae exaltata causam proximam spasmi constituit, adhuc definire non valemus. In omni spasmo contingit mutatio dynamico-organica in musculis affectis, qui sub omni contractione evadunt breviores, duriores et rigidiores ita, ut tunc potius frangi quam flecti possint; in causam contractionis hujus violentae inquirentes investigamus fabricam musculi, cujus partem principalem constituunt fibrae musculares, texturae et mixturae organicae peculiaris, maxima pro parte azotum continent et sunt simillimae fibrinae sanguinis, ideo jam ab antiquis caro seu musculus pro sanguine duro, et sanguis pro carne vel musculo liquido declarabatur; fibrae musculares tenuissimae sed tamen robustae nectuntur invicem in fasciculos ope telae cellulosae subtilis, per quam decurrunt rami copiosissimi arteriarum, venarum, vasorum lymphaticorum et nervorum ita, ut vitalitas musculi dependeat a vitalitate omnium partium ad fabricam ejus concurrentium; ideo spasmi exoriri possunt a statu morboso partium diversarum musculos constituentium; frequentissime haeret causa proxima spasmorum in nervis, quorum influxu determinatur potissime motus seu functio vitalis musculorum, ideo si nervi cum musculis immediate conjuncti vel partes, cum quibus nervi in nexu intimo sunt, ut cerebrum, medulla spinalis, vel systema gangliosum quocunque modo in statu abnormi sunt, spasmi exoriri possunt. Status autem nervorum determinatur per motum, quantitatem et qualitatem sanguinis, qualitas haec determinatur per processum respirationis ac per processum totius reproductionis, cujus conditionem iterum determinant influxus varii externi; ideo ut causam proximam morbi spasmodici individualis cum probabilitate aliqua determinare valeamus, debemus inquirere in conditionem totius organismi.

Praesente tali dispositione provocantur spasmi per potentias nocentes diversas; tales sunt saepe violentiae externae, per quas producuntur fracturae, luxationes, herniae, prolapsus, vulnera; subinde corpora peregrina vul-

neribus infixa, diversis partibus corporis intrusa, vel in organismo generata, ut calculi, vermes spasmos provocant; excitantur iidem non raro per influxum atmosphaerae noxium, ut per calorem excessivum, frequentius adhuc per refrigerium, subinde per mixturam atmosphaerae mutatam, quod vaporibus diversis impraegnata est, vel quod constitutio ejus peculiaris, epidemica spasmos generat. Non raro excitantur spasmi per ingesta alimenta et potulenta quantitate et qualitate peccantia, sic non raro in infantibus teneris lac nutricis nimia quantitate ingestum vel noxiis qualitatibus praeditum, quod nutrix alimenta et potulenta minus congrua ingessit, vel forte animi affectibus, inprimis ira commota fuit, non raro alimenta et potulenta, inprimis spirituosa tam apud infantes, quam adultos spasmos provocant; idem observamus subinde a pharmacis, frequentius a venenis, inprimis narcoticis et narcotico-acribus, ut ab opio, cicuta, belladonna, stramonio et fungis venenatis, non raro a contagiis, imo dantur contagia specifica morbos spasmodicos excitantia, uti sunt contagium tussis convulsivae et contagium hydrophobiae. Subinde excitantur spasmi per profluvia tam sanguinis, quam liquidorum secretorum, inprimis per evacuationem excessivam succi genitalis, quae evacuatio saepe inter motus convulsivos perficitur. Subinde retentiones profluviorum habitualium, frequentius animi affectus vehementes, inprimis ira et terror, non raro morbi alii jam sympathice, jam symptomatice, jam antagonistice spasmos excitant.

§. 66.

Momentis omnibus nosographicis et nosogeneticis exquisitis possumus prognosim cum probabilitate aliqua pronunciare. Non raro morbus spasmodicus remotis causis excitantibus per solam autocratiam naturae deducitur in sanitatem, saepe morbus spasmodicus est pertinax, arti rebellis hominem tota vita affligens; aliqui eorum praeter motus abnormes reliquam sanitatem vix laedunt, aliqui, ut eclampsia, tetanus, hydrophobia, aegrum citissime ene-

cant, alii provocant morbos alios; subinde una forma morbi spasmodici mutatur in aliam pejorem, ita hysteriasis, chorea S. Viti subinde terminantur in epilepsiam; subinde morbus spasmodicus mutatur in nevrosim aliam pejorem, ita epilepsia chronica terminatur in paralysim, vesania in apoplexiam; non raro morbus qualiscunque spasmodicus aegrum diu affligens processum reproductionis in toto organismo reddit imperfectum, inducit statum cachecticum, tabem, hydropem, febrim hecticam, phthisim pulmonalem, et sic mortem lentam. Ut prognosim cum aliqua probabilitate pronunciare valeamus, attentionem dirigimus ad momenta cuncta tam nosographica, quam nosogenetica; si morbus fuerit recens, simplex, sine dispositione congenita eminentiori, tunc prognosis est laetior; si vero dispositio adfuerit congenita in gradu eminenti, morbus jam neglectus, diuturnus et complicatus cum cachexiis inveteratis, cum vitiis organicis, ut tuberculis, scirrhis, tunc prognosis est ambigua et tristis. Interim nec symptomatibus gravissimis evolutis spes omnis de restituenda sanitate deponenda est, observationes enim felices docent, morbos spasmodicos etiam gravissimos per annos complures excurrentes per medicinam rationalem non raro sanatos fuisse.

§. 67.

Contra spasmos laudantur specifica sub nomine antispasmodicorum, quae in casibus nonnullis individualibus salutaria, saepe tamen inutilia, imo manifeste noxia sunt, natura enim morborum spasmodicorum, minime semper eadem, variat, ideo pro singulo casu therapia individualis inveniri debet. Semper quidem conamur, causas excitantes removere, ita dum spasmi excitantur per laesiones mechanicas organismi, vulnera, fracturas, luxationes, prolapsus, vel per corpora peregrina partem aliquam systematis nervosi irritantia, tunc semper necessarium est auxilium chirurgicum, quod non raro jam solum sufficit ad curam morbi spasmodici gravissimi perficiendam. Dum morbi causam cognoscimus esse aërem, vaporibus noxiis inquinatum, tunc

aërem corrigere, vel aegrum influxui ejus noxio subtrahere debemus. Subinde spasmi in infantibus, in adultis hystericis, hypochondriacis exoriuntur per refrigerium, et tunc non tantum singultus, sed etiam alii spasmi saepe tolluntur per fomenta calida sicca, per infusum tepidum florum chamomillae vel tiliae. Dum per suppressionem profluvii cujusdam habitualis, vel quod morbus nedum devictus e partibus externis disparuit, causam excitantem constituit, tunc revocatio profluvii habitualis, et irritatio cutis necessariae evadunt. Dum spasmus excitatur et sustentatur per saburram in tubo alimentari haerentem, aut ab ingestis, aut per secretionem morbosam generatam, tunc indicata est evacuatio saburrae, ideo saepe spasmos curamus per emetica, purgantia et anthelminthica. Meminisse tamen oportet semper, signa gastrica saepe esse valde fallacia, non per saburram solam, sed etiam per gastritidem, enteritidem, inflammationem aliarum partium vicinarum, subinde per meningitidem cerebralem provocari, in quibus casibus evacuantia gastrica contra-indicata sunt. Non raro per statum abnormem nervorum vitae organicae secretio redditur abnormis succi gastrici et enterici ita, ut evolvatur saburra acida spasmos provocans, ut hoc observamus apud infantes lactantes, apud adultos hypercinesia hysterica vel hypochondriaca laborantes; in tali casu optima remedia sunt absorbentia alcalia, ideo pulvis lapidum cancrorum, bicarbonas sodae, carbonas lixivae, carbonas magnesiae et magnesia usta a multis observatoribus ut antispasmodica laudantur.

Sed saepe causae excitantes spasmorum jam remotae sunt, subinde cito removeri non possunt, ut eruptio dentis apud infantes, graviditas, calculus in organis cholopoëticis, vel uropoëticis haerens, atque tunc indicationem curae desumimus a causa proxima spasmorum, quam in statu peculiariter abnormi musculi, vel partis alicujus systematis nervosi residentem, licet definire non valeamus, tamen saepe feliciter sanamus. Per observationem enim attentam discimus, statum illum dynamico-organicum pecu-

liarem characterem habere varium pro conditione energiae vitalis totius organismi. Non raro ipsa autocratia naturae spasmos gravissimos sanat, dum energia vitae normalis sustentatur, ideo conamur in singulo casu individuali ex combinatione symptomatum omnium, ex indole potentiarum nocentium, per quas spasmus productus est, et ex effectu remediorum adhibitorum conditionem energiae vitalis cognoscere. Saepe detegimus, eam morbose exaltatam esse ita, ut morbus spasmodicus sit energicus vel sthenicus cum charactere inflammatorio seu synochae praeditus, tunc spasmi vehementissimi, ut tetanus, epilepsia acuta, hydrophobia, tussis convulsiva et asthma sanantur per methodum anti-phlogisticam, per sanguinis evacuationem, jam universalem, jam topicam, per vitae regimen anti-phlogisticum, decocta emollientia, purgantia anti-phlogistica, inprimis per calomelam; non raro per aërem frigidum, vel aquam frigidam.

§. 68.

Methodus anti-phlogistica saepe utilissima minime indicata est contra omnes spasmos, cum saepe statu energico et inflammatorio absente causam proximam morbi detegimus esse tantum irritabilitatem et sensibilitatem morbose exaltatam; et quidem status hypererethisticus dependet a statu morboso cordis, arteriarum et sanguinis, nexusque semper est cum statu morboso nervorum vitae organicae, se manifestans per symptomata plethorae spuriae apparentis, per calores et rubores fugaces, subinde etiam per haemorrhagias; in tali casu ad irritabilitatem morbose exaltatam imminuendam utilia sunt acida, saepe jam vegetabilia, ut acidum citri, tartari, saepe majorem effectum exerit acidum carbonicum, acida mineralia, inprimis acidum vitrioli dilutum, vel liquor acidus Halleri, vel aromatibus junctum, uti est elixirium vitrioli Anglicanum, seu Minsichtii, cui si admiscetur tinctura corticis cinchonae vocatur tinctura Roberti Whyt, et contra spasmos hysterico-hypochondriacorum saepe proficua

est. Non raro hypererethismus tollitur per solam aquam frigidam, jam pro potu, jam pro lotione adhibitam.

Dum spasmi sustentantur potius per statum abnormem nervorum, ita, ut cum spasmis connexi sint dolores, tunc ad sensibilitatem morbosam imminuendam saepe proficua sunt decocta, emulsiones, olea, cataplasmata, fomenta, semicupia tepida emollientia; iis minus praestantibus recurrimus ad narcotica, ut flores papaveris rhoeados, flores et radicem paeoniae, hyoscyamum, cicutam, digitalem purpuream, belladonnam, stramonium, aquam laurocerasi, acidum hydrocyanicum, opium.

Saepe tamen nec remedia huc usque laudata spasmos tollere valent, quia in statu dynamico-organico systematis nervosi peculiaris mutatio est, ad quam removendam etiam peculiaria requiruntur remedia, quae sensu strictiori vocantur antispasmodica, talia sunt: flores chamomillae, flores tiliae, flores et folia aurantiorum, radix valerianae sylvestris, radix artemisiae, liquores aetherei, inprimis liquor anodynus mineralis Hofmanni, camphora, moschus, castoreum, zibethum, ambra, ammonia, olea aetherea, inprimis oleum destillatum chamomillae, valerianae, menthae piperitae et oleum animale Dippelii, gummiresinae, ut asa foetida, praeparata metallica, ut antimonialia, martialia, bismuthum, zincum, praeparata hydrargyri, cuprum ammoniacum, nitras argenti fusus. Non raro majorem virtutem anti-spasmodicam exerunt remedia antagonistica, ut radix ipecacuanhae dosi parva exhibita, subinde emeticum plena dosi porrectum, subinde purgantia drastica.

Eadem ratione proficua sunt remedia externa diversis partibus corporis applicita, ut clysmata, errhina, sialagoga, inprimis autem quae cutim irritant, ut calor intensior, epispastica, sinapismus, emplastrum cantharidum, cortex mezerei, unguentum et emplastrum antimoniale, fonticulus, setaceum, moxa, ferrum candens. Non raro maximam efficaciam exerunt electricitas, galvanismus, perkinismus, magnes mineralis et animalis, et remedia psychica. Unde patet apparatum medicamentorum contra morbos spasmodi-

cos esse satis largum ita, ut saepe in casu singulo selectus reddatur difficilis, qui facilior evadit per cognitionem specificam morbi spasmodici.

TRISMUS MAXILLAE INFERIORIS.

§. 69.

Trismus, seu tetanus maxillae inferioris est ille morbus singularis, in quo musculi maxillae inferioris, organorum deglutitionis, masticationis et loquelae spasmo tonico corripiuntur. Frequentissime spasmus tonicus occupat musculos levatores maxillae inferioris, nempe temporales, masseteres et pterygoideos, quorum contractione violenta maxilla inferior superiori adeo firmiter apprimitur, ut *facilius frangi quam diduci* possit. Subinde sphincter seu orbicularis labiorum oris spasmo simili afficitur, et tunc labia oris diduci non possunt. Subinde musculi digastrici maxillae inferioris, genio- et mylohyoidei sedem constituunt spasmi tonici, et tunc maxilla inferior violenter detracta est, et os apertum claudi nequit. Non raro spasmus tonicus extenditur in linguam, musculos isthmi faucium, et constrictores pharyngis, ideo masticatio, loquela et deglutitio impeditae sunt. Trismus talis apud adultos observatur frequentissime post vulnera, quae feriunt nervos, tendines, ligamenta et vocatur trismus maxillae inferioris traumaticus, atque in tali casu est utplurimum exordium morbi adhuc gravioris, nempe tetani universalis. Sed enascitur similis trismus etiam sine vulnere per dentitionem, vel per dentis affectionem graviorem, subinde per saburram, inprimis verminosam, subinde per refrigerium calente corpore admissum, per evacuationes habituales suppressas; subinde est symptoma alterius morbi, ut febris intermittentis perniciosae, febris continuae cum charactere nervoso; hic observatus fuit ut symptoma typhi contagiosi Europaei. Trismus talis facile co-

gnoscendus requirit therapiam, quam contra tetanum universalem commendabimus.

§. 70.

Attentione peculiari dignus est trismus neonatorum, qui statim primis diebus aut septimanis post nativitatem comparet, frequentissime occurrit sub tropicis, inprimis in insulis Indiae utriusque, ubi omni anno plura millia infantum per hunc morbum enecantur, subinde etiam in Europa epidemicus late extenditur, ut in littoribus maris Adriatici, Tergesti; apud nos observatur tantum sporadicus et periculosissimus, saepe intra viginti quatuor horas jam enecans, subinde in quartum usque diem excurrens.

Werlhof, Programma de tenellorum convulsione maxillae inferioris. Norinbergae. 1737.

Ackermann, Commentatio medica de trismo. Göttingae. 1775.
— Abhandlung über die Kenntniss und Heilung des Trismus, oder des Kinnbackenzwanges, Nürnberg. 1778.

Nottbeck, Diss. de tetano recens natorum. Göttingae. 1793.

J. Schneider, Versuch einer Abhandlung über den Kinnbackenkrampf neugeborner Kinder, nach eigenen Erfahrungen am Krankenbette. Heilborn. 1805.

J. P. Frank, de trismo infantum Tergesti endemico (Interpretationes clinicae Tübingae. 1812. pag. 372.)

§. 71.

Infantes huic morbo subjecti statim post nativitatem sunt valde inquieti, continuo gemunt, ejulant, somno omni privati difficulter ubera sugunt, quae iterum iterumque avidissime comprehendunt ob sitim, qua torquentur, sed mox iterum dimittunt inter ejulatus majores; post has inquietudines observantur convulsiones parvae in palpebris, in bulbis oculorum, in musculis faciei ac labiorum ita, ut infantes ridere videantur, mox suctio omnis impossibilis est, maxillae et labia oris ita constringuntur, ut aperiri non possint, vel etiamsi os aliquantulum apertum diductum sit, ita ut lac vel aliud liquidum instilletur, illud effluit,

deglutiri non potest ob spasmum tonicum, quo simul musculi linguae et pharyngis correpti sunt. Sub insultu tali spasmodico respiratio est anxia, strepitosa, sibilosa, pulsus frequens, irregularis, utplurimum parvus, ob respirationem et circulationem simul impeditam facies turget, rubet, livescens evadit, bulbi oculorum protruduntur, lacrymis inundantur, subinde conjunctiva oculorum est rubicunda et pupilla dilatata. Durat talis insultus spasmodicus initio tantum per pauca momenta, dein citius recurrit, majori intensitate et diutius durat; dum remittit, infans languet, facies et oculi collabuntur, pallescunt, alvi urinaeque excretiones sunt impeditae, non raro sequitur vomitus biliosus; non raro simul jungitur morbus cum ictero neonatorum, vel erysipelate, vel induratione cutis neonatorum.

§. 72.

Ex symptomatibus attente observatis facile cognoscimus trismum neonatorum praesentem, ad determinandam naturam ejus individualem etiam momenta pathogenetica eruere conamur. Subinde morbus congenitus est, statim post nativitatem comparet, dum sub partu cranio vel columnae vertebrali, inprimis cervicali violentia mechanica illata fuit, forte quod caput infantis diu in pelvi incuneatum haesit, quod per vectem vel forcipem caput violentius compressum fuit, et sic laesio ipsi cerebro molliori et medullae spinali illata est. Saepius sine omni laesione mechanica praegressa partu absoluto provocatur morbus per diversas potentias nocentes, subinde quod pars residua funiculi umbilicalis inflammatione corripitur, eaque extenditur in parietem abdominis muscularem, inde etiam in peritonaeum; subinde excitatur per meconium in tubo intestinali retentum, per lac nutricis quantitate et qualitate peccans, vel dum in defectu lactis humani lac alterius animalis, vel cibi alii ingeruntur neonato; subinde excitatur morbus per aërem corruptum, exhalationibus variis inquinatum, ut in nosocomiis parturientium male coordinatis; frequentius adhuc causam excitantem constituit refrigerium,

dum sub lotione corporis vel sub usu balnei refrigerium admittitur, dum porta fenestrisque apertis infans sufficienter non obtegitur, dum in aëre frigido ad distantiam majorem deportatur, et caput ejus tenerum aqua frigida perfunditur. Etiam in Indiis morbus endemicus frequentissime excitatur per refrigerium.

§. 73.

Morbus perfecte evolutus est periculosissimus, testantibus observatoribus summis Werlhof, Richter, Heim, J. Frank, Raimann, Jörg etc. semper letalis, et quidem frequenter intra viginti quatuor horas enecat, subinde tamen usque diem quartum excurrit. Morbus tamen incipiens subinde per therapiam rationalem feliciter sanari potest, quod testantur observatores eximii Hufeland, Henke, Schneider etc. et observatio hic instituta.

Therapia requiritur varia pro diversitate momentorum pathogeneticorum. In omni casu corpus denudatum infantis examinamus, ut statum organismi totius cognoscere valemus. Si detecta fuerit inflammatio partis funiculi umbilicalis, ne ea extendatur in peritonaeum, resolutionem procurare nitimur, quae obtinetur saepe per remedia blandissima, per unguentum simplex vel unguentum de uvis cum oleo amygdalarum dulcium recenti, cui admiscemus pauca grana florum zinci, vel per decoctum malvae aut althaeae, in quo solvuntur pauca grana sacchari saturni vel vitrioli zinci, et compressae madefactae applicantur funiculo inflammato. Si causam excitantem morbi constituerit saburra in ventriculo vel tubo intestinali haerens, quod infans ingessit per plures dies lac quantitate et qualitate peccans, vel cibum alium minus congruum, tunc indicatum est emeticum, tartari emetici granum unum solvimus in aquae communis uncia una, et omni media hora uno cochleari coffeaceo exhibemus, donec emesis una secuta fuit. Frequentius saburra haeret in tubo intestinali, subinde adhuc meconium e vita foetali residuum est, tunc purgantia blanda, ut syrupum cichorei cum rheo, vel syrupum mannatum, ve

quod praestat oleum lini recenter pressum, omni bihorio uno cochleari coffeaceo commendamus, donec alvi evacuatio bina terna-ve secuta fuit. Si cognoverimus causam excitantem trismi esse, quod denegato lacte humano cibi alii ingesti sunt, quos ventriculus tener infantis digerere non valet, tunc ad vitam infantis conservandam remotis aliis alimentis haud congruis, lac humanum medicina est. Subinde lac nutricis infanti haud convenit, quamprimum illud sugit, statim spasmis corripitur, tunc nutrix mutanda est.

Saepe infans utitur alimentis congruis, saburrae signa nulla comparent, sed morbus evolvitur vel ob refrigerium admissum, vel quod sub partu capiti vel columnae vertebrali violentia mechanica illata sit. In tali casu ex habitu infantis, ex colore cutis, turgore vitali, respiratione et pulsu cum probabilitate quadam definimus statum dynamico-organicum cerebri vel medullae spinalis, per quem trismus sustentatur. Non raro indicant omnia momenta, morbum produci per sanguinem in cerebrum vel medullam spinalem congestum, et pulpam nerveam irritantem, tunc hirudines duas usque quatuor applicamus retro aures, versus regionem occipitalem, et moderatam sanguinis evacuationem instituimus, alvo obstipa praesente commendamus calomelam, cujus granum unum miscemus cum sacchari albi drachma una, distribuimus in sex partes aequales, ut omni bihorio una absumatur. Morbo nedum remittente aegrum tenerum omni sexta hora imponimus per quadrantem horae balneo tepido; morbo diutius excurrente extremitatibus applicamus sinapismos.

Subinde tamen nulla signa congestionis energicae sanguinis detegere valemus, sed potius pallor cutis, turgor evanidus ostendunt debilitatem veram; in tali casu ab observatoribus maxime commendatur moschus, cujus granum unum mucilagine gummi arabici subactum miscemus cum aquae destillatae valerianae sylvestris, vel florum naphae uncia una, et omni bihorio uno cochleari coffeaceo exhibemus. Subinde prosunt spiritus cornu cervi simplex, vel

succinatus, asa foetida, ambra grisea, aether vitrioli dosi parva exhibita.

Dum infans deglutire haud valet, commendamus clysmata ex infuso florum chamomillae vulgaris vel radicis valerianae sylvestris, cum gummi asae foetidae q. s. vitello ovi subactae, vel cum guttis paucis spiritus cornu cervi, spinae dorsi inungimus linimentum volatile, vel spiritum aromaticum vel unguentum nervinum, cui addimus spiritum salis ammoniaci causticum et aetherem vitrioli. Morbo superato, ad impediendam recidivam causae nocentes sollicite evitari debent.

TETANUS.

§. 74.

Tetanus est morbus spasticus, qui extenditur per musculos plures organismi, atque per rigiditatem nimiam inductam, functiones vitae turbando, summum periculum adfert. Morbus hic sub tropicis in India utraque endemicus est, vulneri minimo sese adjungit; apud nos in genere rarior, tantum tempore bellorum frequentior observatur, fuitque morbus jam ab Hippocrate adnotatus, et ab Aretaeo exacte descriptus; ad naturam ejus illustrandam conamina recentiorum non parum contulerunt.

C. L. Bilfinger, de tetano liber singularis theoretico-practicus. Lindau. 1763.

W. Trnka de Krzowitz, Commentarius de tetano. Viennae. 1777.

J. C. Stark, Commentatio theoretico-practica de tetano, ejusque speciebus. Jenae. 1778, 1781.

J. B. Dazile, Observations sur le tetanos. Paris. 1788, 1792.

R. Worthington, a treatise on the dorsal spasm. London. 1792.

Siebold, Diss. observationes medico-chirurgicae circa tetanum, ejusque species praecipuas. Würzburgi. 1793.

Laurent, Mémoires cliniques sur le tétanos chez les blessés. Strasbourg. 1797.

Fournier de Pescay, du tétanos traumatique. Paris. 1803.

V. A. Stütz, Abhandlung über den Wundstarrkrampf. Stuttgart. 1804.

L. Valentin, Coup d'oeil sur les différents modes de traiter le tétanos en Amérique. Paris. 1811.

P. Ledechault, Diss. sur le tétanos en général, et particuliairement sur le tétanos traumatique. Paris. 1815.

L. A. Le saive, Diss. sur le tétanos des adultes. Paris. 1815.

J. Merison, Treatise on tetanus. Newry. 1816.

J. Swan, an essay on tetanus. London. 1825.

H. Ward, Observations on tetanus. London. 1825.

§. 75.

Symptomata tetani variant pro constitutione individuali aegri, pro constitutione atmosphaerae epidemica et endemica, et pro diversitate aliorum adjunctorum, quibus aeger expositus est; frequentissime observatur prima mutatio in vulnere, quod antea leniter inflammatum, cruentum, aut in suppuratione constitutum incipit exsiccari, livescere et gangraenescere, dein persentit aeger subito tensionem dolorificam in cervice, in nucha, ut motus colli impeditus sit; sensus tensionis et constrictionis extenditur versus regionem sternalem usque regionem xyphoideam, et inde oblique per truncum versus columnam vertebralem ita, ut summe probabile sit, diaphragma spasmo constrictum esse; mox observantur spasmi in musculis faciei et labiorum oris, ut jam spasmus cynicus, jam risus sardonius conspiciatur, quibus praegressis maxilla evadit subito immobilis, et trismus adest. Spasmi aliquo tempore durantes saepe cessant, sed iterum revertuntur, atque per musculos plures organismi extenduntur; subinde musculi omnes voluntarii trunci et spinae dorsi, et extremitatum spasmo tonico correpti sunt, et tunc corpus totum instar trunci rigidum et immobile est, dicitur tetanus universalis. Saepe musculi complures a morbo intacti manent, dum alii violenter con-

trahuntur, et quidem subinde musculi spinae dorsi et extremitatum inferiorum anteriores spasmo tonico laborant ita, ut mentum sit pectori firmiter appressum, et totum corpus antrorsum versus incurvatum rigidum, dicitur tetanus anterior seu emprosthotonus; subinde spasmo simili corripiuntur musculi spinae dorsi et extremitatum posteriores, et tunc corpus incurvatum est postrorsum versus ita, ut subinde innitatur vertici capitis et calcaneis, vel apicibus digitorum pedum, dicitur opisthotonus; subinde musculi lateris unius spasmo tali corripiuntur, et corpus in latus unum inclinatum est, vocatur tetanus lateralis seu pleurothotonus.

Forma tetani visu et tactu cognosci, et ab omni alio morbo distingui potest, ad naturam tamen individualem definiendam etiam alia symptomata sese manifestantia attente colligi debent. Saepe musculi spasmo affecti sunt indolentes, saepe autem doloribus simul intensis vexantur, ut hoc inprimis in tetano traumatico adnotatur. Subinde praeter contractionem spasmodicam in musculis voluntariis obviam nulla alia phaenomena morbosa observantur; aeger gaudet conscientia sui plena, respiratio et circulatio non sunt perturbatae, febris phaenomena nulla, appetitus cibi bonus, licet deglutitio impedita sit. Casus tamen tales sunt rariores, nam frequentius extenduntur spasmi etiam in musculos involuntarios, ideo aeger conqueritur de respiratione difficili, pectoris oppressione nimia, dyspnoea, anxietate, inquietudine; ob contractionem violentam musculorum abdominalium abdomen est tensum et rigidum; non raro vexant aegrum nausea, vomituritio, vomitus, alvi et urinae evacuatio impedita; subinde spasmus tonicus extenditur in genitalia, ideo in viris contingit erectio violenta penis et et subinde ejaculatio seminis; saepe nulla symptomata febris observantur, saepe tamen calor animalis per vices exaltatus, per vices imminutus, color cutis, inprimis in facie, jam magis rubet, jam pallet, pulsus arteriarum jam frequentior, jam tardior; subinde etiam aeger delirat, atque tunc eorum, quae contingunt sub insultu tardius haud meminit.

§. 76.

Ad diagnosim perfectam construendam exquirimus semper etiam momenta, per quae morbus inducitur et sustentatur. Frequentissima causa excitans est vulnus, quod non tantum tempore belli, sed etiam tempore pacis infertur, subinde per ipsos medentes, dum operationes cruentae, amputatio, castratio suscipiuntur, dicitur tetanus traumaticus. Sed etiam sine omni vulnera evolvitur, subinde post refrigerium admissum, subinde per saburram in tubo alimentari haerentem, inprimis per vermes intestinales, subinde per profluvia habitualia suppressa; non raro est symptoma alterius morbi, ut encephalitidis, myelitidis, typhi contagiosi Europaei, febris intermittentis perniciosae, saepe cholerae Asiaticae, subinde hypercinesiae hystericae.

§. 77.

Pro diversitate momentorum enumeratorum diversus est decursus et exitus tetani; non raro est continuus continens, saepe remittens, subinde intermittens. Dum tetanus symptoma constituit hypercinesiae hystericae, facile vincitur, et non raro sponte disparet; dum profluvio habituali suppresso exoritur, illo restituto cessat; dum per saburram in tubo alimentari haerentem provocatur, post evacuationem sufficientem evanescit; sed dum excitatur per alias causas, per refrigerium, vel per vulnus nervum feriens, tunc periculosissimus est; spasmis semper increscentibus, utplurimum inter symptomata apoplexiae exstinguitur aeger. Hippocrates docet, tetanum intra quatuor dies letalem esse, eos, qui quartum diem superarunt salvari; quae prognosis per observationes recentiores non comprobatur; non raro morbus excurrit in diem septimum, decimum quartum, vigesimum, imo trigesimum, et tamen aeger succumbit; ideo in singulo casu individuali pronunciamus prognosim quam maxime dubiam, statum aegri esse periculosissimum, cum definire haud valeamus statum illum

dynamico-organicum abnormem, per quem in organismo tetanus sustentatur.

In tetano traumatico summa cum probabilitate evolvitur processus dynamico-organicus abnormis, et quidem inflammatorius in nevrohymene et medulla nervi, qui processus abnormis extenditur in ipsam medullam spinalem, quod comprobant sectiones pathologicae frequenter in Indiis factae, nam vestigia inflammationis et secretionis detecta sunt; eandem sedem et naturam morbi in tetano a refrigerio inducto docent et symptomata in vivo, et phaenomena in cadavere. Morbus terribilis sibi relictus fere semper letalis, saepe praecaveri, et evolutus sanari potest.

§. 78.

Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus forte adhuc praesentibus; ideo si cognoverimus morbum provocari per saburram, tunc prout signa adfuerint saburrrae turgescentis medicina jam emetica, jam purgans, jam anthelminthica indicata est; Angli maxime commendant oleum ricini, oleum terebinthinae et calomelam, quae virtutem possident tam purgantem, quam anthelminthicam. Si tetanus secutus fuerit post suppressionem profluvii cujusdam habitualis, tunc eidem restituendo cura impendi debet; si tetanus est symptoma alterius morbi, tunc hujus curam suscipimus; sic febrim intermittentem perniciosam tetanicam feliciter sanamus cortice cinchonae et opio; si symptoma constituerit hypercinesiae hystericae, tunc subinde sine omni pharmaco per magnetismum animalem, vel per dosim refractam ipecacuanhae, extractum hyoscyami, valerianam, camphoram, castoreum, moschum feliciter sanatur.

Tetanus a refrigerio excitatus non raro acutissimus morte terminatur; incipiens et mitior subinde sanatur per calorem moderatum externum, balneum tepidum, cui aeger quotidie per mediam horam bis imponitur, per fomenta aut cataplasmata emollientia secundum longitudinem spinae dorsi applicita, per infusum tepidum florum chamomillae,

sambuci, tiliae cum spiritu Mindereri, cum opio et ipecacuanha dosi parva, post quorum remediorum usum sudore universali prolicito incrementa morbi gravis feliciter impediuntur.

Frequentissimus est tetanus traumaticus, cujus evolutio saepe impediri potest per curam prophylacticam, si removentur omnia, quae vulnus irritare, inflammationem excitare, vel suppurationem pravam inducere possunt. Ideo sauciato tali quies corporis et animi procuranda, alimenta nonnisi blandissima porrigenda, de aëris puritate ac siccitate sollicitudo omnis adhibenda, et quidquid animum prosternere valeat arcendum, emplastra et unguenta acria rejicienda sunt. Si forte nervi tantum transscissio partialis dolorem et inflammationem sustentat, tunc nervus integer transcindi debet. Si vulnus illatum fuit parvum, et per influxus physicos ac psychicos redditur impurum, non pus blandum sed ichorem acrem secernens, per cujus resorptionem tetanus provocatur, tunc docente Larrey vulnus tale impurum parvum contingi debet ferro candente vel caustico, ut superficies pura reddatur, et per hoc remedium saepe evolutio morbi terribilis impedita fuit. Si vero vulnus contusum est ita, ut fracturae et dislacerationes partis metum justum excitent sphaceli futuri, tunc remedium maxime securum ad evitandum tetanum est amputatio partis illius, quam Larrey statim post praelia frequenter successu felicissimo perfecit.

Dum cura prophylactica adhiberi non potuit, et tetanus jam evolutus est, tunc indicationem curae dirigimus contra processum dynamico-organicum abnormem, per quem ut causam proximam tetani phaenomena provocantur. Observationes tam in Indiis, quam in Europa factae probant, causam proximam tetani et traumatici, et illius qui a refrigerio excitatur, esse processum inflammatorium in parte majori vel minori medullae spinalis productum, atque in tali casu methodus anti-phlogistica strictissima, evacuatio sanguinis, subinde universalis repetita, et topica per hirudines vel cucurbitulas cruentas secundum longitudinem spinae

applicitas est summe necessaria. Remedium tamen hoc heroicum caute intensitati inflammationis accomodari debet, secus emolumentum nullum aliud praestat, quam quod aegrum citius a miseriis vitae liberet. Nam saepe nec in tetano traumatico inflammatio eminens locum habet, tantum hypercinesia exaltata sustentat statum morbosum, quae non tollitur per sanguinis evacuationem, sed per alia remedia; et quidem subinde in Indiis summa cum utilitate adhibita fuit perfusio aegri cum aqua frigida, vel applicatio fomentorum frigidorum secundum longitudinem spinae dorsi; majorem utilitatem praestitit hydrargyrum, dum deglutitio possibilis est, calomela ad grana duo omni bihorio exhibita, secus unguenti hydrargyri cinerei drachma semis usque unam inungitur longitudini spinae dorsi omni tertia hora. Remedium tamen his praestantius, et ab omnibus observatoribus laudatum est opium, cujus ope tetanus gravissimis symptomatibus stipatus, praemissa sanguinis evacuatione, dum illa indicata fuit, vel etiam sine illa, dum inflammationis nulla phaenomena observata sunt, feliciter sanatus est, daturque tunc dosi magna, granum nempe unum pro dosi hamaphagica, et augetur omni bihorio dosis grano semis, donec symptomata morbi non remiserint. Saepe hoc narcoticum princeps sufficit ad morbum omnem tollendum, subinde tamen ob circumstantias individuales aegri etiam alia remedia adhibenda sunt; ita observatores referunt casus, in quibus tetanus a refrigerio inductus opio in connubio cum moscho, in aliis cum camphora, castoreo vel ammonia feliciter sanatus est; semper tamen virtutem eminentem exerit opium, quod si deglutiri non possit, adhibetur in clysmate, vel applicatur etiam cuti; secundum observationes recentiores cutis denudatur sive per emplastrum cantharidum, sive per aquam bullientem, atque cuti denudatae applicatur acetas morphii ad plures partes secundum longitudinem spinae dorsi.

Tempore belli Gallico-Austriaci Stütz per experimenta physiologica ab A. Humboldt provocatus contra tetanum traumaticum saepe letalem proposuit methodum

novam, quae consistit in usu alterno opii, et kali carbonici. Praescribit nempe kali carbonici drachmam semis usque unam, solve in aquae destillatae unciis sex, et inde omni bihorio duobus cochlearibus sumatur; hora intermedia exhibeatur opii granum unum, augeaturque dosis successive ad grana duo usque quatuor. Praeter haec imponatur aeger quotidie per mediam horam balneo tepido, parato ex aqua simplici, cui immisceatur cinis clavellatus tanta quantitate, ut sapor aquae sit alcalinus; in morbo graviori admisceatur kali caustici uncia semis usque unciam unam. Aër sit siccus et purus, alimenta porrigantur bona et blande nutrientia, concedatur dosis moderata vini boni ad animum exhilarandum. Methodus haec per observationes complures felices probata, specifica tamen dici non potest, testante Horn in nosocomio Berolinensi effectu salutari destituebatur, dum per doses magnas opii aegri salvabantur.

Dum post usum remediorum indicatorum observamus symptomata morbi decrescere, tunc dosim remediorum, inprimis opii imminuimus, nec tamen illico seponimus, secus morbus facile revertitur.

Subinde sub cura morbi remediis laudatis rebelli ad processum abnormem in medulla spinali tollendum proficua sunt antagonistica, cuti applicanda, ut emplastrum cantharidum; in Indiis, referente Hasper frequentissime adhibetur ferrum candens ad utrumque latus medullae spinalis.

Morbo superato reconvalescentia saepe brevis est, nullam ulteriorem curam requirens, subinde tamen remanet debilitas, quae exigit methodum roborantem.

HYDROPHOBIA.

§. 79.

Hydrophobia est species spasmi tonici maxime terribilis, secundum etymologiam vocis est horror aquae; ae-

ger nempe hoc morbo correptus vexatur siti nimia, dum autem liquidum ori ingerit, illud deglutire non valet, quia pharynx constringitur spasmo tonico vehementissimo, cui saepius revertenti accedunt etiam spasmi in reliquo organismo, jam tonici jam clonici, frequentissime cum delirio. Nec tantum aqua sola inducit symptomata illa periculosa, sed liquidum omne; propterea habet aeger horrorem erga omne liquidum, ideo morbus jam ab antiquis et recentissime a C. Sprengel vocatur *hygrophobia*.

Relate ad formam diagnosis morbi facilis est, sed sub eadem forma natura morbi diversa est, partim ob constitutionem individualem aegri, inprimis autem ob indolem diversam causarum excitantium, atque hoc respectu distinguuntur species plures hydrophobiae. Subinde observatus fuit morbus evolutus post actionem caloris intensi, ut post ardorem solis nimium, subinde post refrigerium calente corpore admissum, subinde post deglutita venena, inprimis belladonnam et daturam stramonii, in uno casu post esum fructuum fagi; frequentius excitatus fuit morbus post animi affectum vehementem, iram et terrorem; ita non pauci qui mordentur a cane vel alio animali haud rabido incidunt in morbum tantum ex terrore, atque talis hydrophobia vocatur originaria, primaria, protopathica. Non raro constituit hydrophobia symptoma alterius morbi, ut isthmitidis gravis, gastro-enteritidis, encephalitidis, myelitidis, febris cum charactere nervoso, febris intermittentis perniciosae, tetani traumatici, atque tunc vocatur hydrophobia symptomatica. Distinguuntur duae illae species a tertia, quae vocatur hydrophobia contagiosa, qualis nunquam evolvitur originarie in homine, sed excitatur per contagium specificum, ab animali rabido communicatum. Cum symptoma praecipuum hujus morbi tam in animali, quam in homine sit rabies, quae Graecis vocatur *Lyssa*, ideo morbus ab antiquis appellatur *Lyssa*, a Latinis rabies, quia frequentissime evolvitur in canibus, et ab his communicatur hominibus, ideo vocatur *cynolyssa*, Latinis rabies canina, a plurimis tamen retinetur de-

nominatio hydrophobiae contagiosae, quem morbum jam antiquis temporibus occurrisse, opera Homeri docent, inter medicos primus morbum descripsit Cornelius Celsus, dein Coelius Aurelianus, qui refert morbum jam Democrito, Hippocrati coaevo, et anatomiam comparativam exercenti notum fuisse; natura tamen morbi exactius investigata fuit tantum seculo XVIII et initio seculi XIX.

J. A. Hofmann, Rabiei caninae ad Celsum usque historia critica. Lipsiae. 1827.

C. Nugent, Essay on the hydrophobia. London. 1753.

A. Bruce, Diss. de hydrophobia. Edinburgi. 1755.

R. James, Treatise on canine madness. London. 1760.

D. P. Layard, Essay on the bite of a mad dog. London. 1762, 1768, 1772.

C. Pouteau, Essai sur la rage. Lyon. 1763.

F. B. de Sauvages, Diss. sur la nature et la cause de la rage. Paris. 1771.

J. Vaughan, Cases and observations on hydrophobia. London. 1778.

F. Asti, Compendio di notizie interessanti circa il veleno di rabbiosi animali. Mantoua. 1778.

A. Portal, Observations sur la nature et le traitement de la rage. Iverdun. 1779. Alençon. 1780.

— Bemerkungen, über die Natur und Heilung der Wuth vom Bisse toller Thiere. Leipzig. 1782.

A. Leroux, Diss. sur la rage, qui a remporté le premier prix de la Société de Médecine. Paris. 1783.

— Über die Wuth, eine Preisschrift. Tübingen. 1795.

K. L. F. Andry, Recherches sur la rage. Paris. 1780.

— Untersuchungen über die Wuth nach dem Bisse toller Thiere. Leipzig. 1785.

M. Mederer, Syntagma de rabie canina. Friburgi. 1783.

R. Hamilton, Remarks on hydrophobia. London. 1785, 1798.

K. F. Bader, Versuch einer neuen Theorie der Wasserscheu. Frankfurt und Leipzig. 1792.

J. Mease, an essay on the disease produced by the bite of a mad dog. Philadelphia. 1793.

W. Hildenbrand, ein Wink zur nähern Kenntniss und sichern Heilart der Hundswuth. Wien. 1797.

J. C. Rougemont, Abhandlung über die Hundswuth. Frankfurt. 1798.

Zinke, neue Ansichten der Hundswuth. Jena. 1804.

T. W. G. Benedikt, Ideen zur Begründung einer rationellen Heilmethode der Hundswuth. Leipzig. 1808.

J. Fothergill, Abhandlung über die Krankheit, die durch den Biss eines tollen Hundes veranlasst wird. Wien. 1810.

J. Wendt, über den tollen Hundsbiss. Breslau. 1811.

J. Thatcher, Observations on hydrophobia, produced by the bite of a mad dog. Plymouth. 1812.

J. F. A. Lalouette, Essai sur la rage. Paris. 1812.

J. H. Masius, von der Hundetollheit, und Wasserscheu. Rostock. 1815.

H. A. Göden, von der Bedeutung und Heilung der Wasserscheu. Breslau. 1816.

L. F. Trolliet, nouveau traité de la rage. Lyon 1820.

J. C. Ribbe, Natur und medizinische Geschichte der Hundswuthkrankheit bei Menschen und Thieren, und deren Heilung. Leipzig. 1820.

Ziegler, neue Ansichten von der Hundswuth oder dem Blutdurste. Regensburg. 1820.

F. W. Sieber, über die Begründung der Radical-Cur ausgebrochener Wasserscheu. München. 1820.

A. F. C. de St. Martin, Monographie sur la rage. Paris. 1823.

— Monographie der Hundswuth. Ilmenau. 1824.

M. Marochetti, Observations sur l' hydrophobie. St. Petersbourg. 1825. (Magendie, Journal de Physiologie 1825. Juillet.)

F. C. K. Kriegelstein, die Geschichte der Hundswuth und der Wasserscheu, und deren Behandlung. Gotha. 1826.

Hertwig, Beiträge zur nähern Kenntniss der Wuthkrankheit, oder Tollheit der Hunde. Berlin. 1828.

Murray, Remarks on the diseases called hydrophobia. London. 1830.

Youatt, on canine madness. London. 1830.

C. G. Prinz, die Wuth der Hunde als Seuche, nach eigenen Beobachtungen geschildert. Leipzig. 1832.

§. 80.

Rabies observatur in diversis animalibus, ut equis, asinis, bovibus, vaccis, ovibus, porcis, imo etiam in altilibus, sed an in his originarie evolutus sit, observatione omni fide digna haud constat; secundum observationes huc usque factas morbus originarie evolvitur in canibus, felibus, lupis et vulpibus, frequentissime in cane domestico, propterea vocatur rabies canina. In singulis animalibus observantur symptomata aliqua diversa, per naturam propriam animalis determinata; imo aliqui observatores praetendunt, etiam morbum ab animalibus homini communicatum esse distinctum pro diversitate animalis; ideo M. Good adnotat, in homine duas species rabiei locum habere, felinam et caninam, asseritque rabiem a catto fele inductam esse mitiorem, et diutius excurrentem, illam vero a cane excitatam esse symptomatibus atrocioribus stipatam, et celerius decurrere, quae differentia tamen ab aliis observatoribus adnotata non fuit.

Origo morbi in animalibus, in specie in cane nedum potuit exacte definiri; Ribbe asserit, morbum in Europa haud evolvi originarie, sed patriam contagii esse Asiam vel Africam, ubi generantur etiam alii morbi contagiosi, pestis, variolae, morbilli, et inde in reliquum orbem propagantur; ita etiam contagium rabiei fuisse in Europam delatum, et nunc per infectionem continuam sustentari. Sed antiquissimi medici in Asia et Africa artem exercentes nullam descriptionem rabiei dederunt, nec Aristoteles ingeniosus et indefessus naturae observator; etiam recentiores observatores, ut Larrey, qui cum Napoleone in Africa et Asia fuit, et Sieber, qui itinera instituit per partem majorem Asiae ac Africae, et Anglus Thomas, qui multis annis medicinam exercuit in India orientali, testantur, rabiem caninam in provinciis illis esse rarissimam, unde concludimus, contagium hoc non esse exoticum ex Asia vel Africa adlatum, sed ubique generari, quemadmodum generantur alii morbi contagiosi hominum et animalium.

Causae in canibus morbum excitantes assignantur variae, scilicet ab aliquibus accusatur calor externus excessivus, ab aliis frigus intensum, ab aliis denegatus cibus et potus, alimenta corrupta, putrida, ab aliis impeditum exercitium Veneris. Per momenta enumerata canes quidem incidunt in morbos, nec tamen in rabiem; observatio docet, sub zona torrida morbum esse rariorem, ita etiam sub zona frigida in Grönlandia, Islandia et Kamtsatka canes dantur copiosi et magni, morbus tamen rarissimus est, unde patet, causam excitantem morbi nec calorem excessivum, nec frigus intensum constitui posse; frequentissime morbus occurrit in zona temperata, et omni anni tempore. Nec repeti potest morbus ab alimentis et potulentis deficientibus, vel corruptis, nam experimenta copiosa in schola veterinaria Altorfensi instituta docent canes longo tempore fame vexari, carnibus putridis et aqua putrida ali posse, quin rabies compareat; ita in Aegypto canes copiosi nutriuntur cadaveribus, et tamen rabies rara est. Nec impeditum exercitium Veneris propterea, quod numerus canum masculorum major est, pro causa unica morbi assignari potest, nam exercitium Veneris canibus non tantum in Turcia sed etiam apud nos liberum est, et adhuc magis inter lupos et vulpes, et tamen morbus gravissimus inter eos erumpit. Ideo ex observationibus omnibus collectis nobis maxime probabile est, ad evolutionem morbi hujus requiri peculiarem constitutionem atmosphaerae, cum observatio docet, rabiem caninam certis temporibus esse valde frequentem, aliis rarissimam; per constitutionem eam contingit in organismo canis mutatio talis, ut dispositio peculiaris in rabiem exoriatur, et tunc potentiae nocentes variae, jam calor jam frigus excessivum, jam defectus alimenti et potulenti, jam qualitas eorum mala, jam exercitium Veneris violenter impeditum, jam animi affectus, ut inprimis ira, dum canes irritantur, verberantur, provocant morbum terribilem.

§. 81.

Morbus in ipsis canibus pro diversa constitutione individuali diversa habet symptomata; saepe tria stadia distingui possunt, primo melancholicum, secundo furiosum, tertio paralyticum, quorum duratio variat et pro diversitate temporis, et diversa indole epidemiae; subinde jam intra 24 horas morte terminatur, subinde in diem quintum usque septimum excurrit morbus.

In stadio primo exhibet canis modum suum agendi totum mutatum, pauci evadunt alacriores, magis excitati, ad motus suos consuetos promtiores, plurimi conspiciuntur esse solito tristiores, morosiores, heris suis obediunt adhuc sed minus promte, et sunt valde irascibiles, propterea citius latrant et mordent, appetitus cibi est imminutus, alvus obstipa, inquietudine nimia anguntur, solitudinem et tenebras quaerunt. Neque tamen symptomata enumerata ita specifica sunt, ut ex illis concludere possimus ad rabiem futuram, plures morbi canum inchoant symptomatibus similibus, duratque hoc stadium melancholicum subinde per paucas horas, saepe per tres usque quinque dies, dein comparet morbus evolutus, seu

Stadium furiosum, in quo canis est summe inquietus, non manet in uno loco, sed currit per loca ignota, linea jam recta, jam curva, hero suo amplius non obedit, imo et illum mordet, nisum peculiarem mordendi habet, non tantum animalia et homines, sed proprium etiam corpus mordet, subinde carnes proprias dislacerat; appetitus cibi est totus prostratus, siti torquetur nimia; nec aquam, nec aliud liquidum horret, sed avidissime deglutit et lambit; saepe, tamen deglutire non valet, quia saliva et mucus per membranam mucosam cavi oris quantitate majori secretus continuo ex ore effluunt, ideo os est apertum, et lingua pro parte protrusa; subinde pili ob spasmum tonicum musculorum subcutaneorum sunt erecti; vox est semper sub hoc stadio peculiariter mutata, rauca et anxia; delirium subinde remittit, et tunc canis

iterum domum revertitur, apparet tranquillus, quies tamen haec brevis est, et transitoria, mox iterum revertitur delirium furiosum, atque ita stadium hoc durat subinde tantum per viginti quatuor horas, saepius tamen excurrit per duos usque quinque dies.

In stadio tertio paralytico, debilitate increscente canis titubat, currere amplius non valet, extremitates posteriores cito paralysi afficiuntur, ideo concidit, et inter convulsiones exstinguitur.

Ne in diagnosi error committatur, oportet attentionem dirigere in omnia symptomata, et quidem secundum observationes exactas a Hertwig factas distinguitur in cane rabies duplex, furiosa et tacita.

Signa rabiei furiosae sunt:

1mo. Statim sub exordio primo canis immutat modum suum agendi, aliqui evadunt sensibiliores, apparenter jucundiores, ad officia sua consueta perficienda alacriores, sed facile irascuntur; alii sunt pigriores et morosiores, quae tamen symptomata continuo variant.

2do. Multi statim delectantur objectis frigidis, ideo lambunt catenas, lapides et nasum alterius canis sani.

3tio. Inquietudinem ostendunt peculiarem, nullibi manent diu, sine scopo cursitant hinc inde, subinde inquietudo illa remittit, et canis pacatus in tenebris jacet, sed iterum revertitur, et morbo increscente canis e domo aufugit ad plura etiam milliaria, inprimis si irritatur, vel verberatur; inquietudine silente iterum domum revertitur.

4to. Conscientiam sui retinent usque pauca momenta ante mortem, initio hero suo obtemperant, quae obedientia cum morbi incremento decrescit.

5to. Appetitus cibi inprimis erga alimenta solida statim imminuitur, paucissimi tantum canes aliquid comedunt.

6to. In delirio tamen ingerunt ori varia, quae in statu sano haud contingunt, ut lignum, stramen, corium, lanam, frustula vitri, non raro propriam urinam et excrementa.

7mo. Aquam et alia liquida et videre et bibere possunt, aliqui avide quaerunt, alii minus sitiunt, aliqui aquam lambunt, sed deglutire non valent ob tumorem faucium, linguae et pharyngis, sed hydrophobi non sunt.

8vo. Nec horrent lucem, splendorem et aërem, licet aliqui sensibilitatem majorem habent erga lucem intensiorem, ideo quaerunt loca tenebricosa.

9no. Omnes laborant alvo obstipa.

10mo. Stimulum Veneris exaltatum non ostendunt.

11mo. Signum maxime characteristicum est vox et latratio peculiaris, jam altior, jam profundior quam in statu sano, sed semper rauca et anxietatem peculiarem exprimens ita, ut experti ex solo latratu, quin videant, canem rabidum cognoscant.

12mo. In plurimis citius vel tardius comparet propensio singularis mordendi, initio cattos, dein canes, tandem homines, frequentissime mordent alterius animalis os et genitalia.

13tio. Multi ore aperto aërem captant, ac si muscas captarent, quae tamen nullae adsunt.

14to. Habitus externus primo die morbi vix apparet mutatus, sed secundo vel tertio die evadunt oculi rubicundi et erga lucem sensibiliores, cutis in fronte et supra oculos contrahitur in rugas parvas, ideo apparent somnolenti et morosi, tardius redduntur oculi languidi, quasi pulvere subtili inspersi.

15to. Os plurimorum est siccum sine spuma.

16to. Caudam initio more solito gerunt, tantum morbo increscente languidiores eandem laxe dependentem habent, minime versus abdomen retractam.

17mo. Sub exordio morbi incedunt more solito, morbo increscente evadunt debiliores, ideo titubant, et inprimis extremitates posteriores redduntur paralyticae.

Signa rabiei tacitae observata sunt sequentia:

1mo. Canes evadunt solito magis pacati et tristes.

2do. Maxilla inferior ut paralytica dependet, ideo os plus minus-ve apertum est.

3tio. Ideo deglutire non valent, ne liquidum quidem, quod moleste ori ingerunt, id iterum excidit.

4to. Propterea etiam saliva saepe ex ore effluit.

5to. Propterea tales canes minus mordere possunt.

6to. Propensio mordendi comparet in gradu minori.

7mo. Ita etiam inquietudo et propensio aufugiendi minor est.

8vo. Saepe apex linguae aliquantum intra dentes ex ore propendet.

9no. Vox ita peculiariter mutata est, ut in rabie furiosa.

10mo. Nec in hac specie observatur hydrophobia, nec aërophobia, sed appetitus cibi nullus, et emaciatio corporis citissime increscens.

Species hae duae rabiei ab invicem essentialiter distinctae non sunt, differentia tantum producitur per constitutionem individualem canis, nam experimenta docent, contagium ex uno eodemque cane desumtum, et aliis canibus communicatum in aliquibus produxisse rabiem furiosam, in aliis taciturnam.

Sub forma utraque morbus spatio 24 horarum usque octo dierum morte terminatur, et in cadavere observata sunt sequentia phaenomena:

1mo. Cuti detracta venae cutaneae et totius corporis repletae sunt sanguine atro.

2do. Color musculorum non est ita laete ruber, ut canis sani mactati, nec tamen aliquid peculiare ostendit.

3tio. In cerebro, medulla oblongata et spinali tam in meningibus, quam in substantia medullari conspicitur sanguinis copia major, sed sine inflammatione; aliqui observatores in nervo vago et in nervo recurrente Willisii adnotarunt congestionem sanguinis majorem, imo statum phlogisticum.

4to. Labia oris sunt aliquantum tumida, superficies interna rubicunda et sicca.

5to. Lingua in genere non est tumida, sed in superficie muco spisso et sicco tecta.

6to. Glandulae salivales omnes sunt saepe flavicante colore tinctae, nec tumidae, nec sanguine repletae.

7mo. Cavum faucium est muco tenaci in choanas extenso repletum.

8vo. Pharynx detegitur contracta, humida, non raro tumida et rubra.

9no. Oesophagus est usque in ventriculum pallidus et humidus sine ulla laesione.

10mo. Ventriculus detectus est semper abnormis, in superficie externa rubicundus, in superficie interna est versus pylorum obscure ruber et crassior, quod inflammationem praegressam indicat, continetque liquida mucosa, rubicunda, flavicantia, virescentia, frusta ligni, lapillos, stramen, lanam, corium, raro alimenta.

11mo. In tubo intestinali, inprimis in duodeno semper adsunt signa praegressae inflammationis.

12mo. In hepate, omento, mesenterio, pancreate, renibus, glandulis suprarenalibus, vesica urinaria, in vasis et nervis abdominalibus nullum abnorme detegitur.

13tio. Nec in liene, testante Hertwig, sed adnotante Prinz, saepe lien magis tumet, sanguine purpureo repletum.

14to. Larynx, inprimis epiglottis in superficie interna rubet.

15to. Etiam tracheae superficies interna est rubicunda.

16to. Pulmones multo sanguine repleti, et subinde inflammati occurrunt.

17mo. In pericardio nulla mutatio adnotatur.

18vo. Cor flaccidum, sanguine repletum, sed sine inflammatione est.

19no. In vasis majoribus nulla mutatio observatur.

20mo. Nervus vagus et sympatheticus magnus subinde magis rubicundi conspiciebantur.

21mo. In genitalibus utriusque sexus nulla mutatio observata est.

§. 82.

Per morbum in cane, lupo, vulpe vel catto originarie evolvitur contagium specificum, ut materia subtilis imponderabilis, per instrumenta physica et chemica haud determinanda, tantum ex effectu, quem exerit in alio animali, cui communicatur, cognoscenda. Non defuerunt medici, qui contagium rabiei retulerunt ad figmenta et producta imaginationis medicorum, quod morbus gravis post morsum animalis cujusdam provocatur tantum per terrorem solum. Negari haud potest, per terrorem excitari symptomata illi rabiei analoga, subinde etiam letalia, quod tamen terrori soli genesis morbi adscribi haud possit, hoc observationes extra dubium ponunt; non tantum animalia timida, ut aves et lepores, sed etiam fortissima, quae terreri non possunt, ut tauri post morsum ab animali rabido inflictum in morbum eundem incidunt; sic inter homines non tantum infantes, pueri, mulieres, sed etiam viri robustissimi nullam morbi cognitionem habentes, qui cum animali luctantur, et illud trucidant, omni licet metu absente, tamen morbo eodem corripiuntur, unde concludere debemus, non per terrorem, sed per contagium ope morsus animalis rabidi communicatum provocari morbum specificum. Aliqui defenderunt, contagium specificum haud necessarium esse, cum sola saliva animalis ira vehementi exagitati mutationem talem subeat, ut vulnus inducatur venenatum, adnotanturque observationes complures, quod animalia sana in iram vehementem concitata, ut gallus gallinaceus et homo iratus morsum intulerint letalem; fuerint-ne symptomata omnia hydrophobiae contagiosae per talem morsum evoluta, observationes exactae desiderantur, estque summe probabile, per morsum animalis irati, ob laesionem nervis illatam, excitari tetanum cum trismo maxillae inferioris nexum, qui morbus formam refert hydrophobiae contagiosae, ab ea tamen natura differt. Quod ab animali rabie affecto contagium alteri communicari possit ita, ut morbus specificus terribilis provocetur, hoc per observationes omnis aevi

comprobatum est; illud in dubium vocatum est, sit-ne morbus per morsum animalis rabidi productus etiam ita contagiosus, ut in alio animali iterum morbum eundem excitare valeat, sed experimenta complura hoc dubium resolverunt; Hertwig ex uno cane inoculavit contagium pluribus animalibus, ex his iterum aliis, et morbum produxit semper eundem. Bernt inoculavit ex bove per morsum canis rabido, evolvebaturque morbus terribilis. Magendie et Brechet desumserunt contagium a homine, communicarunt canibus, et morbus terribilis ope inoculationis successivae per totum annum sustentatus fuit in schola veterinaria Altorfensi. Contagium ergo virtutem suam deletoriam retinet, etiamsi per plura animalia transeat. Vehiculum contagii praecipuum constituit saliva, mucus oris, faucium et tracheae; opinio vulgaris fuit, contagium tantum contineri in saliva et muco oris, ideo in America septentrionali et in Hungaria apud rusticos consuetudo viguit, dum vaccae, boves in morbum hunc inciderunt, animalis mactati caput in terram defodere, reliquam autem carnem in cibum convertere; possibile quidem est, ut sub exordio morbi status venenatus tantum restrictus sit ad liquida secreta cavi oris, sed nullum plane criterium habemus, quo definire possemus, quamdiu hoc locum habeat, morbo enim increscente totum corpus animalis est infirmum, et partes omnes sunt de contagio suspectae. Experimenta Hertwigii et Magendii probant, ipsum sanguinem contagio inquinatum esse ita, ut ope sanguinis solius etiam morbus animali sano communicari possit, et ope sanguinis per totum corpus distributi partes omnes animalis tam solidae, quam fluidae contagio infici possint. Hertwig per diversas partes animalis rabidi, ut musculos, glandulas, particulas viscerum diversorum intra cutim vulneratam animalis sani applicitas produxit rabiem, tantum pars medullaris cerebri et medullae spinalis destituebatur hac noxia virtute.

Quamprimum in animali signa aliqua rabiei se manifestant, illico contagium evolvitur, nam per morsum talis animalis statim provocatur morbus specificus; nec morte

subsecuta statim exstinguitur vis contagii, partes cadaveris tam solidae, quam fluidae longiori tempore retinent vim inficiendi. Frequentissime communicatur contagium aliis animalibus sanis per morsum: nec tamen talis semper necessarius est, exempla habemus contagii sine vulnere communicati; sic refertur exemplum mulieris, quae vestem a cane rabido laceratam consuebat, et quae filum, quod contigit saliva ejus animalis, ore tenebat, incidit in morbum letalem. Youatt refert de medico, qui demandavit, ut canis ejus dilectus, rabie correptus, trucidetur, prius tamen illum osculatus est, paulo post incidit in hydrophobiam letalem. Idem refert de viro, qui postquam dentibus nodum funis solverat, hydrophobia letali correptus est; facta inquisitione innotuit, fune illa canem rabidum fuisse ligatum. Nullum ergo dubium est, contagium hoc adhaerere etiam aliis rebus, ut vestimentis et utensilibus, vimque suam inficiendi retinere longiori tempore. Est contagium hoc fixum, non volatile; ideo medicus aegrum hoc morbo terribili affectum potest secure accedere, et rite investigare, tam in vivo, quam in cadavere, ut naturam morbi adhuc multum obscuram forte ingenio suo felici illustret; tantum evitare debet, ne mordeatur, vel saliva aegri conspurcetur.

§. 83.

Contagium animali alteri communicatum non producit semper morbum; requiritur enim simul dispositio peculiaris, qua non omne animal, nec omni tempore instructum est; ideo saepe accidit, ut unum animal rabidum morsu suo plura vulneret, et tamen ex his pars magna sana maneat. Dum post morsum illatum in animali antea sano rabies evolvitur, tunc cum certitudine concludere possumus, animal mordens fuisse rabie adfectum; dum vero rabies evoluta non est, tunc non possumus concludere, animal mordens rabie destitutum esse. Dum contagium parti cutis epidermide derasae, vel epidermide tenui obtectae, ut sunt labia oris et genitalia communicatur, dispositione licet praesente, non exerit statim effectum suum, sed contagium

latet, diciturque hoc stadium opportunitatis seu incubationis, quod variat pro diversa constitutione animalium; secundum observationes a Hertwig factas, in cane excurrit hoc stadium subinde ad quinquaginta dies; postea sequitur morbus ipse evolutus, qui pro diversitate animalium diversis symptomatibus se manifestat; in plurimis tamen observatur stadium melancholicum seu tristitia, appetitus cibi valde prostratus, alvus obstipa, delirium furiosum vel tacitum, propensio mordendi, vox peculiariter mutata; ita boves mugitum peculiarem, anxietatem nimiam exprimentem habent, equi semper calcitrant; horror aquae non observatur.

§. 84.

Phaenomena peculiaria et ab omnibus aliis distincta sunt, quae observantur in homine, cui contagium rabiei communicatum est. Dispositione licet praesente non se manifestat illico morbus terribilis, sed sanitas relativa perdurat jam breviori, jam longiori tempore, dicitur hoc stadium opportunitatis vel morbi latentis, vel incubationis, duratque per duas tres-ve septimanas, subinde per sex, referuntur exempla, ubi stadium hoc excurrebat per medium annum, duos annos, imo viginti, triginta annos, quae tamen observationes valde antiquae recentioribus non confirmantur. Trolliet in quindecim aegris ab uno eodemque cane rabido morbo correptis refert, septem incidisse in morbum a die 14to usque 30mum post morsum, quinque morbo correptos fuisse intra 30mum et 40mum diem, duos symptomata morbi exhibuisse intra 40mum et 50mum diem, in uno morbum evolutum fuisse post tres et medium menses. In plurimis toto hoc stadio in organismo nullae apparent mutationes, quae morbum gravem futurum annunciant. Recentissime tamen Marochetti excitavit attentionem communem describendo vesiculas hydrophobicas, quarum jam una, jam duae, ad summum tres parvae liquidum continentes, ad latera frenuli linguae generantur die 2, 4, 7, 9no; saepe tardius usque ad sex septimanas post

morsum; si post sex septimanas nullae vesiculae fuerunt efformatae, hydrophobia timenda non est, nam morsus non fuit contagiosus, vel in demorso homine non adfuit dispositio in morbum. Vesiculae eae continentes in se liquidum, vehiculum contagii hydrophobici, remanent turgidae tantum per 24 horas, nisi arte aperiantur et destruantur, sponte collabuntur, liquidum absorbetur, deponiturque inprimis in cerebrum et medullam spinalem, sic producitur morbus terribilis. Commemoratio vesicularum harum sub nomine lyssae occurrit jam apud scriptores Graecos antiquos, noveruntque eas per traditionem rustici in Ucrania, ubi Marochetti praxim medicam exercuit; etiam in Hungaria, in specie in Comitatu Baranyiensi cognitio haec antiquior est. Non obstantibus his auctoritatibus per observatores recentissimos vesiculae eae in dubium vocantur; sic Rudolphi, Hertwig et Magendie docent, post investigationes omni cum sollicitudine factas se nunquam detegere valuisse vesiculas descriptas, Quia tamen objectum est summi momenti, nullam occasionem intermittimus post morsum a cane rabido illatam inspicere cavum oris et linguam scopo detegendae vesiculae unius alterius-ve. Postquam hoc stadium per paucos dies, sex septimanas, subinde tres menses, rarissime per medium annum duravit, comparet

Stadium secundum, nempe melancholicum, sub quo observantur phaenomena diversa tam in parte vulnerata, quam in organismo toto. Subinde stadio incubationis haud in longum excurrente vulnus morsu illatum manet apertum, nullosque exhibet characteres, quibus distingui possit a vulnere alio simplici demorso; sed stadio morbi secundo inchoante vulnus evadit impurum, incipit dolere et inflammari, color redditur livescens, margines evadunt inaequales, e superficie funditur liquidum ichorosum, foetidum, acre, saepe sanguine mixtum. In casibus longe pluribus vulnus morsu illatum ut simplex intra paucos dies sanatur, cicatrisatur; morbo dein evoluto infra pelliculam tenuem apparet rubor major in colorem lividum vergens,

cum sensu ardoris vel puncturae vel formicationis molestae; in casibus rarioribus cutis manet integra, in longe pluribus vulnus cicatrisatum iterum aperitur, et constituit ulcus impurum. Dum hae mutationes in vulnere contingunt, aeger evadit tristis, meticulosus, taciturnus, societatem hominum fugit, solitudinem quaerit, experitur cephalaeam, vertiginem, appetitum cibi imminutum, nauseam, vomituritionem, vomitum, subinde stimulum Veneris majorem, quod tamen symptoma frequentius tantum in stadio tertio locum habet. Mox persentit aeger dolores plus minus-ve lancinantes, qui e parte demorsa extenduntur versus cerebrum, medullam spinalem, pharyngem et regionem epigastricam, sequuntur hi dolores frequentissime decursum et distributionem nervi e parte demorsa propagati; in vasis ac glandulis lymphathicis nec tumor, nec rubor observatur; unde patet, contagium vix absorberi per vasa lymphatica, sed actionem suam noxiam statim exerere in nervos. Stadium hoc melancholicum subinde tantum per 24 horas durat, subinde tamen per duos, usque quinque dies excurrit, et tunc subito erumpit

Stadium tertium seu spasmodico-furiosum, aeger nempe torquetur siti nimia, et dum ad hanc exstinguendam aquam avidissime ori infundit, tristis experitur, deglutitionem impeditam esse, quia pharynx spasmo vehementissimo tonico constringitur, dum iterum iterumque tentat, eundem experitur effectum, imo sub tentamine hoc mox erumpunt spasmi universales, raro convulsivi, saepius tonici, jam sub forma emprosthotoni, jam opisthotoni, jam pleurosthotoni, qui spasmi initio per aliquot minuta, dein per quadrantem, dein per mediam horam exagitant aegrum; iis silentibus comparet delirium furiosum, aeger nisum invincibilem habet omnia destruendi, confringendi, violentas manus aliis et sibi inferendi, alios mordendi, conspuendi, exeritque tunc robur musculorum nimium, ut saepe a pluribus etiam difficulter coërceri possit, subinde funes et catenas dislacerat, ejulat, vehementer clamat, voce mutata, peculiariter rauca; secundum aliquos obser-

vatores vox est similis illi latrantis canis, quod tamen ab observatoribus longe pluribus animadversum haud est. Quia delirium furiosum symptoma essentiale constituit morbi hujus gravis, ideo auctores nonnulli hydrophobiam retulerunt ad vesanias; sed delirium solum naturam morbi non exprimit, et saepe deliria tantum mitiora sunt, adsuntque plura alia symptomata, per quae a vesaniis differt. Cum in morbo semper observentur spasmi universales per insultus aegrum infestantes, ideo aliqui auctores retulerunt morbum ad epilepsiam, et vocarunt epilepsiam hydrophobicam. Differunt tamen ab invicem multum hi morbi; in epilepsia frequentissime occurrunt spasmi clonici, in hydrophobia vero tonici, in epilepsia sub insultu conscientia sui omnis deleta est, in hydrophobia conscientia remanet ita, ut aeger insultu spasmodico furioso remittente meminerit omnium, quae sub insultu acciderant; ideo incidit in tristitiam summam et desperationem, aliqui exorant adstantes, ut eos ligent, et potestate aliis nocendi privent; tales tamen boni sunt paucissimi, longe plurimi libertatis suae coarctationem horrent, et omni modo student vincula solvere, seque vigilantiae custodum subtrahere. Insultus talis spasmodico-furiosus initio tantum revertitur, dum aeger liquidum deglutire conatur, sed tardius sensibilitas valde increscit, sola idea liquidi, vel dum aeger conspicit liquidum vel vitrum vel metallum politum, speculum, imo per motum aëris, qui excitatur dum porta aperitur, lucem majorem, adventum hominis peregrini jam provocantur spasmi terribiles. Stadium hoc excurrit per duos, tres, ad summum quinque dies, et transit in

Stadium quartum seu paralyticum, quod est brevissimum, et inter convulsiones aeger apoplectice exstinguitur, reperiunturque in cadavere diversa phaenomena. Morgagni detexit signa inflammationis in isthmo faucium, in pharynge, larynge et trachea; alii statum similem adnotarunt in cerebro, in medulla oblongata et spinali, alii in ventriculo et tubo intestinali. Medici Genevenses, referente Coindet, detexerunt inflammationis signa

in corde, alii in nervo vago et accessorio Willisii; ideo Sprengel et Raimann causam proximam morbi repetunt a statu inflammatorio nervi vagi et accessorii Willisii, quam sententiam tamen defendere haud valemus, cum secundum investigationes alias exactas nervi illi statum abnormem nullum exhibuerunt. Ideo ex observationibus huc usque factis candide fateri cogimur, causam proximam morbi terribilis nobis adhuc ignotam esse; illud summe probabile est, per contagium hydrophobicum in homine praedisposito excitari statum dynamico-organicum peculiarem in systemate nervoso, qui postquam aliquo tempore latuit, pro diversa dispositione individuali hominis provocat processum inflammatorium in diversis partibus eadem ratione, ut hoc observamus de contagio typhi Europaei; ipse sanguis mutationem subit, cadaver enim citissime putrescit.

§. 85.

Morbus perfecte evolutus prognosim habet tristissimam; referuntur quidem casus hydrophobiae jam symptomatibus gravioribus stipatae, et tamen feliciter sanatae; casus tamen hi relate ad alios infelices tam rari sunt, ut merito dubium enascatur, fuerit-ne hydrophobia curata revera contagiosa, vel potius tantum symptomatica, aut per alias causas excitata, quales sanari posse dubium nullum est. Hydrophobia vera contagiosa perfecte evoluta in longe plurimis casibus huc usque letalis est. Ideo morsus etiam omnis animalis rabidi periculosus est, et quidem gradus periculi variat pro diversitate partis, cui vulnus illatum est, pro diversa dispositione aegri vulnerati, et pro diversitate animalis rabidi, nam observatores testantur, periculosissimum esse morsum lupi, dein vulpis, dein canis, et tandem cati; forte ideo, quod per lupum fortiorem et ferociorem inferatur vulnus majus, quam per cattum, nam per qualecunque animal fuit vulnus illatum, quo illud fuit magis extensum, quo plures nervi et vasa in laesione sunt comprehensi, eo periculum est majus; licet etiam post vulnus

minimum et maxime superficiale morbus terribilis exoriatur, et quidem eo citius, si vulneratus fuerit debilis et cachecticus, licet nec homo sanus et robustus a morbo exemtus est.

§. 86.

Quamquam morbus perfecte evolutus vix ac ne vix quidem curari possit, medicinae tamen dignitas magna et in hoc morbo comprobatur per curam ejus prophylacticam, qua rationali adhibita morbi terribilis evolutionem in casibus longe plurimis feliciter impedire valemus; ad hunc scopum tangendum debet evolutio contagii hydrophobici impediri; quia morbus originarie generatur in canibus et cattis, ideo proposita fuit exstirpatio canum et cattorum, quae tamen perfici non potest, cum homines ab animalibus iis sibi utilissimis difficulter divelli possent, et iis exstirpatis remanerent adhuc lupi et vulpes, contagium hoc generantes; ideo commendamus potius curam animalium horum congruam, ut causae cunctae rabiem provocare valentes sollicite vitentur. Frequentissime locum habet constitutio peculiaris atmosphaerae, quae inducit dispositionem pro rabie, quam dein aliae causae excitant, quae arceri debent; ideo canibus et cattis alimenta et potulenta necessaria semper sufficienti quantitate exhiberi debent, ne fame coacti cibum vel potum noxium, putridum, corruptum ingerant; cura adhibenda est, ne animalia actioni caloris vel frigoris excessivi exponantur, ne in exercitio actus generationis violenter impediantur, ne modo crudeli tractati in iram concitentur. Quia cautelae hae saepe negliguntur, ideo non raro canes et catti in rabiem incidunt.

Quamprimum in cane observantur prima symptomata morbi, quod sit in iram pronior, quod facile mordeat, hero suo minus obediat, appetitu prostrato parum comedat, solitudinem quaerat, inquietus aufugiat, tunc suspicio justa est de morbi periculosi evolutione, tuncque statim ligari, et includi, sique signa rabiei magis evoluta fuerint,

statim mactari debet. Dum vero canis aliquem momordit, non debet illico mactari, nisi signa rabiei manifesta sint; sed necessarium est, ut ligetur et observetur; si nempe in animali signa rabiei reapse evolvuntur, tunc non obstante vulnere parvo demorsus curae omni subjici debet, quae necessaria est ad morbi terribilis evolutionem impediendam; si vero signa rabiei non evolvuntur, tunc demorsus liberatur a metu inani, et a cura longa molesta, per medicos abhiberi solita. Quamprimum constat, animal, quod homini vulnus intulit, fuisse rabidum, vel si tantum suspicio adfuerit, tunc cura prophylactica negligenda non est.

§. 87.

Indicatio curae prophylacticae est duplex: primo ut contagium superficiei vulneris communicatum destruatur; saepe nempe contagium longiori tempore adhaeret superficiei vulneris, mutatio dynamico-organica topice provocata in reliquum organismum haud extenditur, et tunc per remedia topica cura perfici potest. Secundo status ille peculiaris dynamico-organicus per contactum contagii in superficie vulneris excitatus pro dispositione diversa individuali hominis citius vel tardius communicatur nervis, et tunc morbus terribilis evolvitur; ideo indicatio altera curae prophylacticae est, ut status specificus abnormis, in systemate nervoso inchoatus et latens destruatur, antequam per organismum late extensus sit.

Partem ergo primam et praecipuam prophylaxis constituit cura topica, destructio nempe contagii in superficie vulneris; quem in finem aegrum denudamus, superficiem corporis totam scrupulose inspicimus, ne vulnusculum ullum, vel minimum visui subtrahatur; nam saepe morsus infertur homini in pluribus locis, et si vulnusculum minimum remanet sine cura, morbus terribilis evolvitur. Vulnera detecta statim elui debent liquido, quod haberi potest; vel aqua sola, vel aqua aceto mixta, vel in defectu alterius liquidi, urina. In America commendatur sal communis, quo vulnus inspergitur et teritur; Fothergill

maxime laudat oleum olivarum, vel aliud pressum; secundum Gallos observatores maximam efficaciam exerit solutio chloratis calcis. Omnia haec liquida utilia sunt, quod contagium ope salivae vulneri impressum subinde eluunt, quem in finem proposita fuit etiam suctio a sano homine ore suscipienda, sed suctio talis vix sufficit et letalis evadere potest; ideo recentissime proposita fuit antlia seu cucurbitula ventosa, vulneri toti imponenda, ut sic suctio efficax instituatur, quae in vulneribus a serpente venenato illatis successum habuit felicem. Possidemus certiora et experientia multiplici probata remedia, et quidem subinde amputatio, si vulnus est illatum digito manus vel pedis, secus excissio superficiei totius vulneris, statim post morbum suscepta, est remedium maxime securum, quae tamen operatio non potest semper adhiberi, si vulnera fuerint numerosa, late per cutim extensa, si vulnus fuerit in naso, in labiis internis oris, si aeger timorem nimium habeat erga cultrum; tunc ad contagium destruendum remedia alia in usum vocanda sunt. Si vulnus est adhuc apertum et recens, vel jam cicatrisatum, debet scarificari ope lanceolae vel ope cucurbitulae cruentae, ut remediorum applicationi pateat superficies tota, et ut per haemorrhagiam contagium adhaerens pro parte eluatur.

Praemissa excissione, vel sacrificatione vulneris ad contagium adhuc residuum destruendum efficax remedium est ferrum candens, cujus virtus magna observationibus seculorum comprobata est; observationes recentissimae Petropolis factae testantur, ipsam hydrophobiam jam in stadio primo constitutam, ferri candentis usu sanatam fuisse; ut superficies vulneris tota contingi possit, cauteria debent esse diversae formae et magnitudinis. Saepe tamen ferrum candens debitae figurae ac debitae magnitudinis deest, saepe aegri illud nimis horrent, tunc ad alia recurrimus. Commendatur a nonnullis, ut superficies tota vulneris pulvere pyrio inspersa accendatur, quod tamen remedium tantum in defectu aliorum adhibemus, nam saepe eschara haud inducitur, ita ut pars vulneris maneat intacta. Ideo in defectu

ferri candentis adhibemus potius caustica, et quidem nonnulli commendant acida mineralia concentrata, ceteris minus congrua, quia actio eorundem caustica extenditur magis, quam desideratur. Alii commendant praeparata hydrargyri caustica, ut mercurium sublimatum corrosivum, mercurium praecipitatum rubrum, arsenicum album, quae tamen absorpta facile effectus secundarios noxios exerunt, ideo ea nonnisi in defectu aliorum praescribimus. Longe praestantius remedium est kali causticum; Hunter adhibuit lapidem causticum solidum, Mederer vero solutionem kali caustici, drachma semis usque drachmam unam solvitur in aquae destillatae libra una, vulnusque totum solutione ea rite eluitur, deinde linteo carpto liquore eo impraegnato quotidie bis deligatur. In Gallia a Rougemont, Portal, Sabatier etc. maxime laudatur butyrum antimonii, quod consistentiam olei habens ope plumae vel penicilli superficiei vulneris omni, praevie excisae, vel scarificatae applicari potest, induciturque statim eschara, quae deligatur butyro vel unguento simplici, et postquam decidit, renovatur adhuc contactus bis ter-ve. Hodie in Anglia frequentius adhibetur lapis infernalis, quo superficies tota vulneris contingitur, escharaque sublata contactus renovatur bis ter-ve. Yonatt testatur, quod pluribus quam quadringentis e canibus demorsis hoc causticum applicuerit successu semper felici. In diario nosocomii S. Georgii adnotatum est per chirurgos quadringenta mille hominibus a canibus demorsis lapidem infernalem et causticum applicitum fuisse, quin morbus terribilis evolutus fuit.

Postquam per applicationem caustici repetitam eschara separata est, oportet vulnus in suppuratione conservari, ut eo certius contagium omne destruatur, et per virtutem antagonisticam suppurationis status morbosi evolutio in alia parte organismi impediatur; ideo vulnus totum obtegimus emplastro cantharidum, dein quotidie deligamus unguento terebinthinae vel basilici, vel elemi; dum sub usu eorum suppuratio evadit parcior, superficies ulceris sicca-

tur, tunc unguentis memoratis addimus jam pulverem cantharidum, jam pulverem corticis mezerei, jam mercurium praecipitatum rubrum, commendatque Hufeland suppurationem talem sustentandam esse per medium annum; observationes tamen numerosae, inprimis in nosocomio universali Viennae per Axter factae docent, tres menses sufficere pro suppuratione conservanda, dein secure cicatrisatio admitti potest, ulcus deligando unguento simplici vel linteo carpto sicco.

§. 88.

Cura quidem topica laudata est summi momenti, nec tamen sola semper sufficit; observati sunt casus, licet rari, in quibus, non obstante cura topica omni diligentia adhibita, morbus terribilis erupit. Dispositione nempe in morbum magna praesente accidit, ut antequam remedium externum contagium destrueret, jam processus morbosus sub exordio latens in systemate nervoso evolutus sit. Ideo securitatis causa ad destruendum processum latentem adhiberi debent etiam alia remedia experientia probata; hunc in finem attentione digna est methodus a Marochetti proposita, licet magni viri testantur, se vesiculas illas hydrophobicas nec in homine, nec in aliis animalibus observare potuisse, quia tamen per auctorem observationes multae referuntur, et similes etiam in Hungaria in comitatu Baranyensi institutae sunt, ideo interest has observationes ultro continuare; propterea aegri demorsi linguam, inprimis superficiem ejus inferiorem ad latera frenuli linguae, ubi vesiculae duae, ad summum tres enasci dicuntur, per sex septimanas quotidie inspicimus; quam primum talem vesiculam observamus, apicem linguae linteolo obvolvimus, linguam reclinamus, et vesiculam totam cum lanceola acuta incisione longitudinali aperimus, aegrum admonemus, ne quidquam liquidi deglutiat, sed omne exspuat, praevie praeparamus decoctum saturatum e radice genistae Intcae tinctoriae. Facta incisione vesiculae acum imponimus carbonibus candentibus, et acu candente destruimus superficiem

totam ulceris; aeger quotidie decocto genistae eluat os ter quater-ve; simul interne sumat decoctum radicis genistae luteae ex uncia una radicis ad colaturam librae unius et semis, utaturque postea hac medicina per sex septimanas; si spatio eo temporis nulla vesicula infra linguam observata fuerit, tunc testante Marochetti hydrophobia amplius timenda non est.

Cum in plurimis casibus nullae tales vesiculae observatae fuerunt, et hydrophobia tamen erupit, non possumus aegrum casui committere, sed recurrimus ad alia remedia per observatores laudata, quae vocantur anti-hydrophobica seu anti-lyssa, quorum numerus magnus signum est inefficaciae eorumdem. Plurima desumuntur e regno vegetabili, ut sunt: herba anagallidis arvensis flore phoeniceo, herba scordii, artemisiae, absynthii, salviae, menthae crispae et piperitae, radix cynosbati, celtis australis, celtis ambralis, valerianae sylvestris, anchusae officinalis, euphorbiae villosae et cyparissias, lichen cinereus, taxus baccata, lycopodium clavatum, phytolacca decandra, nux vomica, faba S. Ignatii, alysma plantago, scutellaria lateriflora, datura stramonium, semen veratri sabadillae, radix belladonnae, acetum, camphora etc. Inter quae maximam celebritatem sibi meruit belladonna, inprimis in Germania post Münch maxime commendatur ab Hufeland. Exhibetur adultis pulveris radicis belladonnae granum semis, et quidem vesperi, quia post usum ejus in plurimis sudor moderatus sequitur; dosis dein remedii quotidie augetur grano semis, donec signa narcotismi, ut capitis calor, temulentia, vertigo, oculorum obnubilatio, scintillatio observata fuerunt, quod plerumque evenit, dum dosis remedii ad grana novem aucta fuit; quamprimum hoc observamus, dosim amplius non augemus, sed eandem continuamus per unam alteram-ve septimanam, dein imminuimus, eadem ratione, sicut aucta fuit.

Aliqua anti-hydrophobica desumuntur e regno animali, commendaturque per observatores aliquos moschus, per plures meloë proscarabeus et meloë majalis, quae forma

electuarii anti-hydrophobici exhibebantur olim. Longe majorem efficaciam exerunt cantharides, quod remedium antiquissimum anti-lyssum jam a Dioscoride laudatum in Hungaria a pluribus seculis populare est, exhibemusque mane pulveris cantharidum grani unius unam quartam partem cum sacchari albi scrupulo uno, et dosim augemus quotidie una quarta parte grani, donec aeger persentit sensum ardoris in urinae evacuatione, quo observato dosim eandem retinemus per quatuor usque sex septimanas; dosim magnam nunquam adhibemus; talem noxiam esse non sine ratione admonent discipuli zelosi Hahnemanni, Hartlaub et Trink, quorum tamen dosis infinite parva, quantumcunque laudata, tantum utilis esse potuit, dum vulnus non fuit illatum per animal rabie affectum, vel dum in aegro demorso defuit dispositio ad hydrophobiam.

Cum in nonnullis Russiae provinciis opinio vulgi est, sanguinem haustum ipsius canis rabidi mactati esse prophylacticum efficacissimum, ideo medici Germani Ziegler et Rittmeister quam maxime commendarunt sanguinem recentem cujuscunque animalis pro potu, simul ut eodem sanguine vulnus demorsum eluatur; interim Rehmann adnotat, in Russia non obstante hoc remedio prophylactico adhibito, si cura topica necessaria vulneris neglecta fuit, morbum terribilem evolvi.

Regnum etiam minerale suppeditat plura pharmaca anti-hydrophobica; recentioribus temporibus Galli medici maxime commendarunt chlorium, forma chloratis calcis vel sodae adhibendum ita, ut vulnus recens vel jam cicatrisatum ope scarificationis aut caustici apertum eluatur solutione saturata, dein linteo carpto solutione eadem impraegnato quotidie bis obtegatur, interne quoque solutio chloratis calcis a drachma semis usque drachmam exhibeatur. Neque tamen observationibus fide dignis virtus laudata anti-lyssa comprobata est. Commendantur etiam metalla: argentum, stannum, cuprum, inprimis ammoniacale, arsenicum, sed quam maxime hydrargyrum, quod post Sauvagés,

Desault et recentissime Wendt magnam sibi famam meruit, etiam in Hungaria felici successu adhibitum fuit. Exhibetur interne calomelis granum semis usque unum omni tertia vel quarta hora, externe unguenti hydrargyri cinerei scrupulus unus usque drachmam semis inungitur quotidie mane et vesperi, initio supra vulnus demorsum, deinde in extremitates superiores ac inferiores alternatim, ut contra syphilidem, donec ptyalismus moderatus sequitur, scilicet ut quotidie una libra salivae profluat, quae salivatio sustentatur per sex septimanas. Licet observatores plures remedii hujus efficaciam comprobant, cura tamen topica nunquam negligenda est, nam observatione tristi edocti sumus, dum cura topica neglecta fuit, non obstante salivatione larga morbum letalem inductum fuisse. Ex observationibus omnibus hucusque circa curam prophylacticam hydrophobiae factis concludimus illud, curam efficacissimam in nullo casu negligendam esse topicam, praeter eam securitatis causa lingua demorsi investigari debet quotidie, detectisque vesiculis hydrophobicis cura a Marochetti proposita adhibenda est; interim donec vesiculae non comparuerunt, adhibenda sunt remedia per suffragia observatorum plurimorum commendata, mane pulvis cantharidum, vesperi pulvis belladonnae, simul externe unguentum hydrargyri cinereum.

Praeter remedia haec summe utilia ratio habenda est vitae regiminis tam somatici, quam psychici; quidquid sanitatem laedere, energiam vitae morbose exaltare vel deprimere, enervare potest, quidquid animi affectum ingratum, ut metum, desperationem, iram excitare valet, illa sollicite arceri debent; ideo quotiescunque fieri potest, cura prophylactica demorsi domi perfici debet, et nunquam aeger reluctans ad nosocomium cogendus et a suis divellendus est; cibi concedantur illi consueti, dummodo non sint acres, multum aromatici, duri, saburram generare valentes; nec ei interdicatur motus corporis, imo desiderandum est, ut labores suos consuetos perficiat, atque per curam talem prophylacticam morbum terribilem evitatum fuisse obser-

vationes longe plurimae ubique terarum institutae testantur, licet animal mordens rabie manifesta affectum fuerit; nam alii ab eodem demorsi cura prophylactica neglecta in hydrophobiam letalem inciderunt.

J. C. Schäffer, Abbildung und Beschreibung des Maiwurmkäfers als eines zuverlässigen Heilmittels wider den tollen Hunds-Biss. Regensburg. 1778.

K. F. Schwarz, de hydrophobia ejusque specifico meloë majali et proscarabeo. Lipsiae. 1783.

J. C. K. Dehne, Versuch einer vollständigen Abhandlung vom Maiwurme, und dessen Anwendung in der Wuth und Wasserscheu. Leipzig. 1788.

J. H. Münch, kurze Anweisung wie die Belladonna im tollen Hundsbiss anzuwenden ist. Göttingen. 1783.

B. F. Münch, praktische Abhandlung von der Belladonna, und ihrer Anwendung, besonders zur Vorbauung und Heilung der Wuth, nach dem Bisse von tollen Hunden. Göttingen. 1785.

J. C. F. Harless, über die Behandlung der Hundswuth, und ins besondere über die Wirkungen der Datura stramonei gegen dieselbe. Frankfurt a. M. 1809.

L. Spalding, a history of the introduction and use of scutellaria lateriflora, as a remedy of preventing and curing hydrophobia. New-York. 1819.

J. Wendt, Darstellung einer zweckmässigen, und durch die Erfahrung erprobten Methode zur Verhütung der Wasserscheu nach dem Bisse eines tollen Hundes. Breslau. 1824.

§. 89.

Dum cura prophylactica nulla vel haud congrua adhibita est, dispositione praesente morbus terribilis evolvitur, qui ubi stadium secundum spasmodico-furiosum attigit, huc usque conaminibus medicorum omnium ita restitit, ut olim desperaverint de cura omni, et quamprimum ejus symptomata observata fuissent, aegri non pauci suffocati sint, quae tamen methodus barbara non amplius adhibetur; in morbo etiam desperato conatum omnem adhibemus, ut sortem aegri miserrimam quadamtenus mitigemus, forte in hoc

conatu humano aliquis nostrum ita felix erit, ut methodum detegat morbum terribilem sanandi. Donec morbus in stadio primo, melancholico constitutus est, subinde feliciter sanatus fuit, uti testantur observationes omni fide dignae; limites autem inter stadium primum et secundum exacte definiri non possunt, ideo curam morbi nunquam negligimus. Referuntur ab auctoribus diversa remedia, quibus hydrophobia jam evoluta dicitur sanata fuisse, ut herba anagallidis arvensis, scutellariae lateriflorae, alysma plantago, radix valerianae sylvestris, ipecacuanha dosi refracta, belladonna, camphora, moschus, ammonia, hydrargyrum, phosphorus, arsenicum, aqua laurocerasi, pulvis cantharidum, quo pharmaco Axter et Rust testantur, hydrophobiam contagiosam Viennae sanatam fuisse. A. Leroy commendavit morsum viperae, cum experimenta per Fontana instituta docuerint, per talem morsum induci paralysim, unde exspectabat, spasmum tonicum in hydrophobia praesentem resolvi posse. Olim commendarunt perfusionem cum aqua frigida, imo praecipitationem aegri in aquam, quae experimenta tamen successu felici destituebantur. Rossi retulit, hydrophobiam contagiosam in homine sanatam fuisse per galvanismum; eandem virtutem depraedicabat Wolfart de magnetismo animali; Ziegler et Rittmeister contra ipsum morbum evolutum maxime commendant potum sanguinis recentis; discipuli zelosi Hahnemanni gloriantur, se morbum saepe sanasse una decillionesima parte grani unius cantharidum. Boerhave et Tissot maxime commendarunt largas sanguinis evacuationes, quae et recentioribus temporibus iterum tentatae fuerunt, nec tamen effectus salutares exeruerunt. Tentatae fuerunt etiam injectiones in venas per Magendie aqua tepida, per Crampton solutio acetatis morphii, sed in utroque casu mors evitari haud potuit.

§. 90.

Ex enumeratione pharmacorum per observatores contra hydrophobiam laudatorum tristes cognoscimus, methodum contra hunc morbum terribilem securam, rationalem adhuc nullam dari, eam per conatus ulteriores detegendam esse; ideo in singulo casu individuali therapia morbi individualis construi debet, natura enim morbi evoluti pro diversa constitutione individuali aegri, pro diversa constitutione epidemica, et pro diversitate aliorum adjunctorum variat, quod testantur tam phaenomena in vivis, quam etiam in cadaveribus detecta. In genere in omni aegro hydrophobia contagiosa affecto evoluta est hypercinesia in gradu eminentiori, ideo omnia quae sensibilitatem et irritabilitatem exaltare possunt sollicite removeri debent, ut strepitus major, lux nimia, calor excessivus, ideo aeger in locum tranquillum, moderate obscuratum et moderate calidum collocari debet; studiose arceri debent omnia, quae animi affectum, inprimis iram excitare possent; propterea adjunctis ejus faventibus e domo sibi cara educi haud debet, cura ejus omnis ibi perficiatur, tantum ad morbi terribilis propagationem ulteriorem impediendam aeger restringi debet ad cubile unum distinctum, in quo nulla supellex superflua adesse debet, cum morte subsecuta omnia quae in contactu aegri fuerunt destrui debeant; ita etiam removeantur e cubili omnes homines superflui, nonnisi summe necessarii, parabolani admittantur, qui debent esse homines robusti, ut aegrum etiam furiosum coercere valeant; iisdem tamen severe invigilandum est, ne aegrum miserum injuria ulla afficiant, sed humanitate omni tractent; vincula, nisi sint summe necessaria, injici non debent; inprimis medicus summam mansuetudinem exhibeat, per eam enim ipse furor aegri optime mitigatur, et confidentia ejusdem obtinetur; cum mansuetudine tamen conjungenda est semper prudentia et cautela summa, quia nonnulli aegri astuti occasione data et medicum mordent et saliva sua conspurcant. Sub adjunctis aegri minus faventibus cura ejus domi perfici non potest,

sed is in emolumentum sui et aliorum sanorum ad nosocomium deportari debet, ubi et parabolani rite instructi et medicus jam exercitio cultus auxilium omne ferre valent. Facta coordinatione eorum omnium, quae ad securitatem aegri et sanorum necessaria sunt, condimus planum curae, quem in finem ex symptomatibus omnibus, quae observata sunt, ante vulnus illatum, et quae successive evoluta sunt post morsum, et quae tandem praesentia cognoscimus, construimus diagnosim morbi individualem. In casibus non paucis per actionem contagii specifici producitur status abnormis peculiaris dynamico-organicus, inprimis in systemate nervoso, connexus cum processu inflammatorio in cerebro vel medulla spinali evoluto; statu tali observato methodus anti-phlogistica, jam aliquoties successu felicissimo adhibita, indicata est, et quidem subinde sanguinis evacuatio universalis largior, etiam repetita, subinde sanguinis evacuatio topica ope hirudinum aut cucurbitularum cruentarum; attentio semper dirigenda est in effectus remedii, ne per sanguinis profusionem nimiam aeger enecetur. Praeter sanguinis evacuationem indicatum est hydrargyrum, quod in encephalitide, myelitide et in tetano, quocum hydrophobia analogiam magnam habet, successu felici adhibetur. Si deglutitio possibilis est, exhibemus calomelam in pulvere vel pilula, secus inungimus unguenti hydrargyri cinerei drachmam unam usque duas spinae dorsi et extremitatibus. Commendatur etiam inunctio unguenti ejusdem in caput derasum; praestat tamen, huic inunctioni praemittere usum alterius remedii, in encephalitide ac myelitide summe proficui, nempe perfusionem cum aqua frigida, sub omni cautela, et observando effectus ejus. Si post applicationem aquae frigidae furor et spasmi remittunt, tunc remedium salutare repetitis vicibus applicamus, sed si post usum ejus spasmi et furor intensiores evadunt, tunc ratio suadet, a remedio abstinendum esse et potius hydrargyri usum institui debere.

Si symptomata inflammatoria nulla observata fuerint, nec in cerebro, nec medulla spinali, nec pharynge, nec

tubo intestinali, sed tantum ab hypercinesia eminenti in gradu evoluta derivari possunt phaenomena morbi terribilis, tunc indicatus est pulvis cantharidum, cum observationes felices adferuntur, morbum incipientem hoc pharmaco feliciter sanatum fuisse; exhibetur pharmacum omni bihorio, initio granum semis, augetur ad granum unum, usque grana duo, videturque virtute sua antagonistica prodesse, dum irritationem majorem producit in ventriculo, tubo intestinali, organis uropoëticis et genitalibus, irritatio in encephalo et medulla spinali remittit; effectus tamen remedii scrupulose observari debent, ne aeger dosi insana enecetur; quamprimum symptomata irritationis majoris observantur, dosis pharmaci illico imminuenda vel ex integro seponenda est. Praesente tali statu irritativo, et perdurantibus aliis symptomatibus morbi terribilis praestat, alia adhibere remedia per observatores eximios laudata, ut sunt: radix belladonnae, extractum belladonnae in aqua laurocesi, datura stramonei, camphora, moschus et opium; e quibus statui individuali aegri conformiter seligimus. Si deglutitio possibilis non est, tunc remedia applicantur cuti, emplastrum cantharidum imponitur secundum longitudinem spinae dorsi; epidermide prius remota applicamus narcotica, jam pulverem belladonnae, jam opium.

§. 91.

Dum conatus nostri omnes in curanda hydrophobia irriti fuerunt, quod frequentissime accidit, et mors scenam claudit, tunc si fieri potest, ad cognitionem nostram imperfectam aliquantum augendam, instituimus sectionem cadaveris omni attentione; ut contagium omne destruatur cadaver nudum et profunde sepeliendum, vestimenta et supellectilia aegri omnia comburenda sunt, parietes cubiculi, in quo aeger decubuit, deradi, de novo dealbari, asseres quoque elui et dedolari debent.

EPILEPSIA.

§. 92.

Epilepsia dicitur ille morbus peculiaris nervosus, qui aegrum per insultus post intervalla jam breviora, jam longiora recurrentes invadit ita, ut sub insultu adsint spasmi clonici convulsivi in diversis partibus corporis cum suppressione conscientiae sui. Symptomata morbi relate ad intensitatem, extensionem, et complicationem valde variant, differentiam tamen majoris momenti constituit duratio morbi, cujus respectu distinguitur epilepsia acuta et chronica seu habitualis. Epilepsia acuta vocatur etiam eclampsia, distinguuntur ejus species duae, nempe primo eclampsia infantum, et secundo eclampsia gravidarum, parturientium et puerperarum, qui morbi per naturam subjectorum diversam modificationes subeunt magnas, ideo disquisitioni speciali subjici debent.

ECLAMPSIA INFANTUM.

§. 93.

Infantes non raro statim primis vitae diebus, saepe tardius corripiuntur convulsionibus universalibus cum absentia conscientiae sui, vocatur in genere spasmus vel convulsio, jam mitior tacita, jam vehementior clamorosa. Saepe ante morbi eruptionem observantur symptomata prodroma, scilicet inquietudo major, pervigilium, ejulatus, anorexia, nausea, vomituritio, vomitus, tormina abdominis, subinde diarrhoea, qua evacuantur excrementa viridia vel fusca, foetida, frequenter alvus est obstipa, temperatura corporis mutata, jam aucta, jam imminuta, color cutis immutatus, ut subinde pallor sit singularis, subinde rubor et turgor major, inprimis in facie conspiciantur. Saepe nulla praecedunt prodroma, sed infans apparenter sanus subito corripitur convulsionibus, observantnrque motus involuntarii in musculis faciei, labiorum

oris, palpebrarum, bulbi oculi, maxillae inferioris; saepe spuma intra labia oris exprimitur, exagitantur musculi extremitatum, digitorum, spinae dorsi, trunci, ideo corpus totum vario modo contorquetur, respiratio ipsa redditur strepitosa, anhelosa. infantes saepe inscie, involuntarie exclamant, nihil vident, nihil audiunt, nihil sentiunt. Non raro sub tali insultu cutis inprimis faciei est praerubra, subinde livida; non raro tamen sub insultu diutius durante cutis evadit pallida, acsi corpus exsangue esset; non raro alvus et urina inscio aegro evacuantur, duratque talis insultus subinde tantum per pauca minuta, saepe per quadrantem horae, subinde per horas plures, diem medium, integrum, dies duos tres-ve, atque tunc spasmi remittunt, non raro ex integro silent, sed citius vel tardius revertuntur, et iterum corpus exagitant, subinde tantum unum latus corporis, alterum latus remanet immobile, quasi paralyticum, superato insultu plurimi infantes incidunt in somnum profundum per plures horas excurrentem.

J. B. T. Baumes, Traité des convulsions des enfans, leurs causes et leurs traitements. Paris. 1789, 1805.

— Von den Convulsionen der Kinder. Leipzig. 1791.

Dieterius, de epilepsia infantili. Jenae. 1796.

De marne, de eclampsia infantum. Göttingae. 1822.

J. L. Brachet, Mémoire sur les causes des convulsions chez les enfans. Paris. 1824.

J. North, practical observations on the convulsions of infants. London. 1826.

Zechel, de convulsionibus infantum, adnexis quibusdam de trismo neonatorum. Pragae. 1829.

§. 94.

Ex symptomatibus quidem eclampsia praesens facile cognoscitur, sed ut therapia rationalis suscipi possit, causae etiam individuales morbi exquiri debent. Infantes nonnulli dispositionem peculiarem habent in hunc morbum, aut a parente alterutro spasmis hystericis, vel epilepsia affecto, aut per influxus peculiares raro cognitos tempore gra-

viditatis in utero matris evolutam; ideo observamus, inter infantes complures eorumdem parentum saepe tantum unum alterum-ve esse eclampsiae subjectum. Subinde dispositio se manifestat tantum sub evolutione corporis ulteriori, ita tempore dentitionis, quia congestio sanguinis major locum habet versus encephalon, eclampsia facilius comparet.

Causae excitantes observantur variae, non raro irritatio tubi intestinalis in neonatis per meconium nimia quantitate accumulatum, in lactantibus lac nutricis subinde sanum quantitate relative excessiva ingestum, frequentius lac per cibos aut potus incongruos, per morbos nutricis, inprimis autem per animi affectus vehementes, per iram corruptum; subinde cibi diversi, ut fructus vel cibi pingues, duri, subinde potus spirituosi, subinde venena narcotica, vermes intestinales, ascarides, trichurides, rarissime taeniae eclampsiam provocant. Raro provocatur morbus per calorem externum nimium, frequentius per refrigerium, inprimis calente corpore admissum, subinde per violentiam mechanicam capiti vel spinae dorsi illatam, subinde per prolapsum aut herniam; ideo in infantibus teneris eclampsia correptis, ut causam detegere valeamus, corpus totum sollicite investigamus. Subinde excitatur eclampsia symptomatice, constituitque symptoma febris intensioris tam continuae, quam intermittentis, ita sub stadio eruptionis variolarum, subinde morbillorum, et scarlatinae eclampsia evolvitur ut symptoma; simili ratione encephalitidis, myelitidis, hydrocephali interni, hydrorrhachiae symptoma ominosum constituit jam sub exordio, jam sub fine morbi. Subinde dum erysipelas, porrigo e cuti disparent, metastatice, antagonistice eclampsia locum habet.

§. 95.

Pro diversitate momentorum enumeratorum diversa est natura individualis, diversus exitus eclampsiae infantum; in genere est morbus semper periculosus, nam semper indicat statum abnormem encephali et medullae spinalis,

quem cum probabilitate ex symptomatibus solis vix definire valemus, ideo prognosis semper dubia est. Non pauci post 12—24 horas inter convulsiones exstinguuntur, atque tunc in cadavere reperitur saepe congestio sanguinis major, subinde extravasatum cruentum vel serosum in cavo cranii vel columna vertebrali. Nec tamen omnis eclampsia enecat; non raro causa morbi excitante remota per solam autocratiam naturae morbus sanatur; sic eclampsia, quae constituit symptoma febris intensioris, quae comparet sub stadio eruptionis exanthematis cujusdam acuti, quae excitatur per saburram tubi alimentaris, vel per refrigerium, nisi dispositio peculiaris nervosa congenita adsit, saepe exitum nanciscitur felicem, sed quia hanc dispositionem cognoscere haud possumus, ideo prognosis semper maxime limitata pronuncianda est. Nec morte evitata status aegri exoptatus est, non raro post eclampsiam sequitur epilepsia habitualis, quae omni mense, omni septimana revertitur, per plures annos arti saepe rebellis, vel spasmis silentibus comparent fatuitas, paralysis; saepe tamen eclampsia infantum per therapiam rationalem feliciter sanari potest.

§. 96.

Ad aegrum eclampsia affectum frequentissime tempore insultus accersimur, tunc jubemus infantem denudare, vestimenta omnia corpus arctius prementia solvere, admonemusque, ut corpus in situ debito conservetur, ne forte infans e lecto excidat, ne per motus vehementiores sibi oculos vel aliam partem corporis laedat, dissuademus violentiam omnem pro digitis flectendis vel extendendis adhibendam. Dum haec adornamus corpus totum infantis attente investigamus, anne adsint signa violentiae illatae, contusionis, concussionis, vel hernia aut prolapsus, exploramus calorem cutis, motum cordis, pulsum arteriarum, excipimus historiam de statu praegresso et de morbi evolutione; interim curamus linteaminibus moderate calefactis, fumo sacchari vel gummiresinae gratae vel asae foetidae imbutis corpus totum involvere, et si fieri potest clysma ex infuso florum

chamomillae vulgaris intestino recto injicere; pharmacum nullum ordinamus, quia tempore insultus deglutitio est impossibilis. Neque tamen sub omni insultu eclampsiae ita parum activi sumus; saepe naturam morbi individualem statim definimus, saepe conspicimus infantem esse plethoricum, torosum, cum colore cutis, inprimis faciei, subinde livescente, turgore caloreque exaltatis, pulsu frequenti jam aequali duro, jam inaequali irregulari; saepe statim eruimus etiam causam excitantem morbi, nempe dentitionem molestam, vel eruptionem exanthematis acuti, vel insultum aut paroxysmum febris vehementioris, sub quibus circumstantiis causam proximam eclampsiae constituit congestio sanguinis major in encephalum vel medullam spinalem; propterea indicatio enascitur ad hanc congestionem imminuendam, quem in finem subinde sufficit applicatio frigoris; ita dum infantes tempore paroxysmi febrilis vel tempore eruptionis variolarum eclampsia corripiuntur, non raro ad eam tollendam sufficit, infantes e lecto calido excipere, et capite denudato in aërem frigidiorem deportare. Morbo tamen in gradum intensiorem evecto necessaria est sanguinis evacuatio; hirudines duas, quatuor usque sex regionibus jam temporalibus, jam occipitalibus imponimus, et sanguinis evacuationem moderatam per mediam usque unam horam sustentamus, et non raro dum hirudines sugunt, jam spasmi remittunt et disparent. Subinde tamen ob congestionem sanguinis majorem perdurant, et remittentes aut silentes iterum revertuntur, tunc eadem ratione ut contra encephalitidem post praemissam sanguinis evacuationem embrocationes capitis frigidas instituimus, et deglutitione locum habente calomelam praescribimus.

Methodus anti-phlogistica non est contra omnem eclampsiam indicata, quia character morbi non est semper energicus, imo ob constitutionem individualem infantis character morbi est non raro asthenicus, quem indicat habitus totius corporis pastaceus, sub ipso insultu spasmodico cutis est pallida, magis frigida, pulsus arteriarum frequens, sed debilis, parvus et mollis, excitaturque talis eclampsia sae-

pe per refrigerium, subinde per morbos cutis subito evanidos. In tali casu suademus pannos calefactos fumo aromatico imbutos cuti applicare, fomenta aromatica vinosa abdomini imponere, unguenta, linimenta stimulantia inunginus spinae dorsi atque abdomini; dum his per plures etiam horas adhibitis spasmi resistunt, applicamus sinapismos, clysmata ex infuso florum chamomillae vulgaris vel radice valerianae sylvestris, cui addimus aliquot grana asae foetidae vitello ovi subactae, vel aliquot guttas spiritus cornu cervi. Convulsionibus nedum remittentibus imponimus aegrum tenerum balneo tepido ex aqua communi, additis floribus chamomillae vulgaris, herbis aromaticis, subinde etiam vino.

§. 97.

Spasmis silentibus cura morbi absoluta non est, causa enim perdurante insultus iterum revertitur, ideo conamur tunc, causas morbi exactius definire, et contra illas adhuc forte praesentes therapiam dirigere. Saepe detegimus causam spasmorum esse saburram in tubo alimentari haerentem ita, ut infans sponte vomitu vel diarrhoea corripiatur, tunc evacuationem talem salutarem facilitamus, exhibendo infusum tenue florum chamomillae vulgaris, vel tiliae, vel verbasci. Saepe non obstante evacuatione saburrae spontanea infans est inquietus, ejulat, tormina experitur, et spasmi facile revertuntur; quod observamus, dum eclampsia excitata fuit per lac nutricis majori quantitate ingestum, unde generatur saburra acida, atque tunc optima remedia sunt absorbentia, pulvis lapidum cancrorum, magnesia, carbonas lixivae, bicarbonas sodae. Dum evacuatio saburrae sponte haud contingit, arte provocanda est; dum observamus anorexiam, ructus, vomituritionem, subinde etiam vomitum, sed exiguum, tunc indicatum est emeticum, et quidem in plurimis casibus tartarus emeticus. Saepe tactu et visu distinguimus abdomen tumidum, intestina faecibus extensa, audimus borborygmos, tunc purgantia indicata sunt; subinde sufficiunt clysmata ex aqua tepida cum sac-

charo vel melle, vel decoctum furfurum, vel infusum florum chamomillae vulgaris cum oleo, butyro, rarius cum sale communi vel sale amaro. Frequentius exhibemus purgantia, jam syrupum cichorei cum rheo, jam syrupum mannatum, jam oleum lini recenter pressum, jam carbonatem magnesiae cum tartrate lixivae acidulo. Dum pharmaca mitiora scopo haud respondent, alvi obstipatio perdurat, partim quod in tubo alimentari mucus accumulatus est, partim quod simul vermes intestinales evoluti sunt, tunc purgantia efficaciora necessaria sunt, ut folia sennae, radix rhei, radix vel resina jalappae et calomela; subsecuta evacuatione vermium, pro diversa specie earumdem, modificamus ulteriorem methodum anthelminthicam. Sed meminisse oportet, signa gastrica esse apud infantes valde fallacia, non raro per gastritidem, enteritidem vel encephalitidem producuntur symptomata gastrica simul cum eclampsia, atque in tali casu tam emetica, quam purgantia, quam anthelminthica sunt summe noxia, non raro aegros cito enecantia; ideo post insultum spasmodicum statum aegri omnem scrupulose investigamus, ut convincamur, adsit-ne status inflammatorius, quo praesente ad insultus reversionem impediendam methodus anti-phlogistica mitior longiori tempore continuari debet. Saepe nec saburrae, nec status inflammatorii signa ulla detegi possunt, sed convulsiones tantum redeunt ob statum peculiariter abnormem systematis nervosi; tunc remedia anti-spasmodica sunt indicata, et quidem initio exhibemus blandissima, ut pulverem radicis ipecacuanhae dosi refracta, dein flores zinci, infusum radicis valerianae sylvestris, paucas guttas spiritus cornu cervi, subinde radicem artemisiae vulgaris. Dum eclampsia sustentatur per debilitatem, tunc indicata est methodus roborans, inprimis martialia et cortex cinchonae; dum vero morbus excitatus fuit antagonistice, quod efflorescentiae cutis subito evanuerint, tunc irritatio cutis per balnea, semicupia, epispastica necessaria est.

ECLAMPSIA GRAVIDARUM, PARTURIENTIUM ET PUERPERARUM.

§. 98.

Species haec eclampsiae jam ab antiquis medicinae scriptoribus adnotata est, naturam tamen morbi gravis nonnisi conatus medicorum recentiorum aliquantum clariorem reddiderunt. In gravidis observantur saepe prodroma morbi per horas vel dies durantia, ut cephalaea intensa, vertigo, obfuscatio visus, difficultas, susurrus auditus, subinde nausea, sputatio insolita, vomituritio, enteralgia, excretiones alvi et urinae mutatae, ita etiam temperatura animalis, pulsus arteriarum, somnus et animi status immutantur, e quibus symptomatibus cognoscimus quidem sanitatem turbatam esse, nec tamen eclampsiam futuram praesagimus, nisi forte jam gravida hoc morbo correpta fuisset prodromis iisdem praegressis; eo non obstante symptomata illa omni in casu diligenter colligimus, quia eclampsia subsecuta nobis criteria suggerunt pro charactere dynamico individuali morbi definiendo. Non raro in gravidis, fere semper in parturientibus eclampsia comparet subito, prodromis nullis observatis; mulier comprehenditur convulsionibus gravissimis, saepe tanta violentia, ut mulier etiam tenera nonnisi per fortiores in situ congruo conservari possit; observantur sub his convulsionibus varia phaenomena: conscientia sui silet omnis, saepe intra labia oris exprimitur saliva vel mucus spumescens sanguine tinctus, saepe calor cutis est exaltatus, pulsus arteriarum frequentior et durus, color inprimis faciei ruber, subinde ad lividum accedens, respiratio difficilis, stertorosa; saepe observatur calor animalis imminutus, color cutis inprimis faciei pallidus, pulsus arteriarum parvus, irregularis; non raro contingunt evacuationes involuntariae alvi et urinae, subinde observantur sudor in fronte et facie, epistaxis, duratque hic

status convulsivus subinde per pauca momenta, per quadrantem horae, subinde etiam per plures horas, tunc spasmi remittunt, imo subinde intermittunt, sed mox iterum revertuntur.

Kelp, Diss. de convulsionibus parturientium. Argentorati. 1747.

Engelmann, Diss. de motibus convulsivis et convulsionibus a partu difficili. Altdorfii. 1752.

Schafonsky, Diss. de gravidarum, parturientium et puerperarum convulsionibus. Argentorati. 1762.

Gehler, Diss. de eclampsia parientium, morbo gravi quidem, neque adeo funesto. Lipsiae. 1776, 1777.

Petri, Diss. de convulsionibus gravidarum, parturientium et puerperarum. Göttingae. 1791.

J. Hamilton, über die Convulsionen der Schwangern und Gebährenden (Journal der ausländ. mediz. Literatur, 1802, July, Sept.)

J. L. Fritz, Diss. de convulsionibus gravidarum et parturientium. Virceburgi. 1809.

Boërs Aphorismen über Fraisen, besonders bei Schwangern und Gebährenden, (Abhandl. geburtshülfl. Inhaltes, Bd. II, St. 4, S. 91.)

Chaussier, Considérations sur les convulsions, qui attaquent les femmes enceintes. Paris. 1823.

A. Miquels, Abhandlung von den Convulsionen der Schwangern, Gebährenden und Wöchnerinnen. Leipzig. 1824.

E. Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt a. M. 1823. Bd. II.

§. 99.

Morbum relate ad formam solo visu cognoscimus, therapiam tamen rationalem adornare haud valemus, nisi causas individuales eruerimus. Requiritur ad morbi evolutionem dispositio peculiaris, nam inter multas gravidas parturientes et puerperas iisdem influxibus expositas nonnisi pauciores hoc morbo corripiuntur. In dispositionem talem generandam animadvertente W. Schmit magnum influxum exerit constitutio peculiaris atmosphaerae; nam annis

nonnullis morbus fuit frequentior, dum aliis nullus observatus est. Causae excitantes variae adnotatae sunt, in gravidis subinde saburra in ventriculo, frequentius in tubo intestinali haerens, potus spirituosi excessive ingesti, pharmaca haud indicata exhibita, inprimis emetica, purgantia drastica, emmenagoga, subinde violentia mechanica abdomini, utero gravido illata, coitus excessivus, subinde motus corporis nimius, animi affectus vehemens, ira, tristitia, subinde evacuationes nimiae, inprimis haemorrhagiae largae, subinde morbi alii per quamcunque causam producti, ut metritis, peritonitis, myelitis, encephalitis subinde foetus ipse convulsionibus nimiis exagitatus, vel foetus demortuus, inprimis si graviditas fuerit extra-uterina, quod conceptio contigit in tuba Fallopii vel ovario, vel conceptio quidem locum habuit in cavo uteri, sed ob statum morbosum, emollitionem substantiae uteri, post motum corporis violentum, ut saltum, vel violentiam mechanicam abdomini illatam, utero rupto foetus incidit in cavum abdominis, tunc eclampsia est effectus et symptoma rupturae uteri.

Causae eaedem in parturientem agentes morbum eundem excitare valent, sed praeterea eclampsia parturientium provocatur per partum difficilem, dum caput foetus incuneatum est, dum vagina coarctata est per tumores, varices, dum collum uteri induratum vel spasmo tonico affectum est ita, ut dilatatio debita haud sequatur. Subinde per causas diversas in parturientem agentes excitatur congestio sanguinis major in encephalum, et inde doloribus partus silentibus excitantur convulsiones generales; subinde provocantur eaedem, quod parturiens defatigatur per dolores partus diu durantes, inprimis si tenera et primipara fuerit, vel si gemellos pepererit, vel si haemorrhagia nimia locum habuerit, forte quod placenta fuerit praevia, vel nimis cito soluta, tunc inter haemorrhagiam profusam et convulsiones terribiles peragitur subinde partus.

In puerpera excitatur eclampsia subinde per animi affectus, per ingesta alimenta et potulenta, per refrigerium

admissum, per fluxum lochiorum excessivum aut violenter suppressum, per secretionem lactis nimiam, aut per excretionem ejus impeditam.

§. 100.

Momentis omnibus nosographicis et nosogeneticis inter se combinatis possumus prognosim probabilem pronunciare. In genere eclampsia gravidarum morbus est periculosus, subinde per quamcunque causam excitata excurrit per duas usque duodecim horas, et nonnisi morte terminatur. Non raro per convulsiones vehementes producitur solutio violenta placentae ab utero, inde abortus, partus immaturus vel praematurus; subinde producitur ruptura uteri, inprimis in graviditate tubaria et ovaria; tunc enim postquam foetus gradum aliquem evolutionis suae adeptus fuit, tuba aut ovarium ulterius expandi haud valens rumpitur, convulsiones universales enascuntur, et aegra intra paucas horas enecatur. Nec tamen omnis eclampsia gravidarum letalis est, nam mulieres hystericae, vel epilepsia habituali affectae durante graviditate corripiuntur eclampsia saepe gravissima, quin vita eorum aut foetus periculo exponatur, et tempore partus silent in talibus spasmi omnes, energia vitae omnis tantum in uterum convertitur, reliquum systema nervosum liberum manet ab omni irritatione. Eclampsia parturientium est periculosissima, in plurimis casibus morte terminatur, atque in cadavere reperiuntur subinde ruptura uteri, subinde signa inflammationis praegressae. Siebold testatur, in plurimis cadaveribus a se investigatis adfuisse congestionem sanguinis majorem, serum effusum jam in cavo cranii, jam pectoris, jam pericardio; subinde nulla congestio, imo vasa vacua conspiciebantur, dum nempe sub partu haemorrhagia nimia locum habuit. W. Schmit docet, saepe in cadavere nullam plane mutationem inventam fuisse. Eclampsiam parturientium cum gemellis fere semper letalem esse referunt auctores, interim diversae hae eclampsiae, etiam illa post partum gemellorum, therapiae rationali non raro cedunt.

§. 101.

Quotiescunque aegrotam gravidam eclampsia affectam invenimus, statim coordinamus, ut in situm horizontalem collocetur, a vestibus omnibus constringentibus liberetur, extremitates ejus per adstantes in situ debito retineantur, quin violentia ulla inferatur; inprimis attendi debet ne per convulsiones abdomen laedatur; interim dum haec suademus historiam morbi excipimus, symptomata praesentia colligimus, ut naturam individualem eclampsiae definire valeamus. Non raro symptomata omnia et praecedentia, et concomitantia indicant sanguinis congestionem majorem in encephalum locum habere, atque inde convulsiones excitari; tunc remedia anti-spasmodica utplurimum stimulantia vel narcotica sunt noxia, tantum quae sanguinis congestionem impediunt et tollunt, sunt indicata. In tali eclampsia in gravida, parturiente vel puerpera locum habente sub ipso insultu sanguinis evacuatio suscipi debet, et quidem dum signa observantur plethorae, congestionis majoris, necessaria est phlebotomia in brachio, vel in vena jugulari, evacuarique debet sanguis ad uncias sex usque libram unam; saepe sufficit, sanguinis evacuationem topicam suscipere ope hirudinum vel cucurbitularum cruentarum, quae applicantur ad tempora aut retro ad aures versus occiput. Spasmis haud silentibus capiti imponimus fomenta frigida, et indicatione pro sanguinis evacuatione repetenda haud existente sinapismos ut remedium antagonisticum plantis pedum, suris et brachiis apponimus; interna pharmaca exhibere haud valemus, cum deglutitio in plurimis casibus sit impossibilis.

Nec tamen methodus haec contra omnem eclampsiam indicata est, nam dum gravida vel parturiens vel puerpera temperamento nervoso praedita, debilis, exhausta forte per tristitiam, per partum difficilem diuturnum, per evacuationes nimias, lactis profluvium excessivum eclampsia corripitur, tunc sanguinis evacuatio aegram enecare valet, tunc jam cutis pallor, facies collapsa, pulsus parvus, de-

bilis, frigus extremitatum debilitatem veram indicant, tunc lintea calefacta fumo gummi-resinoso imbuta applicamus abdomini, pectori, capiti et extremitatibus, frictiones instituimus panno aspero vel setaceo, spiritu vini, spiritu aromatico vel camphorato abluimus spinam dorsi, abdomen et extremitates, quibus saepe sinapismos imponimus, et his haud sufficientibus clysma ordinamus ex infuso florum chamomillae vulgaris, vel radicis valerianae sylvestris, addimusque jam asam foetidam, jam spiritum cornu cervi. Naribus admovemus aetherem aceti, vel spiritum cornu cervi; in defectu eorum adhibemus acetum vini bonum aut cochleariam armoraciam rasam; acria haec stimulantia illinimus etiam regionibus temporalibus et epigastricae.

§. 102.

Per remedia laudata spasmi terribiles saepe cessant; ne revertantur causae eorum erutae, forte adhuc praesentes, quo citius fieri potest removendae sunt. Subinde in gravidis et puerperis adest saburra in ventriculo sursum versus turgens, tunc emeticum est indicatum; sed meminisse oportet, per emeticum facile produci abortum, signa gastrica esse fallacia, et non raro per inflammationem latentem peritonaei, uteri, vel encephali produci, ut hoc in febri puerperali observamus; in tali casu emeticum est noxium, eclampsiam praesentem incurabilem reddit; in tali casu sola methodus anti-phlogistica et quidem saepe strictissima potest vitam aegrotae conservare. Non raro saburra in tubo intestinali haerens, si non producit, saltem sustentat eclampsiam; tunc utilissime adhibemus clysmata emollientia, iis haud sufficientibus addimus salem amarum, saepius commendamus decoctum furfurum cum aqua et aceto, vel exhibemus purgantia interna, carbonatem magnesiae, cremorem tartari, salem amarum, salem mirabilem Glauberi, arcanum duplicatum, in plurimis casibus calomelam. Saepe nulla detegimus signa saburrae, eclampsia excitata fuit per animi affectus vel per refrigerium, quibus jam remotis aegras admonemus ad causas easdem sollicite evitandas, indicatio-

nemque curae ulteriorem desumimus a statu dynamico-organico abnormi perdurante. Subinde diathesis inflammatoria perdurat longiori tempore, tunc ad evitandam recidivam necesse est, methodum anti-phlogisticam mitiorem longiori tempore, subinde durante tota graviditate continuare. Saepe observamus tantum symptomata hypererethisiae cordis et arteriarum se manifestantis per calorem et ruborem fugaces, cephalaeam, noctes inquietas; tunc commendamus victum tenuem, usum aëris liberi, succum citri vel acetum vini bonum aqua dilutum, acidum tartari cum saccharo, acidum vitrioli dilutum vel liquorem acidum Halleri cum syrupo rubi idaei vel ribesiorum vel berberum, subinde emulsionem tenuem. Dum vero observamus, symptomata indicare sensibilitatem majorem, et per hanc spasmos provocari, tunc commendamus pulverem radicis ipecacuanhae dosi refracta, subinde flores zinci, his haud sufficientibus praescribimus radicem valerianae sylvestris, asam foetidam castoreum, subinde spiritum cornu cervi et moschum. Interim meminisse oportet, remedia nominata, licet titulo anti-spasmodicorum insignita, et multum commendata, rarissime utilia esse, imo saepe post eorum usum spasmos reddi vehementiores; idem docet observatio de narcoticis, inprimis de opio, quod propterea in hac specie eclampsiae nunquam exhibemus.

§. 103.

Peculiarem attentionem requirit eclampsia parturientium, quae saepe nec post sanguinis evacuationes, nec post alia remedia remittit; subinde enim causam ejus constituit partus difficilis, caput incuneatum uterum continuo irritans; tunc per explorationem obstetricis vel obstetricatoris medici definiri debet impedimentum partus, et quamprimum convincimur, partum naturae viribus haud perfici posse, tunc arte succurrimus, et aut per versionem, aut forcipem, aut vectem partum acceleramus, et non raro eo absoluto spasmi cessant, subinde tamen continuant et parturientem enecant. Subinde auxilia mechanica laudata partum

perficere non valent, dum impedimenta aliis remediis tolli possunt; ita tumores in vagina existentes subinde aperiri debent; dum collum et os uteri spasmo tonico constrictum est, quod digitus explorans clare distinguit, tunc remedium a Chausssier commendatum adhibendum est; nempe extracti hyoscyami vel potius belladonnae miscentur cum aquae destillatae ana drachmis duabus, dein additur axungiae porci uncia una, exactissime terendo conficitur linimentum, quod applicatur collo uteri extenso; utplurimum post 30 vel 40 minuta spasmus tonicus cessat, uterus dilatatur, et partus feliciter perficitur. Subinde impeditur partus, et eclampsia excitatur propterea, quod fundus uteri non contrahitur, dolores partus nulli sequuntur, licet os uteri sit apertum, neque disproportio inter caput foetus, os uteri et cavum pelvis observatur; in tali casu initio per medicos Americanos, dein etiam Europaeos, inprimis Anglos et Gallos felici successu exhibebatur secale cornutum, et quidem in pulvere grana decem, quae dosis post 20 minuta repetebatur. Cum tamen apud nos observationes hoc pharmaco nedum institutae sunt, ideo remedium hoc eo minus commendamus, quod in casu tali, ubi eclampsia excitata fuit ob defectum dolorum partus, nobis suffecerunt alia remedia. initio frictio abdominis manu calida, dein instillamus abdomini spiritum cornu cervi sub frictione moderata, et si deglutitio possibilis est, interne quoque exhibemus spiritum cornu cervi simplicem, vel succinatum, cum infuso tepido vel aqua destillata menthae crispae, menthae piperitae, foliorum vel florum aurantiorum; simul clysmata commendamus ex infuso florum chamomillae vulgaris vel radicis valerianae sylvestris cum asa foetida vel spiritu cornu cervi.

W. Diez, Versuche über die Wirkungen des Mutterkorns auf den thierischen Organismus, und seine Entstehungsart. Tübingen. 1832.

F. Müller, Über einige Wirkungen des Mutterkorns, (Rusts Magazin für die gesammte Heilkunde. B. XL. H. 3. S. 456).

EPILEPSIA CHRONICA.

§. 104.

Epilepsia vocatur etiam morbus sacer, morbus major, morbus Herculeus, morbus comitialis, quia in comitiis Romanorum non raro observatus est, et eo evoluto comitia statim soluta sunt; a multis vocatur etiam morbus caducus, quia plurimi eodem correpti concidunt.

F. Hoffmann, de vera mali epileptici causa. Halae. 1732.

S. A. D. Tissot, Traité de l' épilepsie. Lausanne. 1770.

— Abhandlung von der fallenden Sucht. Berlin. 1771.

F. Henning, Analecta literaria epilepsiam spectantia. Lipsiae. 1798.

J. L. Doussin Dubreuil, de l' épilepsie en général, et particulièrement de celle determinée par des causes morales. Paris. 1797, 1801.

Dietophylus, Physiologische und psychologische Geschichte einer siebenjährigen Epilepsie, von dem Genesenen selbst. Zürich. 1798.

J. G. F. Maisonneuve, Recherches et observations sur l' épilepsie. Paris. 1803.

P. A. Paintaud-Lavienville, Diss. sur l' épilepsie, contenant ses espèces les plus connus, et son traitement. Paris. 1804.

B. Richard, Diss. sur les causes de l' épilepsie, et sur les moyens de les combattre. Paris. 1810.

Lentin, von der habituellen Epilepsie (Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft. Bd. III).

J. C. Wenzel, Beobachtungen über den Hirnanhang fallsüchtiger Personen. Mainz. 1810.

Harless, Analecta pathologica de epilepsiae specie medullae spinalis propria (Opera academica minora T. I. Lipsiae. 1815).

F. F. Birly, Diss. de epilepsia. Viennae. 1814.

E. Löbenstein-Löbel, Wesen und Heilung der Epilepsie. Leipzig. 1818.

J. G. Mansford, Researches into the nature and causes of epilepsy, as connected with the physiology of animal life and muscular motion. London. 1819.

J. E. Chevallier, Diss. de l' épilepsie. Strasbourg. 1820.

J. Cooke, History and method of cure of the various species of epilepsy. London. 1822.

L. F. Calmeil, l' épilepsie étudié sous le rapport de son siége. Paris. 1824.

Rouchet et Casauvielh, de l' épilepsie considérée dans ses rapports avec l' aliénation mentale. Paris. 1826.

A. Portal, Observations sur la nature et le traitement de l' épilepsie. Paris. 1827.

F. Hatin, de l' épilepsie, considérée dans sa nature et dans ses causes, et des moyens propres à les guérir. Paris. 1830.

G. Stahly, Diss. de epilepsia. Budae. 1832.

§. 105.

Ut epilepsiam cognoscere valeamus, attentionem dirigere debemus ad insultum epilepticum, qui stipatus est symptomatibus propriis, per quae discernitur ab omni alio morbo. Subinde symptomata sunt mitissima, aeger antea apparenter sanus subito persentit obfuscationem sensuum, quasi in animi deliquium incideret, contremiscit, considet et mox iterum conscientiam sui recuperat, talis insultus brevis et mitis vocatur epilepsia imperfecta, et non raro talis longiori tempore observatur, donec epilepsia perfecta evolvitur. Saepe insultus comparet noctu, et tunc mitior haud observatur, sed non raro aeger talis habet somnia terrifica de incendiis, de latronibus, terrore exagitatur nimium, excitatur, et tunc convellitur. Saepe tamen insultus epileptici invadunt aegrum vigilem, et tunc distingui possunt tria stadia nempe: stadium prodromorum, convulsivum et soporosum.

Stadium primum seu prodromorum variat pro diversa constitutione individuali aegri, pro diversa duratione ac intensitate morbi; non raro ex iis vicinum insultum aeger

ipse in se attentus et alii observatores praevidere valent; atque tunc morbus subinde praecaveri, vel saltem symptomata ejus molesta mitigari possunt. Multi aegri antequam convulsionibus corripiuntur, persentiunt dolorem capitis obtusum, rarissime acutum, vertiginem, sensuum obnubilationem; ita visus redditur obscurus, ante oculos apparent nebulae, subinde scintillae; auditus evadit obtusus, subinde strepitum, fragorem accusat aeger; ad functiones intellectuales etiam consuetas perficiendas aeger est minus idoneus, plurimi sunt tristes, solitudinem quaerunt, aliqui cito ira corripiuntur, pauci solito jucundiores observantur; etiam in functionibus vitae organicae contingunt mutationes; apud multos deletur appetitus cibi, vexantur nausea, subinde vomituritione; alii torquentur fame et siti, et subinde cibos et potus insolitos, aliqui crematum avidissime desiderant; calor animalis raro mutatur, aliqui tamen percipiunt horripilationem, et calorem aliquantum exaltatum ita, ut rubor cutis inprimis faciei auctus, in aliis imminutus conspiciatur; secretiones et excretiones saepe mutantur, ita cutis jam est sicca, jam sudore perfusa; mutatio locum habet in urina et alvo, tam relate ad quantitatem, quam qualitatem. In nonnullis peculiaris mutatio observatur in sensu coenaesthesis, aeger nempe jam in extremitatibus, jam in trunco percipit sensationem peculiarem vel venti, vel aquae cadentis jam frigidae, jam calidae, vel sensum formicationis, vel sensationem similem illi, quae excitatur per scintillam electricam, quae sensatio secundum directionem nervi unius ab uno puncto propagatur versus centra systematis nervosi, frequentissime versus cerebrum, subinde versus medullam spinalem, subinde versus plexum solarem, diciturque haec sensatio aura epileptica; saepe nulla talis aura observatur, subinde animadvertente J. Frank aura talis inchoat vel in cerebro, vel in medulla spinali, vel in plexu solari, et inde extenditur versus peripheriam. Symptomata haec prodroma durant subinde per plures dies, saepe per paucas horas, saepe tantum per pauca minuta, et mox comparet stadium secundum.

§. 106.

Stadium secundum seu convulsivum se annunciat spasmis clonicis, subinde cum tonicis alternantibus, qui statim in exordio motus diversos provocant; aliqui aegri sub exordio stadii hujus inscii per aliquot gressus currunt, epilepsia cursoria; alii in gyrum rotantur, non tantum stantes, sed etiam sedentes una cum sella, epilepsia rotatoria; plurimi statim concidunt, epilepsia caduca. Subinde convulsiones tantum unam partem corporis occupant, epilepsia partialis, frequentius tamen musculi voluntarii plurimi miro modo exagitantur, epilepsia universalis; ita musculi frontales et occipitales jam contrahuntur, jam relaxantur, ideo frons mox in rugas contrahitur, mox iterum glabra evadit; palpebrae oculorum jam violenter diducuntur, jam firmiter claudunturbulbi oculorum jam rotantur, jam distorti, rigidi in unum objectum diriguntur; labia oris jam violenter contrahuntur, et rostri instar porriguntur, jam nimium diducuntur; maxilla inferior exagitatur nimium ita, ut dentes strideant, subinde confringantur, subinde maxilla inferior luxetur; saepe lingua spasmis exagitata protruditur intra dentes, et non raro morsu laeditur; miri motus observantur in collo, inprimis tamen convulsionibus exagitantur extremitates, flexores digitorum omnes, spasmo tonico corripiuntur, ideo firmissime palmae manus apprimuntur ita, ut saepe vi etiam majori adhibita diduci non possint; musculi brachii et anti-brachii jam contrahuntur, jam extenduntur, et saepe manibus in pugnos coadunatis facies, pectus, abdomen concutitur, nisi adstantes impediant; ita etiam extremitates inferiores convelluntur, praeprimis apud mulieres femora violenter versus abdomen attrahuntur; etiam musculi trunci, thoracis, spinae dorsi corripiuntur spasmis clonicis, qui alternant cum tonicis ita, ut observetur jam emprosthotonus, jam opisthotonus, jam pleurosthotonus. Nec tantum musculi voluntarii soli convulsionibus exagitantur, sed in morbo graviori etiam musculi involuntarii

convelluntur; ita non raro statim sub exordio insultus, subinde eo durante observatur ejulatus, clamor plane peculiaris, terrorem incutiens; subinde est sonus similis illi latrantis canis, saepe similis mugitui. Pulsum arteriarum non possumus explorare in morbo vehementiori; sed continuant et circulatio, et respiratio, varie mutatae; subinde observatur calor exaltatus, color cutis universae, inprimis faciei est magis ruber, subinde livescens, respiratio est strepitosa, saepe stertorosa; subinde motus cordis et respiratio pro momento silent, acsi organa spasmo tonico affecta essent, et tunc comparet pallor, frigus extremitatum, immobilitas ita, ut status sit similis asphyxiae, sed tantum per pauca momenta durat, mox iterum revertuntur convulsiones, sub quibus subinde contingit involuntaria evacuatio alvi et urinae, in viris erectio penis et pollutio. Praeter hos spasmos saepe ita intensos, ut aeger per homines etiam plures difficulter in situ debito conservari possit, alterum symptoma pathognomonicum est absentia conscientiae sui; functio sensuum externorum et internorum ita suppressa est, ut aeger nihil videat, nihil audiat, nihil olfactu, gustu aut tactu distinguat, et insultu superato prorsus nihil sciat de iis, quae tempore insultus acciderunt. Per hanc absentiam conscientiae sui distinguitur insultus epilepticus a spasmis hystericis. Variat hoc stadium intensitate, extensione et duratione, subinde tantum per pauca minuta, subinde per quadrantem, per mediam horam, in rarioribus casibus per plures horas, aut per plures dies excurrit; raro tunc convulsiones eadem intensitate permanent, sed remittunt, imo intermittunt, mox iterum revertuntur. Sub insultu tali exprimitur semper ex ore intra labia mucus, vel saliva ab aëre admixto spumescens, non raro tingitur sanguine, et subinde foetorem spargit. Postquam hoc stadium aegrum exagitavit breviori vel longiori tempore, comparet stadium tertium.

§. 107.

Stadium tertium, soporosum, in epilepsia mitiori non secus ac stadium convulsivum brevissimum est; silentibus convulsionibus conscientia revertitur, aeger oculos aperit, videt, audit, sed somnolentus evadit, subinde tantum per pauca minuta, per quadrantem horae; sed dum stadium convulsivum intensius erat, tunc aeger silentibus spasmis persentit temulentiam magnam, propensionem nimiam in somnum, cui resistere non valet, et sic incidit in somnum profundum, qui durat per mediam horam, subinde per plures horas. Dum stadium convulsivum excurrit per plures horas, aut dies, tunc etiam stadium soporosum longum durat per sex usque duodecim horas, imo subinde per duos tres-ve dies, atque tunc aeger in somno profundo jacet, ut excitari haud possit, cum respiratione simul stertorosa ita, ut status aegri sit similis apoplectico. Non raro tempore somni hujus comparet sudor universalis peculiariter olidus. In nonnullis post stadium convulsivum locum habet vomitus, in aliis diarrhoea, in aliis urina copiosa, colore et foetore a normali distincta, in aliis epistaxis. Superato stadio soporoso aliqui aegri evigilant, et nullum plane symptoma laesae valetudinis persentiunt, imo vigorem majorem exhibent. In pluribus tamen perdurant longiori tempore dedolatio artuum, capitis gravitas, sensuum obnubilatio, appetitus cibi imminutus, animus morosus, quae tandem disparent sanitatis symptomatibus iterum restitutis. Subinde morbus amplius haud revertitur, tunc est epilepsia acuta; sed saepius observatur chronica et habitualis, quae jam citius jam tardius, jam certis jam incertis temporibus revertitur; initio omni anno semel, dein bis, ter, quater, tardius omni mense, et subinde phasibus lunae respondet; morbus ultro increscens revertitur omni septimana, imo omni die.

§. 108.

Licet symptomata epilepsiae adeo peculiaria sint, subinde tamen diagnosis ejus evadit ambigua; sic confundi potest cum insultu hysterico spasmodico, sed in tali insultu praecedunt symptomata peculiaria hypercinesiam hystericam annunciantia, neque observantur distincta stadia insultus epileptici, et conscientia sui hystericas non deserit. Ita etiam distinguitur a chorea S. Viti, cum qua auctores aliqui confundebant, et nomine epilepsiae saltatoriae describebant, nam morbus singulus propria sua habet symptomata. Subinde epilepsia est simulata, partim ut otiosi officio molesto, ut militari se subtrahant, vel ut commiserationem aliorum excitent, partim malitiosi, ut poenas condignas effugiant. Tales collum aliquantum constringendo excitant livorem faciei, frustulum saponis ore volvendo producunt spumam, simul convulsiones imitantur dexterrime, et per exercitium sensibilitatem cutis ita imminuunt, ut scindi et uri possint, quin dolorem manifestent; ideo ad detegendum dolum circumspectio magna necessaria est, ne hominem vere infirmum pro deceptore declaremus. Attendimus in tali casu ad conditionem et characterem hominis, ad circumstantias, sub quibus insultus epilepticus comparet; aeger simulans insultum, eo corripitur utplurimum in concursu plurium hominum medicinae haud gnarorum, caditque ita, ne se laedat. Dein adhibemus criteria ad detegenda symptomata, quae imitari non valent, naribus ope tubuli parvi inflamus pulverem nicotianae fortis, vel pulverem sternutatorium, in vero epileptico nulla contingit sternutatio; ita inopinate instrumentum acutum, ferrum candens vel candelam ardentem versus oculum ejus movemus; in vero epileptico nulla lucis sensatio, nullus motus pupillae observatur; ita excitamus inopinate strepitum, sclopum ejaculamus, atque sic epilepsiam veram semper cognoscere valemus; ad naturam tamen morbi individualem definiendam etiam causas eruere conamur.

§. 109.

Ad evolutionem epilepsiae dispositio peculiaris requiritur, quam in statu dynamico-organico peculiari systematis nervosi sitam esse summa cum probabilitate concludimus, sed nec qualitatem ejus definire, nec signa in habitu aegri se manifestantia adducere valemus, quia in hominibus habitu diverso praeditis morbus comparet. Dispositio talis subinde a parentibus haereditate acquisita est, subinde in utero matris per influxus varios in eam agentes, ut convulsiones, terrorem in foetu producta est; non raro dispositio generatur post nativitatem, subinde sub periodo dentitionis in infantibus, vel sub stadio pubertatis in adolescentibus; in genere morbus frequentius affligit sexum sequiorem tempore evolutionis fluxus catamenialis, tempore graviditatis, partus et puerperii. Causae etiam excitantes longiori tempore in organismum agentes statum systematis nervosi peculiariter abnormem inducunt, quo praesente per causas nocentes insultus epilepticus provocatur. Causae tales sunt multiplices, subinde violentiae mechanicae capiti, spinae dorsi vel aliis partibus illatae; atmosphaera per temperaturam exaltatam, vel refrigerium, inprimis calente corpore admissum, aër exhalatione multorum hominum corruptus, ideo in comitiis, templis, theatris, choreis insultus facile provocatur, non minus per aërem inquinatum exhalationibus diversorum corporum, ut fumum carbonum, fermentationem musti; subinde excitatur per alimenta et potulenta quantitate nimia ingesta, aut qualitate noxia praedita, ut per potus spirituosos excessivos, per venena narcotica, per fungos venenatos; subinde insultum provocant defectus alimentorum, jejunium, evacuationes nimiae, haemorrhagiae, diarrhoeae, inprimis succi genitalis profusio, subinde retentiones profluviorum habitualium, rarissime retentio succi genitalis, subinde adstrictio excessiva corporis vel animi, subinde ira, longe frequentius terror; ita solus aspectus aegri insultu epileptico correpti non raro morbum provocavit. Excitatur subinde epilepsia per pro-

ducta morbosa in organismo humano, per calculos tam biliosos, quam urinarios, per vermes intestinales, subinde per febrim nervosam, per febrim intermittentem, cujus una species epileptica vocatur, per efflorescentias cutis tam acutas, quam chronicas, per vitia organica cordis, per vitia organica viscerum abdominalium, ut per scirrhum et cancrum uteri, per cachexias, ut scorbutum, syphilidem, scrofulas, arthritidem, subinde per nevroses alias, ut choream S. Viti, tussim convulsivam, maniam.

In singulo casu individuali conamur momenta pathogenetica eruere, et combinando symptomata omnia concludimus ad causam proximam, quae adhuc tenebris obvoluta est; omnia tamen phaenomena nos convincunt, sedem principalem causae proximae morbi esse in ipso cerebro, quod etiam disquisitiones pathologicae comprobant. Wenzel testatur, glandulam pituitosam atque cerebellum frequenter exhibuisse phaenomena praegressae inflammationis, Bouchet et Casovielh detexerunt vestigia inflammationis praegressae jam in ipsa substantia cerebri, jam cerebelli, saepe vasa fuerunt turgidiora, in sinubus concretiones polyposae, non raro serum, sanguis, pus, saepe substantia medullaris indurata detecta, atque epilepsia dependens a statu abnormi ossium cranii vel meningum, vel ipsius substantiae cerebri, vocatur epilepsia cerebralis idiopathica. Dantur etiam epilepsiae, in quibus functio encephali perturbata est ob statum abnormem partis alterius organismi; ita Harless demonstravit, per statum dynamico-organicum medullae spinalis, quod forte in meningibus vel substantia medullari processus inflammatorius evolutus est, vel secretio morbosa seri aut sanguinis locum habuit, vel quod a vertebris luxatis aut carie affectis medulla spinalis afficitur, epilepsiam excitari, spinalis dictam. Subinde sedes causae proximae est in nervo aliquo, qui partim comprimitur, partim irritatur, jam inflammatione corripitur, jam degenerationem aliquam subit, et tunc vocatur epilepsia nervea, distinguiturque in specie a parte illa, in qua vitium organicum adest. Subinde

vitium organicum agit in plexum cardiacum, tunc vocatur epilepsia cardiaca, saepe vitium organicum visceris cujusdam cavo abdominis contenti agit in nervos abdominis, tunc vocatur epilepsia abdominalis, in specie enterica, gastrica, hysterica. Subinde nervi partium externarum, ut extremitatum a corporibus peregrinis intrusis vel a tumoribus vicinis compressi, irritati epilepsiam excitant.

Praeter momenta enumerata in singulo casu individuali definire debemus conditionem energiae vitalis in organismo, per quem status ille peculiaris abnormis in encephalo vel medulla spinali vel nervo sustentatur, et hoc respectu distinguitur epilepsia energica et e. asthenica.

§. 110.

Momentis omnibus nosographicis ac nosogeniticis consideratis possumus sententiam probabilem ferre de exitu epilepsiae, quae in genere pertinet inter morbos fatales; raro quidem evenit, ut sub insultu vehementi aeger enecetur, sed hominem affligit per viginti, triginta annos et ultra; subinde relate ad organismum totum epilepsia est morbus quasi indifferens, ut hoc testantur historiae de Hercule, de Julio Caesare etc. Frequentius tamen epilepsia saepe recurrens sanitatem organismi laedit, et status morbosi diversi evolvuntur; in plurimis memoria, judicium et ratio labefactantur, sensus externi obfuscantur, non raro tabes, hydrops, febris hectica, paralysis, apoplexia inducuntur. Ut sententiam de exitu morbi probabilem ferre valeamus, attendimus: 1mo ad dispositionem, dum haec congenita est, tunc spes sanitatis restituendae nulla affulget; dum epilepsia aetate teneriori per influxus causarum accidentalium provocata est, tunc exspectari potest, ut sub evolutione corporis ulteriori, inprimis tempore pubertatis dispareat. Epilepsia provocata tempore pubertatis sanatur subinde in matrimonio, quae autem tardius evolvitur, et etiam in matrimonio perdurat, ejus prognosis minus laeta est; quae excitatur per dentitionem, saburram, vermes,

refrigerium, profluvium suppressum, in genere agnoscit prognosim minus ominosam; epilepsia symptoma constituens alterius morbi ejusdem prognosim sequitur. 2do. Consideramus durationem, intensitatem, complicationem morbi et effectus therapiae adhibitae; nam epilepsia incipiens, breviori tempore durans semper spem sanitatis majorem largitur quam inveterata, quae non obstante therapia rationali longiori tempore adhibita haud remittit, cujus insultus vehementes et longi sunt; ideo prognosis epilepsiae est semper dubia, neque tamen morbum declaramus pro incurabili, cum observatio docet, subinde epilepsias per triginta et quadraginta annos excurrentes sponte per autocratiam naturae sanatas fuisse, ideo in omni casu individuali therapia rationalis adhiberi debet.

§. 111.

Aegro omni epilepsia affecto commendamus, ne unquam solus sit, sed semper amicum vel socium vel custodem ad latus habeat; nunquam solus exeat, nec solus in cubili dormiat; ne jaceat in lecto elevato, sed in humili, sitque lectus culcitris circumdatus; evitet loca, in quibus concursus hominum magnus fieri solet. Cautelis his commendatis therapia alia instituitur tempore insultus, alia post insultum superatum.

Dum prodroma insultus epileptici observantur, tunc varia commendantur ad evolutionem morbi ulteriorem impediendam. Dum aura epileptica persentitur in extremitatibus versus cerebrum ascendere, tunc commendatur compressio vel ligatura fortior nervi, per quem aura ascendit; subinde per hanc manipulationem insultus impeditur, sed saepe nulla talis aura in extremitatibus observatur, et ubi locum habet testantibus observatoribus post ligaturam injectam aeger anxietates summas expertus est, ideo remedium hoc tantum raro indicatum est. Richter docet, emeticum sub prodromis morbi exhibitum per concussionem provocatam insultum epilepticum praecavere. Pharmacum hocce in nonnullis casibus profiteum, in pluribus testante

Cooke noxium erat, ideo nos haud exhibemus, nisi adsint signa saburrae sursum versus turgentis. J. P. Frank inprimis laudat spiritum cornu cervi, prodromis observatis lagenula aperta naribus admovendum, et si fieri potest guttas duas tres-ve in cochleari aquae vel infuso florum chamomillae vulgaris deglutiendo; nec hoc remedium semper votis respondet. Löbenstein-Löbel maxime commendat perfusionem corporis aqua frigida, quamprimum prodroma se annunciaverint, sed nec hoc remedio potest semper insultus ulterior praepediri. Lentin considerat singulum insultum epilepticum ut conamen naturae stimulum systematis nervosi inimicum e corpore eliminandi, ideo docet, ad evacuationes, quae sub fine insultus ut criticae comparent, attentionem peculiarem dirigendam esse, et prodromis insultus recurrentibus eandem evacuationem arte producendam esse; ita quia observatur sub fine insultus jam vomitus, jam diarrhoea, jam sudor, jam urina largior, jam ptyalismus, jam haemorrhagia, quamprimum prodroma morbi comparuerint, exhiberi debet aegro jam emeticum, jam purgans, jam diaphoreticum; jam haemorrhagiam ut epistaxim producimus hirudinibus ad nares applicitis.

Remedium specificum in omni casu ad insultum praecavendum idoneum nullum datur, longe frequentius prodromis comparentibus insultus evolutio amplius impediri nequit; ideo commendamus aegris, ut prodromis observatis in morbo mitiori consideant, in morbo graviori decumbant; vestimenta cuncta corpus stringentia solvantur, membra aegri, ne se laedere valeat, per adstantes sustententur, sed sine omni violentia; in gravidis attentio necessaria est, ne abdomini laesio inferatur; ad solvendos pollices et reliquos digitos violentia nulla adhiberi debet, nam spasmus tantum intensior redditur; ne aeger linguam mordere possit, intra dentes ponimus vel linteum convolutum, vel manubrium cochlearis linteo molli obtectum; nullam medicinam ori infundimus, cum deglutitio sit impossibilis, nec odoramenta acria naribus admovemus, cum olfactus suppressus est; tantum dum insultus vehementior longiori tempore

excurrit, tunc therapiam naturae individuali accomodam commendamus; si observamus, congestiones sanguinis majores in cerebrum adesse, tunc fomenta frigida capiti et iis haud sufficientibus clysmata e decocto furfurum cum aqua et aceto, subinde etiam sanguinis evacuationem adhibemus; dum autem ex consideratione causarum et symptomatum majori cum probabilitate definimus, epilepsiam esse asthenicam, tunc aetherem aceti vel acetum cum cochlearia armoracia, vel spiritum cornu cervi ut odoramenta naribus admovemus, fronti, regionibus temporalibus, regioni epigastricae et spinae dorsi illinimus, clysmata ex infuso chamomillae cum asa foetida vel cum spiritu cornu cervi, quiete per spasmos concessa, injicimus, quatuor extremitatibus sinapismos imponimus; in genere tamen praestat sub insultu nullum remedium adhibere, et spasmis silentibus aeger e somno excitari non debet, nam per somnum vires amissae optime restaurantur.

§. 112.

Insultu omni superato instituimus investigationem exactam aegri, ut natura individuali epilepsiae cum probabilitate definita etiam therapia rationalis coordinari possit. Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus, quas adhuc praesentes removere conamur; ita si corpora peregrina, tumores, excrescentiae partem aliquam systematis nervosi comprimentes, irritantes detecta fuerint, tunc jam extractio, jam excisio, jam causticorum, jam ferri candentis applicatio, subinde trepanatio indicatae sunt; referente J. Frank in uno casu castratio successu felici instituta est. Dum epilepsia excitatur per saburram gastricam, tunc utilia sunt jam emetica, jam purgantia, jam anthelminthica; emetica quidem tantum raro et caute adhiberi debent, ne congestio major in cerebrum provocetur; utiliora sunt purgantia, ab Hippocrate et Galeno jam laudata; subinde mitiora praeferenda sunt, drastica saepius commendantur, ita Aretaeus laudat helleborum, Alexander Trallianus aloë, colocynthidem et scam-

monium, Celsus veratrum nigrum, Prichard jalappam et calomelam, quae pharmaca proficua sunt et saburram eliminando, et virtute sua antagonistica; ideo saepe jam dosi etiam minori salutarem effectum exerunt, quod etiam de ipecacuanha adnotatum fuit. Commendari tamen haec remedia contra omnem epilepsiam minime possunt, saepe enim symptomata gastrica non excitantur per saburram, sed per statum subinflammatorium jam systematis nervosi, jam organorum chylificationis et digestionis, non raro per evacuationes nimias aut per suppressionem profluvii habitualis, tunc contra has excretiones abnormes cura dirigenda erit; si forte post efflorescentias cutis evanidas epilepsia compareat, tunc irritatio cutis per balnea, per frictiones, per epispastica indicata est; si morbi alii partim sympathice, partim symptomatice, partim metastatice epilepsiam provocaverint, tunc pro diversitate morborum protopathicorum therapia diversa adornabitur; sic contra epilepsiam per hydrocephalum vel hydrorrhachiam productam subinde utilia fuerunt diuretica, scilla, colchicum, digitalis purpurea; epilepsia per syphilidem provocata sanatur methodo anti-syphilitica, usu congruo hydrargyri; ita contra epilepsiam a scrofulis, rhachitide, scorbuto, arthritide, infarctibus viscerum abdominalium inductam methodos adhibemus specificas ratione et experientia probatas; epilepsia symptoma constituens febris intermittentis tollitur cortice cinchonae; dum morbus excitatur et sustentatur per animi affectus, tunc remedia simul psychica in auxilium vocari debent.

C. G. Theiner, Diss. sistens casum epilepsiae per terebrationem cranii feliciter sanatae. Berolini. 1818.

§. 113.

Indicatio a causis desumta summi momenti est, per eam expletam non raro cura epilepsiae omnis absolvitur; saepe tamen accidit, ut causae excitantes amplius praesentes non sint, aut praesentes etiam removeri haud possint, ut vitia organica plura; tunc indicationem curae desumimus a causa proxima epilepsiae; eam quidem in specie definire

non valemus, saltem cum probabilitate summa concludimus, statum dynamico-organicum frequentissime cerebri, subinde medullae spinalis aut nervi unius peculiariter abnormem esse, eumque per energiam vitae organismi sustentari, augeri, imminui, imo et tolli; ideo curam nostram dirigimus secundum conditionem energiae vitalis, quam conamur in statu normali conservare, morbose exaltatam imminuere, morbose imminutam erigere. Non raro in epilepsia energia vitae ita morbose exaltata est, ut congestio sanguinis major contingat, inprimis in cerebrum, et tunc epilepsia habet characterem dynamicum subinflammatorium vel inflammatorium. Quotiescunque in subjecto robusto, plethorico, post actionem caloris majoris, vel post refrigerium calente corpore admissum, vel post usum spirituosorum excessivum, vel post influxum venenorum narcoticorum, vel post intensionem mentis nimiam, post iram vehementem, vel post suppressionem fluxus habitualis epilepsia excitata fuit, toties suspicionem justam habemus de charactere morbi energico, de quo convincimur etiam per effectum remediorum forte jam adhibitorum. In tali specie epilepsiae methodus anti-phlogistica est indicata, sanguinis evacuatio, quam jam Aretaeus, F. Hoffmann, Boerhave, Swieten, Cullen, Fothergill, recentissime Wenzel et Galli medici quam maxime commendarunt, et quidem evacuationem sanguinis jam universalem, jam topicam, hirudinum vel cucurbitularum cruentarum ope; simul necessarium est tunc vitae regimen anti-phlogisticum, saepe utilia sunt purgantia anti-phlogistica, inter haec inprimis calomela, atque per methodum hanc statui individuali accomodam non raro epilepsia incipiens feliciter sanari potest; in epilepsia vero chronica, quae aegrum jam per annos complures affligit, rarissime scopo respondet, imo debilitatem veram inducendo non raro morbum auget.

Saepe methodus anti-phlogistica strictior indicata non est, tantum irritabilitatem systematis haematophori morbose exaltatam observamus e calore fugace, e rubore genarum transitorio, e pulsu arteriarum frequentiori; in tali

casu conamur irritabilitatem morbosam imminuere, quem in finem saepe efficacissimum remedium est frigus, cujus virtutem magnam contra eclampsiam in morbis exanthematicis, inprimis sub variolarum eruptione observationes multae probant; sed etiam in epilepsia chronica utilis est aër frigidus, imo perfusio cum aqua frigida, balneum in aqua frigida, non tantum in epilepsia ab onania excitata ut Tissot commendat, sed etiam contra morbum per alias causas provocatum proficuum est. Saepe irritabilitas morbosa imminuitur per usum acidorum, ut aceti, succi citri, acidi tartari. L. Frank laudat succum uvarum immaturarum aqua mixtum usque saporem gratum, et aegro exhibitum pro siti exstinguenda. Subinde majorem virtutem exerunt acida mineralia, ut acidum phosphori, vitrioli, inprimis liquor acidus Halleri.

Subinde remedia laudata effectu salutari destituuntur, quia status ille peculiaris systematis nervosi sustentatur per statum asthenicum, inprimis organorum digestionis et chylificationis, atque tunc vitae regimen roborans et pharmaca roborantia indicata sunt, subinde mitiora, ut extractum absynthii, centaurei minoris, trifolii fibrini, fellis tauri sufficiunt; subinde potentiora necessaria sunt, ut praeparata ferri, prussias ferri, acidulae martiales, subinde cortex cinchonae.

§. 114.

Per pharmaca hactenus proposita saepe epilepsiam sanare haud valemus, ad statum dynamico-organicum abnormem systematis nervosi tollendum alia pharmaca adhiberi debent, quae e copiosis per observatores laudatis pro statu individuali seligimus, et maxime adaequatum saepe tantum post observationes longiori tempore institutas definire valemus. Commendantur copiosa remedia e regno vegetabili, ut radix artemisiae vulgaris, dictamni albi, doronici pardalianches, heraclei spondylii, ipecacuanhae, paeoniae, pyrethri, tussilaginis petasitis, selini palustris, scillae, colchici autumnalis et cepae; flores anchusae officinalis, con-

vallariae et pollen coryli, herba anagallidis amarae, cardamines pratensis, atropae belladonnae, galii lutei et molluginis, lunariae redivivae, androsaces lacteae, taxus, rutae, nicotianae, daturae stramonii, hellebori, hyoscyami, sedi acris, folia aurantiorum, semina sabadillae, cocus nucifera, faba S. Ignatii, strychnos nux vomica, viscus betulinus, corylinus et quercinus, cortex cinchonae, aqua laurocerasi, opium, camphora, asa foetida, benzoë, oleum terebinthinae, olea essentialia anisi, majoranae, cajaput etc. Ex his laudem peculiarem sibi meruit radix paeoniae, quae principium narcoticum minima quantitate continet; folia aurantiorum in morbo mitiori profuerunt; major efficacia tribuitur visco quercino, quem Boerhave, Swieten, de Haen et Cooke laudant; exhibetur vel in pulvere scrupulus unus usque drachmam unam ter, quater per diem, vel in decocto, ex uncia ad colaturam librae unius. Majores adhuc laudes tribuuntur radici valerianae sylvestris, cujus virtutem anti-epilepticam Aretaeus, Dioscorides, F. Hoffmann, de Haen, Burserius, Guarin, inprimis Tissot extollunt; debet e regione montosa desumi et dosi sufficienti exhiberi, in pulvere scrupulus unus usque drachmam unam, ter quater per diem; vel praescribitur in electuario, pulveris radicis valerianae sylvestris, pulveris corticis chinae fuscae alcoholisati ana uncia semis, syrupi paeoniae q. s. u. f. electuarium, omni tertia hora uno cochleari coffeaceo sumatur. Subinde epilepsia sanata fuit camphora, asa foetida, oleo destillato terebinthinae, cujus drachma una usque unciam semis cum vitello ovi subacta exhibetur. Subinde profuit sedum acre, quod in pulvere a granis quatuor usque sex, octo, decem, mane et vesperi sumebatur; aliis utile fuit extractum narcissi, cujus grana quatuor, dein successive usque quadraginta bis per diem sumebantur. G. Stahly laudat pulverem indigo genuini, adultis drachmam semis usque drachmam unam sexies, octies-ve per diem exhibuit. Plures observatores laudant post Burdach radicem artemisiae vulgaris, quae debet autumno vel vere effo-

di, rite siccari, antequam adhibetur, in mortario bene clauso in pulverem subtilem redigi, exhibeturque media, hora ante insultum, vel illico post insultum, uno cochleari coffeaceo, seu drachma una cum parva quantitate cerevisiae calidae; decumbat aeger in lectum, obtegatur calide et hauriat adhuc aliquam quantitatem cerevisiae calidae, sequitur sudor largus calidus et criticus ita, ut saepe jam dosis una sufficiat ad morbum tollendum, subinde tamen plures etiam necessariae sunt. Saepe efficaciam majorem exerunt narcotica, ut hyoscyamus, stramonium, belladonna, digitalis purpurea, nicotiana, aqua laurocerasi, faba S. Ignatii, opium; neque tamen principia adhuc therapeutica ex observationibus hactenus factis fida deducere valemus, sed in singulo casu individuali ingenium medici debet narcoticum maxime congruum seligere; quotiescunque congestio sanguinis major in caput epilepsiam sustentat, narcoticorum usus contra-indicatus est.

Subinde majorem efficaciam exerunt pharmaca e regno animali desumta; olim adhibuerunt stercus humanum et variorum animalium, urinam, secundinam humanam et vitulinam, testiculos asini, vulpis, hepata hominis, lupi, cor lupi, cerebrum hominis, cameli, ranae, cranium humanum, ungulas alcis, inprimis autem sanguinem hominis recenter occisi, quae tamen hodie in usum non vocantur, cum remedia longe magis efficacia innotuerunt, et quidem saepe castoreum, moschus, praeparata ammoniae, oleum animale Dippelii insignem exerunt virtutem; Löbenstein-Löbel maxime commendat phosphorum aethere vitrioli solutum. Cooke refert, tincturam cantharidum successu felici adhibitam fuisse.

Magnae efficaciae pharmaca largitur etiam regnum minerale; subinde tartarus emeticus jam dosi refracta, jam dosi majori, subinde praeparata hydrargyri contra epilepsiam profuerunt; majorem laudem sibi meruit zincum, et inprimis flores zinci; subinde cuprum, inprimis ammoniacum morbum gravem sustulit. Initio exhibemus unam octavam, dein unam quartam, dein unam mediam partem grani unius, dein ascen-

dimus ad grana duo, vel in pulvere, vel in pilulis cum mica panis, continuamusque usum pharmaci per duos tres-ve menses, effectu tunc haud subsecuto remedium seponimus; ita etiam quamprimum sub usu ejus gastralgiam enteralgiam, sensum ardoris, vomituritionem accusat aeger, illico usus remedii suspendi debet. Subinde utiliter adhibitum fuit arsenicum, solutio nempe arseniatis sodae vel lixivae, sed remedium periculosum nonnisi in casibus desperatis et sub inspectione continua medici exhiberi potest. Frequentius adhibitus fuit lapis infernalis, cujus virtutem anti-epilepticam Nord, Heim et Hallé laudant; sed hoc etiam remedium facile ventriculi et tubi intestinalis inflammationem inducere valens nonnisi sub inspectione medici observantis adhiberi potest, initio una decima sexta pars grani unius pro nycthemero, successive augetur usque ad unam quartam, mediam partem grani.

Hartmann, Diss. sistens varias epilepsiae medendi methodos Francofurti. 1787.

Greding, de extracti hyoscyami, stramonii, cicutae, veratri et belladonnae viribus et efficacia in epilepsia habituali tentamina. Lipsiae. 1769.

F. W. Maurer, Commentatio de medicamentis anti-epilepticis. Marburg. 1792.

D. C. Sommer, die Behandlungsart der idiopathischen Fallsucht. Quedlinburg u. Leipzig. 1819.

§. 115.

Praeter remedia interna saepe etiam externa in auxilium vocamus, ut hirudines, cucurbitulas cruentas, fomenta, perfusiones, balnea frigida, nec tamen contra omnem epilepsiam aqua frigida commendari potest; si morbus excitatus fuit per suppressionem sudoris, vel aliarum evacuationum habitualium, vel efflorescentiae cujusdam cutis, tunc fomenta ex aqua tepida et balnea tepida magis utilia sunt. Portal refert, epilepsiam sanatam fuisse oleo animali Dippelii vertici capitis illinito; saepius adhuc successu felici adhibita sunt epispastica, et rubefacientia et vesi-

cantia partim cranio deraso, partim secundum longitudinem spinae dorsi applicita; ita Crighton et Carter testantur, se morbum sanasse unguento antimoniali secundum longitudinem spinae dorsi ita illinito, ut pustulae copiosae productae fuerint; subinde ulcera artificialia per corticem mezerei vel per fonticulos excitata votis satisfecerunt; Hegewisch maxime commendat setaceum nuchae applicandum. Hippocrates, Aretaeus, Galenus, Celsus laudant ferrum candens vertici capitis applicandum; multi tamen hanc cauterisationem horrent, et observationes tristes docent, meningitidem cerebralem periculosissimam excitatam fuisse; ideo sequimur potius consilium a Hallé datum, et ferrum candens nuchae applicamus; vel potius sequimur Larrey, et moxam jam cranio, jam spinae dorsi imponimus. Ad remedia adeo heroica et facile periculosa nunquam recurrimus, nisi prius mitiora remedia omnia effectu destituta esse cognoverimus. Saepe enim morbus mitioribus cedit remediis, ita Quarin testatur, quod epilepsiam multis pharmacis rebellem sanaverit musica; multae observationes referuntur, quae comprobant efficaciam electricitatis, galvanismi, magnetis mineralis, et magnetismi animalis in sananda epilepsia.

G. F. Most, Die Heilung der Epilepsie durch ein neues, grosses, kräftiges und wohlfeiles Arzneimittel. Hannover. 1822.

§. 116.

Praeter pharmaca statui individuali aegri accomoda ad curam morbi gravis perficiendam necessarium est vitae regimen tam physicum, quam psychicum scopo curae respondens observare; attentum reddimus aegrum ad momenta omnia vitae regimen constituentia; indicamus illi tempus et durationem somni et vigiliae, motus corporis, occupationes mentis ei proficuos et noxios; enumeramus alimenta et potulenta, indicando eorum qualitatem, quantitatem et tempus sumendi. Quia influxuum omnium effectus valde relativus est, ideo aegro suademus, ut historiam morbi et curae ejusdem ipse quotidie adnotet, quaenam mutationes

in corpore, in functionibus contigerint, quos labores somaticos et psychicos perfecerit, quibus alimentis, potulentis et pharmacis usus sit; per observationes exactas longiori tempore continuatas cognoscuntur causae et physicae et psychicae, quae in aegro individuali insultui epileptico provocando vel evitando magis favent. Ratio semper haberi debet in therapia, ut excretiones omnes ad statum normalem necessariae rite succedant, ne suppressio sudoris, retentio alvi vel urinae contingat; evitet simul causas omnes organismum debilitare valentes, inprimis profusionem succi genitalis; nam rarissimus est casus, in quo coitus profuit. Subinde mutatio objectorum, quibus aeger circumdatus est, peregrinatio ad curam perficiendam confert, atque per therapiam rationalem in multis casibus epilepsia sanari potest, quae autem ob vitia organica curae rebellis est, saltem magis tolerabilis redditur.

CATALEPSIS.

§. 117.

Catalepsis vocatur Galeno *catoche, catochus*, Celso *morbus attonitus*, est morbus ille rarus et peculiaris, sub cujus insultu conscientia sui omni absente corpus immobile est statuae instar, simul tamen flexibilitatem habet ceream ita, ut figuram omnem ab alio datam retineat.

Tulpius, Diss. de catalepsi. Helmstädt. 1660.

Albinus, Diss. de catalepsi. Francofurti. 1690.

F. Hoffmann, de affectu cataleptico rarissimo. Francofurti. 1692.

Brendel, Diss. de catalepsi. Vittenbergae. 1700.

H. F. Delius, Diatribe de catalepsi. Erlangae. 1754.

L. E. Hirschel, Gedanken von der Starrsucht oder Katalepsis. Berlin. 1769.

J. W. Baumer, Diss. de vera catalapseos notione ac rationali curatione. Gisae. 1776.

G. L. Fabri, Tractatus pathologicus de catalepsi. Halae. 1780.

Laurent, Diss. medico-practica de catalepsi. Parisiis. 1808.

A. H. Merkel, Diss. de catalepsi, ejusque speciebus et modis. Erlangae. 1814.

G. Göbel, Diss. de catalepsi, adjecta historia melancholici catalepsia laborantis. Berolini. 1818.

K. H. Aschoff, Diss. de catalepsie. Berolini. 1821.

§. 118.

Morbus subinde annunciatur prodromis, vertigine, cephalaea, sensuum obfuscatione, aurium tinnitu, gastralgia, enteralgia, nausea, vomituritione, anxietate, inquietudine, somno perturbato, quae prodroma subinde per dies, subinde per septimanas plures durant; saepe nulla prodroma animadvertuntur, aeger antea apparenter sanus subito immobilis evadit, situm illum, in quo per morbum prehensus est, retinet, nisi inde dimoveatur, et recipit situm omnem ab alio datum, dummodo centrum gravitatis non veniat extra basim; tempore eodem conscientia omnis silet ita, ut aeger insultu superato nihil sciat eorum, quae tempore insultus acciderunt; silent sensus externi omnes, oculis etiam apertis nihil videt, nihil audit, tactu nihil percipit, tantum odoratus in nonnullis casibus permanet, vox haeret in faucibus, ita si insultus inchoavit sub loquendo, insultu superato continuat aeger ultimam vocem. Praeter symptomata enumerata, quae indicant functiones systematis nervosi vitae animalis suspensas, alia symptomata perturbationem functionum vitae organicae indicantia vix observantur; respiratio, circulatio continuant et calor animalis moderatus remanent. Forma externa habet morbus aliquam similitudinem cum tetano, ubi etiam immobilitas corporis locum habet, sed immobilitas haec est rigida ita, ut membra tetano affecta potius frangi, quam flecti possint. Convenit morbus cum epilepsia, quod conscientia sui omnis sileat, sed praeter hoc symptoma in epilepsia adsunt spasmi

clonici. Denique convenit morbus cum extasi, dum homo repraesentatione objecti cujusdam abreptus statuae instar immobilis est, sed corpus non habet flexibilitatem ceream, nec conscientia omnis silet, ideae enim, qua abripitur, conscius est. E quibus patet, catalepsim esse morbum distinctum, peculiarem, cujus naturam definire nedum valemus.

§. 119.

Quoad causas praedisponentes frequentius observatus fuit morbus in sexu foemineo, et quidem et in puellis et in juvenibus post annos pubertatis, rarissime post aetatem virilem; causae excitantes adnotatae fuerunt variae, subinde violentia cranio illata, potus spirituosi, catamenia retenta, suppressa, subinde onania, frequentius animi affectus, terror, amor infelix, meditatio profunda in unum objectum directa, inprimis religiosum.

§. 120.

Prognosis variat pro diversa constitutione aegri et pro diversitate causarum excitantium. Saepe insultus durat tantum per pauca minuta, subinde per quadrantem horae, imo per plures horas, revertiturque quotidie vel alternis diebus ita, ut speciem febris intermittentis larvatae constituat, saepe revertitur spatio nycthemeri tantum semel, non raro saepius. Morbus perfecte evolutus, causa excitante remota, non raro cito disparet nec vestigium sui relinquit; subinde tamen diutius excurrit, dum per causam excitantem potentiorem diutius agentem status dynamico-organicus systematis nervosi magis immutatus est; tunc evadit catalepsis chronica, et nisi therapia rationali sublata fuerit, transit in epilepsiam, fatuitatem, apoplexiam aegrum enecantem. In cadavere reperiuntur vasa encephali sanguine turgida, subinde in sinubus concretiones polyposae, subinde in una parte cerebri induratio, in alia emollitio, subinde exulceratio detectae sunt.

§. 121.

Morbus incipiens in plurimis casibus feliciter sanatur, quem in finem oportet, causas excitantes adhuc praesentes removere; ita saburra in tubo alimentari haerens per medicinam emeticam, vel purgantem, vel anthelminthicam evacuari debet, tempore tamen insultus ipsius pharmaca nulla exhiberi possunt; tunc aegrum collocamus in situm talem, ne se laedere possit, si naturam morbi gravis cum probabilitate definire valemus, tunc statim sub insultu therapiam applicamus; si morbus evolutus est post violentias mechanicas capiti illatas, vel post potum excessivum spirituosorum ita, ut adsint signa congestionis majoris sanguinis in caput, tunc perfusio vel embrocatio cum aqua frigida et iis haud sufficientibus ipsa sanguinis evacuatio indicata est. Sed saepe nulla signa congestionis energicae cerebralis deteguntur, imo et symptomata praesentia et causae praegressae indicant, debilitatem potius adesse, et tunc remedia varia, tempore ab insultu libero adhibemus, ut asam foetidam, castoreum, moschum, camphoram, valerianam, oleum animale Dippelii, vitae regimine simul blande stimulante observato.

CHOREA S. VITI.

§. 122.

Chorea S. Viti vocatur Galeno *scelotyrbe*, Theophrasto Paracelso *chorea lasciva* seu *chorea meretricum*, Seauvagésio *scelotyrbe instabilis*, Plouqueto *choreomania*, J. P. Frank *morbus gesticulatorius*, Swediauero *ballismus*; est ille morbus peculiaris, cujus symptomata consistunt in motibus muscularibus miris, sine et contra voluntatem peractis, qui in adstantibus saepe risum, saepe admirationem excitant, conscientia sui semper prae-

sente, ideo differt ab epilepsia, cui morbus subinde analogus est relate ad spasmos, ideo ab auctoribus nonnullis vocatur epilepsia saltatoria. Morbus hic seculo XIV. fuit epidemicus, inprimis in Germania, inde extensus per partem majorem Europae; aegri diversarum classium in plateis congregati, abjectis vestimentis continuo saltarunt, donec non corruissent, et multi eorum exstincti sunt; morbus per theologos et medicos aevi illius pro demoniaco declaratus, et ideo per exorcismum curatus fuit; inprimis celebritatem sibi meruit S. Vitus, patronus monasterii Corvejensis, quo copiosos tales aegros confluxisse et sanatos fuisse refertur; nunc tamen morbus tantum sporadicus observatur.

Beer, Diss. de chorea S. Viti. Viennae. 1769.

C. P. Brückmann, Enumeratio choreae S. Viti et epilepsiae. Francofurti. 1785.

J. G. Engelhart, Diss. de chorea S. Viti. Lund. 1798.

Berends, Diss. de morbi genere, quod Viti choream dicunt. Francofurti. 1799.

Wichmann, Ideen zur Diagnostik Bd. I., S. 134.

E. M. Bouteille, Traité de la chorée, ou danse de S. Guy. Paris. 1810.

J. Bernt, Monographia choreae S. Viti. Pragae. 1810.

J. G. Wagner, Pathologisch-therapeutische Abhandlung über den Veitstanz. Nürnberg. 1818.

Boros, Diss. de chorea S. Viti. Pestini. 1819.

C. J. Stransky, Tractatus de S. Viti chorea. Viennae. 1822.

J. A. Sohler, Abhandlung über den Veitstanz. Wien. 1826.

J. F. C. Hecker, die Tanzwuth, eine Volkskrankheit im Mittelalter. Berlin. 1832.

§. 123.

Evolutionem morbi saepe praecedunt prodroma jam breviori jam longiori tempore durantia, ut animus mutatus, saepe tristis, morosus, solitudinem quaerens, raro laetitia et exultatio insolita; saepe aegri accusant capitis gravitatem, dolorem, vertiginem, sensuum obfuscationem, ne-

bulas, scintillas ante oculos, tinnitum vel susurrum aurium, saepe sensum formicationis in membris, non raro appetitum cibi peculiariter depravatum, nauseam, vomituritionem, alvi evacuationem irregularem, dedolationem corporis majorem. Saepe tamen nulla prodroma locum habent, sed phaenomena evolvuntur morbi singularis subito; motus nempe observantur in diversis partibus corporis, in capite musculi pericranii, frontales et occipitales motitantur, et hinc cutis in fronte et cranio jam mire corrugatur, jam iterum explanatur, ita palpebrae ob motum musculorum abnormem jam dilatantur, jam contrahuntur, et haec nictatio pro specie peculiari choreae habetur; subinde musculi auris motitantur, ut auriculae in motu singulari constituantur; bulbus oculi subinde rotatur, subinde oscillat; musculi labiorum, faciei et genarum moventur varie, ut aeger videatur jam ridere, jam flere, os est jam contractum, jam distortum. Caput ipsum subinde continuo rotatur, dicitur chorea circumrotatoria; subinde caput movetur continuo alternatim antrorsum et postrorsum instar mallei, dicitur chorea malleatio. Subinde motus singulares observantur in collo, quod vario modo distorquetur, jam in unum, jam in aliud latus, jam contrahitur, jam violenter antrorsum porrigitur, ut in cygnis. Plurimi motus singulares observantur in trunco et extremitatibus, et quidem saepe in extremitatibus superioribus, et tunc aeger nec bibere, nec comedere solus potest, dum enim poculum apprehendit illud mox invertit vel dimittit, dum ori admovere tentat, capiti vel abdomini infundit, subinde motibus involuntariis manuum vestimenta lacerat, convolvit, crines divellit; frequentius adhuc comparent motus singulares in extremitatibus inferioribus, recte incedere et stare non valet, sed titubat, facillime cadit, corruit, acsi membra ligata vel ligamentis articularibus relaxatis luxata essent; saepe motus perficit cum singulari agilitate, saltat, in altum scandit. Nonnulli aegri, dum insultu corripiuntur, eum totum sedendo absolvunt, dicitur chorea sedentaria, alii stant (chorea stataria), alii currunt (chorea

procursiva), alii saltant (chorea saltatoria), alii tremunt (chorea tremula), alii gestus diversos faciunt (chorea chaos seu gesticulatoria.) Non raro etiam musculi trunci singulari motu exagitantur, subinde truncus totus antrorsum versus inflectitur et contorquetur in gyrum limacis instar, mox postrorsum projicitur. Nec tantum musculi infra cutim positi, sed etiam profundius reconditi exagitantur motibus talibus; ita lingua miro modo jam porrigitur, jam retrahitur, jam in ore volutatur; ita etiam musculi pharyngis, laryngis, pectorales et diaphragma vario modo commoventur; propterea deglutitio saepe est impedita, cibus ori impositus mox iterum ejicitur; vocis et loquelae formatio saepe impedita est, respiratio anhelosa, tussi et singultu juncta. Subinde motus tales singulares tantum in una parte corporis locum habent, dicitur chorea partialis, subinde per unum latus corporis extenduntur (chorea semilateralis), subinde musculi voluntarii plurimi morbo comprehenduntur, dicitur chorea magna seu universalis; in tali spasmi observantur jam clonici, jam tonici alternantes, subinde aliquae partes evadunt immobiles, insensiles et quasi paralyticae, subinde motus perficiuntur singulares, acsi aeger nataret, vel in aëre volaret, duratque talis insultus per pauca minuta, per quadrantem horae, subinde per horam integram, et revertitur quotidie semel aut saepius ita, ut in plurimis casibus chorea sit intermittens, subinde tamen etiam continua, et quidem aliquando continens, saepius remittens, tunc nempe motus abnormes continuo adsunt, donec aeger vigilat, quamprimum somno obruitur, pacatissime jacet, in rarioribus casibus observatur jactitatio corporis major, vel exclamatio in somno. Praeter hos motus singulares saepe nulla alia phaenomena morbi observantur, febris nulla, calor animalis moderatus, conscientia sui plena, tantum in rarioribus casibus observata sunt simul deliria, vocatur chorea insaniens, subinde occurrit morbus in connubio cum somnambulismo, epilepsia vel paralysi.

§. 124.

Morbum hunc singularem relate ad formam ex symptomatibus attente observatis et inter se combinatis facile cognoscere valemus, natura tamen individualis obscura manebit, nisi causas exquisiverimus. Aliqui dispositionem peculiarem jam haereditariam, jam in utero generatam, jam tardius per influxum potentiarum nocentium provocatam habent, quam nullis signis externis, sed tantum per observationem cognoscere valemus; qui hypercinesia laborant, facilius in hunc morbum incidunt, ideo frequentior est morbus in sexu foeminino, quam virili, et quidem frequentior tempore pubertatis. Causae excitantes variae referuntur per observatores, subinde violentiae externae capiti et spinae dorsi illatae, subinde refrigerium, saburra partim ex ingestis, partim per secretionem morbosam generata, jam biliosa, jam mucosa; frequentissime accusantur vermes intestinales, qui nonnunquam ad morbum evolvendum confe-funt, sed saepe innocui sunt, nam saepe anthelminthica remedia exhibentur aegro longiori tempore, quin chorea remittat, imo increscit. Subinde excitatus fuit morbus per evacuationes habituales suppressas, per efflorescentias cutis cito evanidas, post evacuationes nimias sanguinis, liquidorum secretorum, inprimis succi genitalis; frequentius excitatus fuit morbus per animi affectus, et quidem per terrorem. In Italia meridionali excitatur subinde per morsum araneae, seu lycosae tarantulae, seu phalangii arachnoidis, et vocatur tarantismus. Subinde nulla causa excitans detegi potest, praeter evolutionem ipsius organismi, tempore pubertatis contingentem.

Causam proximam adhuc definire non valemus; quod status dynamico-organicus systematis nervosi peculiari modo abnormis sit, hoc omnia symptomata morbi indicant, sed quae pars systematis nervosi et qua ratione abnormis sit, hoc adhuc obscurum est. Experimenta quidem physiologica, praecipue a Rolando et Flourens instituta docent, ad motus voluntarios perficiendos concurrere in-

primis cerebellum, experimenta autem a Bell, Shaw et Magendie instituta extra dubium ponunt, nervos spinales anteriores motibus provocandis destinatos esse; ideo summe probabile est, in chorea S. Viti statum dynamicum jam cerebelli, jam medullae spinalis peculiari modo abnormem esse. Quia statum illum definire non valemus, ideo attendimus ad energiam vitae in toto organismo, per quam status ille abnormis systematis nervosi sustentatur. Subinde observatur status plethoricus, congestio sanguinis major, dicitur chorea energica, hypersthenica, activa. Saepe signa nulla detegimus energiae morbose exaltatae, sed potius debilitatem veram, ideo Pinel retulit morbum hunc ad paralysim, vocatur chorea asthenica seu passiva seu paralytica; saepius tamen nec energia exaltata, nec paralysis adest, sed debilitas cum irritabilitate morbose exaltata, dicitur chorea erethistica.

§ 125.

Quod prognosim concernit, chorea in genere constituit morbum minus periculosum; non raro potentiis nocentibus remotis per solam autocratiam naturae sanatur; saepe tamen morbus sibi relictus vel perverse curatus evadit chronicus, aegrum affligit per annos, et tunc transit non raro in nevroses alias periculosiores, ut epilepsiam, paralysim, vesaniam, inprimis fatuitatem, subinde in apoplexiam; neglectus transit non raro in morbos vitae organicae, in febrim hecticam, tabem, hydropem, et sic in mortem, nisi therapia rationalis adhibita fuerit.

§. 126.

Licet causam choreae proximam definire haud valemus, therapiam tamen illius saepe successu felicissimo instituimus. Diversitas symptomatum et causarum nos convincunt, naturam individualem choreae diversam esse; ideo ab auctoribus therapiae diversae propositae sunt, quarum singula quantumcunque laudata minime convenit pro omni casu. Tempore insultus inprimis choreae gravioris nulla

medicina adhibenda est, tantum attendendum, ne aeger sibi laesionem inferat. Subinde per laminam metallicam politam inprimis zincum parti chorea affectae impositam spasmus tollitur, nec tamen in omni casu; subinde chorea est continua, motus singulares locum habent durante tota vigilia, tunc ergo etiam tempore insultus cura indicata suscipi debet. Desumimus autem indicationem curae primam a causis morbum excitantibus et sustentantibus, ita contra morbum per violentiam mechanicam externam provocatum auxilium chirurgicum necessarium est; contra profluvia suppressa, efflorescentias cutis evanidas semicupia et cutim irritantia remedia desiderantur; saburra in tubo intestinali praesente, evacuatio ejusdem requiritur; post Hamilton maxime commendatur oleum ricini et calomela; vermibus praesentibus simul etiam anthelminthica adhibentur, quae in casibus individualibus omnino proficua sunt; sed saepe et purgantia et anthelminthica longiori etiam tempore incassum adhibentur, quia morbus nec generatur, nec sustentatur a saburra et a vermibus, sed a statu peculiari dynamico-organico systematis nervosi, qui sustentatur per energiam vitalem totius organismi, ideo indicationem curae ab hoc momento fundamentali desumimus.

Non raro chorea characterem dynamicum energicum habet, per congestionem sanguinis majorem in systema nervosum sustentatur, atque tunc methodus anti-phlogistica est indicata, et quidem subinde venae-sectio, quam observatores magni Sydenham, Cullen, Stoll commendarunt; hodie tamen frequentius requiritur tantum topica sanguinis evacuatio cucurbitularum cruentarum aut hirudinum ope, quarum applicationem retro processus mastoideos versus nucham maxime commendat Broussais.

Saepe methodus anti-phlogistica adhiberi non potest, status enim dynamico-organicus choream sustentans est asthenicus, atque tunc remedia diversa stimulantia indicata sunt, ut flores chamomillae vulgaris, aurantiorum, cardamines pratensis, radix valerianae sylvestris, radix arnicae, radix artemisiae vulgaris, folia aurantiorum, succus

sempervivi tectorum; Plenk maxime commendat herbam chenopodii ambrosioidis in pulvere scrupulum semis, unum bis ter-ve per diem, vel forma infusi drachmae duae usque uncia semis ad colaturam unciarum sex, ut omni bihorio duobus cochlearibus sumatur. Subinde majorem efficaciam exerunt camphora, castoreum, asa foetida, oleum animale Dippelii, moschus, quem J. Frank commendat in connubio cum calomela. Subinde referente Bernt cum successu adhibita fuerunt cuprum ammoniacum, lapis infernalis, imo et arsenicum; quae pharmaca venenata et periculosa adhibendi apud nos nulla necessitas fuit; mitiora enim suffecerunt, et quidem magisterium bismuthi a Raimann maxime laudatum, flores zinci, quorum virtus hic pluribus observationibus felicibus probata est; in nonnullis casibus cyanites zinci, incipiendo ab una tertia parte grani unius bis per diem, dosi successive ad grana quatuordecim aucta pro nycthemero profuit. Subinde morbus devictus est per remedia narcotica, ut hyoscyamum, cicutam, belladonnam, stramonium. Non raro mitiora remedia sufficiunt, ita incipiens morbus etiam hic sanatus est per liquorem acidum Halleri, subinde per lotionem vel perfusionem corporis cum aqua frigida, per immersionem in aquam frigidam, quales curas feliciter instituit Dupuytren.

Non raro habitus aegri externus, conditio digestionis et chylificationis indicant statum debilitatis praedominantis in organis digestionis et reproductionis; in tali casu vitae regimen roborans, pharmaca roborantia, amara stomachica, praeparata cinchonae et martialia sunt indicata. Elliotson maxime commendat carbonatem ferri, cujus initio scrupulum semis ter per diem exhibet, successive dosim auget usque ad drachmas duas. Apud nos doses minores scopo satisfaciunt. Contra debilitatem praesentem saepe utiliter adhibentur lotiones corporis vinosae, spirituosae, subinde balnea cum herbis aromaticis et vino, vel balnea aluminosa, et martialia. Testantur observatores, choream sanatam fuisse per electricitatem, galvanismum, magnetem mineralem et magnetismum animalem.

Silentibus symptomatibus morbi cura non est illico *negligenda*, nam facile revertuntur symptomata molesta; *propterea* causae excitantes individuales longo tempore sol*licite* arceri debent, et si character morbi energicus fuerat, vitae regimen anti-phlogisticum longiori tempore continuandum est, si vero character dynamicus asthenicus fuerat, tunc vitae regimen roborans, aër purus siccus, cibi nutrientes, potus moderate spirituosus et animum exhilarans, motus corporis haud defatigans, illucusque adhiberi debent, donec status energicus normalis restitutus est.

CONVULSIO ET NECROSIS CEREALIS.

§. 127.

Vocatur morbus hic myrmeciasis, estque utplurimum epidemicus, per qualitates pravas cerealium inductus, cujus symptomata praecipua sunt formicatio molesta, nevralgia, praeterea convulsiones universales diversae formae, et saepe gangraena, necrosis extremitatum; pro diversitate symptomatum praedominantium et diversa qualitate prava cerealium diversis insignitur nominibus, ita Linneus et Cullen vocant *raphaniam*, Seauvagés *necrosim ustilagineam*, Baldinger et Sprengel *convulsionem cerealem*, Plouquet *myrmecismum* seu formicationem, Darwin *convulsionem dolorificam*, Swediauer *myrmeciasim*, Jos. Frank *morbum cerealem*, Galli *ergotismum*. Morbus hic sine dubio antiquus, frequentior adnotatus fuit seculo XVI, XVII, inprimis autem seculo XVIII, tuncque ab observatoribus medicis exactius descriptus.

Linneus, Diss. de raphania. Upsaliae. 1763.

J. E. Wichmann, Beitrag zur Geschichte der Kriebelkrankheit, im Jahre 1770. Leipzig u. Celle. 1771.

J. G. Leidenfrost, de morbo convulsivo epidemico Germanorum, caritatis annonae comite. Duisburg. 1771.

H. M. Marcard, von einer der Kriebelkrankheit ähnlichen Krampfsucht, die in Stade beobachtet worden ist. Hamburg u. Stade. 1772.

Lentin, Beobachtung einiger Krankheiten. Göttingen. 1774.

J. Taube, Geschichte der Kriebelkrankheit, besonders derjenigen, welche 1770 und 1771 in den cellischen Gegenden gewüthet hat. Göttingen. 1782.

C. G. Gruner, programmata, responsa facultatis medicae Marburgensis de convulsione cereali epidemica. Jenae. 1792,3.

L. P. Schröter, Bemerkungen über das Mutterkorn und was dabei in Absicht auf die Gesundheit zu beobachten. Rinteln. 1792.

P. Budetzius, Diss. de convulsione cereali. Viennae. 1814.

C. J. Lorinser, Versuche und Beobachtungen über die Wirkungen des Mutterkorns auf den menschlichen und thierischen Körper. Berlin. 1824.

§. 128.

Symptomata morbi non observantur semper eadem, sed per constitutionem individualem aegri, per influxus noxios alios simul praesentes, inprimis per genium epidemiae regnantis modificationes diversae locum habent, distinguuntque ab auctoribus duae formae, nempe myrmeciasis apyreta et febrilis.

Myrmeciasis apyreta, vocatur etiam chronica, quia per septimanas, imo menses plures excurrit, vocatur etiam convulsio cerealis, convulsio Soloniensis, seu morbus cerealis convulsivus, quia convulsiones semper locum habent. Incipit morbus cum dolore spinae dorsi, dedolatione artuum dolorifica, dolore capitis gravativo et dolore premente epigastrii, quibus prodromis per pauciores aut plures dies aegrum divexantibus evolvitur morbus gravior; utplurimum dum aeger cibum ingerit subito experitur anxietatem nimiam, pectoris oppressionem magnam, dedolationem corporis totius tantam, ut se sustentare haud valens instar apoplectici corruat, sed con-

scientiam sui plenam retinet, febris nulla symptomata adsunt, calor animalis non est mutatus, nec pulsus arteriarum frequentior, imo subinde tardior; dum haec contingunt, mox corripitur convulsionibus, et quidem variis jam clonicis, jam tonicis, non raro similibus choreae S. Viti; durat talis insultus per unam alteram-ve horam, dein remittunt spasmi, cessant et aeger jacet quietus, immobilis, languidus, pallidus, utplurimum incidit in somnum, unde excitatus persentit in cute sensationem illam peculiarem, acsi formicae copiosae infra cutim ambularent; simul torquetur fame nimia, quidquid arripere potest, devorat; post ingesta experitur gastralgiam, ructus, nauseam, vomituritionem, vomitum, quo praeter ingesta evacuat mucum copiosum, bilem, subinde vermes, ascarides lumbricoides, frequentius trichocephalos. Insultus tales spasmodici initio revertuntur tantum omni altero die, dein quotidie saepius, et ita morbus excurrit per septimanas quatuor, quinque, sex, subinde per plures menses, corpus emaciatur et paralysi, saepe necrosi extremitatum accedente aeger exstinguitur.

Forma alia relate ad essentiam haud distincta est myrmeciasis febrilis, dicitur etiam acuta, necrosis cerealis, vel morbus cerealis gangraenosus, quia symptoma ejus praecipuum est gangraena extremitatum. Incipit morbus cum dedolatione artuum, cephalaea gravativa, dolore in regione epigastrica et abdominali, nausea, quae symptomata prodroma per pauciores vel plures dies durant, tunc subito evolvitur febris cum horripilatione, quam excipit frigus validum, transiens in calorem siccum, intensum et continuum, cum cephalaea vehementi, siti intensa, lingua arida, deliriis et convulsionibus, alvo utplurimum obstipa; aegri plurimi accusant sensum formicationis molestum, et dolores atroces, quibus extremitates divexantur; post paucos dies symptomatibus febris increscentibus abdomen meteoretice extenditur, in cuti comparent carbunculi, et extremitates prius summe dolorificae redduntur insensiles, frigidae, et sic evolvitur

angraena, subinde humida, frequentius tamen sicca seu ecrosis, per quam separantur initio partes molles usque d ossa, dein articuli minores digitorum, pedum et ma- uum, dein articuli majores, subinde integra membra, et sic aeger emoritur intra septem dies usque tres septimanas.

§. 129.

Morbus descripfus secundum observationes omnes tantum tempore caristiae ex defectu cerealium ortae observatus est, et quidem inter pauperes, inter quos nulli aetati et nulli sexui parcit. Frequentissimam causam excitantem constituit secale cornutum; annis nempe nonnullis, inprimis humidis secale subit peculiarem degenerationem ita, ut semina non tantum monstrose excrescant, sed farinam largiantur principio peculiari acri narcotico inquinatam; panis e tali farina coctus, ut experimenta a Tessier et recentissime ab Orfila et Lorinser instituta probant, convulsiones et necrosim cerealem inducunt. Subinde tamen alia inquinamenta cerealibus immixta morbum atrocem produxerunt, secundum observationes Linnei semina raphani raphanistri, ideo morbum appellavit raphaniam; secundum observationes aliorum excitatus fuit morbus per semina lolii temulenti, bromi secalini venenati, nigellae sativae, agrostemmatis githaginis, et per semina cerealium ustilagine infectorum, subinde sine vitiis memoratis, dum tempore caristiae magnae messis instituta est, antequam cerealia maturitatem perfectam adepta fuerunt, et panis paratur e farina seminum immaturorum, et dum in vicem panis salutaris varia incongrua alimenta ingeruntur; his accedunt animi moeror, desperatio, subinde constitutio atmosphaerae epidemica; atque per influxum horum momentorum status dynamico-organicus inprimis organorum digestionis et chylificationis perturbatur, mox conditio etiam sanguinis et systematis nervosi peculiari modo abnormis redditur, et sic evolvuntur phaenomena convulsionis ac necrosis cerealis; subinde myrmeciasis febrilis sub circum-

stantiis faventibus contagiosa evadit, et tunc instar typhi contagiosi ultro propagatur.

§. 130.

Morbus perfecte evolutus pertinet inter periculosissimos; per autocratiam naturae rarissime sanatur; plurimi hoc morbo correpti degeneratione organismi semper increscente moriuntur, et quidem myrmeciasis acuta intra septem, ad summum viginti unum dies hominem enecat; chronicus per quinque septimanas, subinde per plures menses aegros affligit. Sub therapia rationali non pauci salvantur, et dum morbus in sanitatem transit, observantur evacuationes criticae per vomitum et diarrhoeam, non raro evacuantur simul ascarides, jam lumbricoides, jam trichurides; subinde observata fuit evacuatio salivae largior, frequentius sudor universalis, sub quo comparent subinde miliaria, subinde psydraciae, furunculi, vel abscessus metastatici. Morbo etiam superato reconvalescentia est longa, remanent enim longo tempore debilitas muscularis, subinde morbi alii, ut auditus difficilis, cataracta, amaurosis, epilepsia habitualis, fatuitas, paralysis, digitorum vel extremitatum deperditio; sed non obstante tali deperditione subinde vita conservatur. In cadavere putredo evolvitur citissime, in cuti conspiciuntur saepe maculae gangraenescentes, in cavo cranii et in specu vertebrarum reperitur saepe serum, in cavo abdominis viscera plurima, inprimis ventriculus et intestina exhibent maculas lividas gangraenescentes, ut signa praegressae inflammationis; in cavo pectoris detegitur saepe extravasatum cruentum, cor flaccidum, vacuum, in vasis majoribus sanguis niger, quae phaenomena cacochymiam specificam cum statu abnormi systematis nervosi conjunctam esse indicant.

§. 131.

Cum morbus periculosus facile late per cives extenditur, ideo cura publica magistratuum evolutio morbi impediri debet, procurando, ut cives semper panem sufficien-

tem et bonum habeant; ideo agricultura promovenda est, cerealia bona per plures etiam annos conservanda, ne defectus eorum emergat. Tempore messis instantis censores gnari inspiciant segetes, ne messis instituatur ante maturitatem perfectam cerealium, et si observata fuerint cerealia multis plantis venenatis inquinata, earumque separatione haud possibili, usus talium interdici debet.

Morbi evoluti curam suscipimus pro diversa conditione status dynamici totius organismi, et inprimis tubi intestinalis. In myrmeciasi acuta, testantibus observatoribus, febris subinde characterem inflammatorium habet ita, ut ad pericula morbi arcenda sanguinis evacuatio sit necessaria. Talem tamen characterem morbus minime exhibet semper; imo in epidemia anno 1770 et 1771 late per Germaniam extensa Wichmann, Lentin et Taube venae-sectionem fuisse summe periculosam testantur; character enim morbi fuit vere asthenicus; non tamen profuerunt statim stimulantia ad exordium curae exhibita, sed ante omnia requirebatur evacuatio saburrae, quem in finem tempore ab insultu spasmodico libero exhibetur ipecacuanha tartaro emetico juncta, vel tartarus emeticus solus, et quidem dosi solito majori; referentibus Wichmann et Taube tartari emetici scrupulus semis usque scrupulum unum porrigi debuit, donec emesis secuta est. J. Frank refert, in Russia subinde exhibita fuisse grana quadraginta tartari emetici, donec emesis desiderata locum habuisset, nam per alimenta illa venenata inducitur ventriculo status torporis ad paralyticum accedens. Saepe emetica non sufficiunt, sed saburra etiam e tubo intestinali evacuari debet per purgantia, ut salem amarum, salem mirabilem Glauberi, arcanum duplicatum, folia sennae, radicem rhei vel jalappae. Taube maxime commendat calomelis scrupulum semis, unum, omni tertia hora, donec alvi evacuationes binae ternae-ve secutae fuerint.

Evacuatio saburrae ab ingestis generatae est summe necessaria, neque tamen per eam solam cura perficitur; effectus substantiae venenatae in sanguine et systemate ner-

voso *productus* romanet, estque cum debilitate vera connexus; *ideo* necessaria sunt remedia stimulantia, pro intensitate morbi seligenda. Laudantur ab observatoribus radix *acori*, arnicae, valerianae sylvestris, liquores aetherei, camphora, ammonia, inprimis spiritus cornu cervi, in nonnullis casibus moschus, inprimis autem vinum bonum antiquum, dum aeger doloribus vexatur, opium; febri silente ad debilitatem residuam tollendam maxime laudantur praeparata cinchonae. Externa simul remedia energiam vitae languentem excitare valentia in usum vocari debent, ut frictiones corporis panno aspero calido, lotiones cum vino, spiritu vini simplici, vel aromatico, vel camphorato, fomenta aromatico-vinosa ad abdomen; signis torporis majoris, paralysis sese annunciantibus sinapismorum et emplastri cantharidum usus est indicatus; signis gangraenae vel necrosis sese manifestantibus fomenta partim aromatica, partim adstringentia, anti-septica, solutio chloratis calcis, acidum pyro-lignosum vel creosotum Reichenbachii adhiberi debent. In omni casu praeter pharmaca casui individuali accomodata et durante morbo, et eo superato vitae regimen roborans necessarium est, aër purus siccus, jusculum vinosum, vel animali-gelatinosum cum vitello ovi et aromate, pro potu dosi moderata vinum antiquum bonum; estque tale vitae regimen roborans simul optimum remedium prophylacticum.

HYPOCHONDRIASIS.

§. 132.

Hypochondriasis et hysteriasis a nosologis nonnullis, ut J. P. Frank, Sprengel, Conradi etc. pro uno eodemque morbo habetur, et a Swediauer nomine *hypercinesiae* insignitur, in quo scilicet et sensibilitas, et irritabilitas morboso exaltatae sunt; morbi tamen hi bini

relate ad momenta nosographica et nosogenetica non parum distincti sunt; ideo distincta eorumdem investigatio necessaria est.

Hypochondriasis vocatur etiam *malum hypochondriacum*, *affectio hypochondriaca*, ab Hippocrate *morbus resiccativus* vel *siccatorius*, ab Aëtio et Galeno *passio flatuosa*, a recentioribus *nevro-ataxia*, *debilitas nervosa*, *morbus eruditorum*, a Swediauer *hypercinesia hypochondriaca*; est ille morbus peculiaris nervosus, utplurimum chronicus, raro acutus, in quo praeter functiones organorum digestionis et chylificationis perturbatas diversa adsunt symptomata, nulla tamen constantia, non diu perdurantia, iterum aliis novis cedentia, cum singulari attentione aegri in suum statum, cum anxietate et sollicitudine nimia de valetudine sua, qua fit, ut symptomata etiam leviora, tanquam gravissima et maxime portentosa vividis depingat coloribus.

F. Hoffmann, Diss. de vera morbi hypochondriaci sede, indole et curatione. Halae. 1719.

Flemming, Neuropathia seu de morbis hypochondriacis et hystericis. Eboraci. 1740.

J. V. Zeviani, del flato in favore degli ipocondriaci. Verona. 1755, 1761, 1775.

— Über die Hypochondrie, Windsucht und Blähungsbeschwerden, mit Bemerkungen von Kreysig. Leipzig. 1794.

Haller, Diss. de morbo hypochondriaco. Göttingae. 1752.

A. Fracassini, Naturae morbi hypochondriaci, ejusque curationis mechanica investigatio. Veronae. 1756.

P. Pomme, Traité des affections vapeureuses des deux sèxes. Lyon. 1763. 1803.

R. Whytt, Observations on the nature, causes and cure of those disorders, which have been commonly called nervous, hypochondriac, or hysteric. Edinburgh. 1765.

— Beobachtungen über die Krankheiten, die man gemeiniglich Nervenübel, ingleichen hypochondrische und hysterische Zufälle nennt. Leipzig. 1794.

C. Revillon, Recherches sur la cause des affections hypochondriaques, appelées communément vapeurs. Paris. 1779, 1786.

J. Kämpf, Abhandlung von einer neuen Methode, die hartnäckigsten Krankheiten des Unterleibs, und besonders die Hypochondrie sicher und gründlich zu heilen. Leipzig. 1786.

A. G. Weber, mali hypochondriaci veri ac nervosi notio et natura. Rostock. 1795.

Kreysig, Diss. pathologia mali hypochondriaci. Vittenbergae. 1797.

J. W. L. Luce, Versuch über Hypochondrie und Hysterie. Gotha u. S. Petersburg. 1797.

C. Tode, nöthiger Unterricht für Hypochondristen. Koppenhagen. 1797.

Otto, Diss. de hypochondriasi. Francofurti. 1805.

L. Storr, Untersuchungen über den Begriff, die Natur und die Heilbedingungen der Hypochondrie. Stuttgart. 1805.

K. J. Zimmermann, Versuch über die Hypochondrie und Hysterie. Bamberg. 1816.

Louyer-Villermay, Recherches sur l'hypochondrie et l'hysterie. Paris. 1803.

— Traité des maladies nerveuses ou vapeurs, et particulièrement de l'hystérie et de l'hypochondrie. Paris. 1816.

J. Reid, Essais on hypochondriasis and other nervous affections. London. 1816, 1821.

J. P. Falret, de l'hypochondrie et de l'hystérie. Paris. 1824.

T. M. Caton, popular remarks medical and literary, on nervous chronic debility, hypochondriac and hysterical diseases. London. 1824.

H. Schnaubert, Beitrag zur Erkenntniss des Wesens der Hypochondrie und deren richtiger Behandlung. Eisenberg. 1827.

§. 133.

Ne in morbo relate ad symptomata valde variabili cognoscendo errorem committamus, attentionem dirigere debemus ad totum organismum et ad exercitium functionum omnium. Habitus corporis hypochondriaci in morbo incipiente, imo subinde jam per annos plures excurrente ita laudabilis est, ut nemo, cui aeger conqueritur de symptomatibus morbosis, ei fidem habeat; saepe tamen citius tardius-ve habitus corporis mutatur, color cutis, inprimis fa-

cici fit pallidus, luridus, aeger emaciatur, ideo vocavit Hippocrates *morbum resiccatorium;* facies subinde conspicitur oedematosa, oculi circa palpebras annulo livescente cincti, profundius in orbitam immerguntur. Antequam habitus ita depravatus evadit, jam evolvuntur symptomata morbi complura, inprimis perturbantur functiones organorum digestionis et chylificationis, saepe appetitus cibi est exiguus vel nullus, subinde autem nimius; saepe post cibum etiam cum appetitu absumtum dosi moderata experitur mox incommoda varia, sensum ponderis, tensionis, inflationis, doloris jam obtusi, jam acuti in regione epigastrica; nonnulli accusant sensum frigoris in ventriculo; saepe percipiuntur dolores in diversis partibus abdominis, inprimis in regionibus hypochondriacis; saepe adsunt ructus, quibus flatus exploduntur copiosi, ideo vocatur morbus vaporosus; subinde cum flatibus regurgitant in os etiam cibi et iterum deglutiuntur, dicitur ruminatio hypochondriaca; subinde cum ructibus adest sensus ardoris e regione epigastrica in fauces ascendentis, non raro occurrit vomituritio et vomitus, quo saepe tantum mucus, subinde etiam bilis evacuatur; saepe vexatur aeger flatibus abdominalibus, enteralgia flatulenta, alvo obstipa, alvus enim nonnisi omni tertio vel quarto, subinde tantum octavo die, imo et tardius evacuatur, excrementa sunt indurata, scybalosa, ideo difficulter evacuantur, etiamsi in intestino recto accumulata sint; subinde laborat diarrhoea, quae tamen nullum levamen adfert, imo dum alvus quotidie mollis vel liquida observatur, tunc statum suum deteriorem esse asseverat. Praeter symptomata dyspepsiae observantur etiam vario modo perturbatae functiones organorum secernentium et excernentium, ita in omnibus hypochondriacis magna est proclivitas in secretionem muci morbosam; post influxum potentiae nocentis etiam levioris, inprimis post refrigerium facile contingit secretio morbosa muci, et ideo facile catarrhus jam organorum respirationis, jam organorum digestionis et chylificationis, febris sic dicta mucosa comparet. Non raro etiam secretio salivae largior est ita,

ut saliva copiosissima exspuatur; subinde succus pancreaticus quantitate excessiva secernitur, ex intestino duodeno in ventriculum defertur, et inde vomitu ejicitur; subinde etiam glandulae lacrymales sunt valde irritabiles, ut a levi etiam causa lacrymas fundant; cutis est in genere sicca, sed post motum corporis aliquantum validiorem, vel post animi affectum facile sudor elicitur largus; urina valde variat, non tantum diversis diebus, sed uno eodemque die, ut jam sit pallida, aquosa, jam valde flava, jam rubicunda, jam fusca, jam turbida, sedimento instructa, jam parca, jam excessive copiosa; variant etiam functiones organorum respirationis et circulationis; saepe hypochondriacus habet respirationem brevem anhelosam, saepe tussi corripitur spasmodica, saepe pulsus arteriarum est valde variabilis, mox frequens, mox iterum tardus, debilis, irregularis; non raro observatur palpitatio cordis; subinde cordis motus pro momento silet, et animi deliquium locum habet, utplurimum dum aeger in societate multorum hominum est, dum functionem aliquam cum adstrictione connexam perficere debet; calor animalis est etiam varius ita, ut temperatura etiam eadem existente aeger conqueratur jam de calore, jam de frigore externo, frequentissime caput calet, pedes autem frigent, functiones etiam organorum vitae animalis vario modo a statu normali recedunt, subinde hypochondriaci corripiuntur convulsionibus diversis; plurimi tamen conqueruntur de debilitate musculari magna, ideo motus majores aversantur, et post motum omnem sensus lassitudinis molestus percipitur. Vario modo afficiuntur sensus externi: visus evadit debilis, obscurus cum nebulis, floccis, metu cataractae vel amaurosis; in auditu adest saepe tinnitus, strepitus, susurrus cum metu instantis apoplexiae, vel auditus difficilis cum metu cophosis; olfactus saepe est debilis, ut odores vix distinguantur; saepe est valde sensibilis, ut aeger per odoramenta varia specifica jam grata, jam ingrata in animi deliquium incidat; gustus saepe est fatuus, ob mucum copiosum, linguam illinientem; non raro gustus est peculiaris ita, ut omnia ori inposita jam sapo-

rem salsum, jam acidum, jam dulcem, jam amarum excitent; tactus quoque saepe in una parte corporis obtusus, saepe morbose acutus intensus est. Inprimis autem sensus coenaesthesis est partim morbose exaltatus, partim perversus, ideo sensationes diversae ingratae locum habent, infra cutim accusant formicationem, pruritum, puncturas, dolores in diversis partibus; frequenter persentiunt capitis compressionem, constrictionem, subinde dolorem ad exiguum spatium restrictum, dicitur clavus vel ovum hypochondriacum, non raro dolor extenditur per dimidium caput — hemicrania hypochondriaca; saepe percipiuntur dolores transitorii jam in oculis, jam in auribus, jam in facie, jam in pectore, jam in diversis partibus abdominis, subinde in genitalibus, quorum status dynamicus ita mutatus est, ut aliquando sit frigidissimus, propensione nulla praesente in sexum alterum, subinde vero stimulo Veneris nimio excruciatur. Facultates intellectuales, ut facultas repraesentativa, memoria, judicium, ratio sunt saepe in statu normali, ingenium non raro eximium, sed phantasia est quam maxime exaltata et perversa, ideo judicium fert aeger erroneum de statu proprio corporis et animi, et de errore judicii hujus difficulter persuaderi potest, ideo a nonnullis nosologis refertur hypochondriasis ad vesanias, cujus omnino gradum unum constituit; sic dum aeger talis palpitationem cordis percipit, statim moerore magno corripitur, existimans, se anevrysmate vel polypo cordis laborare; dum in ventriculo dolorem aliquem percipit ardentem, sibi venenum exhibitum esse putat; dum flatus in tubo intestinali murmurant, ranas in intestinis haerere asserit; dum pruritus in cuti locum habet, de scabie contracta lamentatur; dum dolores in regione renali occurrunt, calculos adesse autumat; dum articuli aliquantum dolent, arthritidem gravissimam adesse praetendit; dum tussi corripitur cum dolore exiguo pectoris, phthisi se affectum esse cogitat; dum in urethra sensum aliquem ardoris percipit, morbum syphiliticum gravem in corpore suo saevire annunciat; visu aliquantum obscuriore reddito, putat se amau-

rosi, *auditu* autem decrescente putat se cophosi laborare; *dum susurrum* in auri experitur, apoplexiam imminere existimat. Somnus est in genere inquietus, minime refocillans, ideo aeger mane non surgit libenter, se languidiorem sentit, tantum post sumtum prandium percipit vigorem majorem, qui sensim usque horas vespertinas increscit. Ita aeger anxie sollicitus de sanitate sua amittenda, de vita conservanda, de morte avertenda ad medicum confugit, historiam morbi sui enarrat longam, et postquam scrupulose ab ovo incipiendo retulit multa, ne quid obliviscatur, puncta multa in charta consignata perlegit, et dein impense expetit medicinam efficacem, quam novam cum fiducia adhibet, et si levamen quoddam experitur, medicum ad coelos extollit, sed quamprimum incommoda iterum revertuntur, confidentiam cito amittit, medicum, quem antea omnibus aegris commendavit, ipse primus deserit, sic mutat etiam amicos, amicitiam cito init, sed cito etiam inimicus evadit; nam meticulositas et imaginatio exaltata judicium ejus reddit erroneum de actionibus etiam aliorum hominum; hypochondriacus homo debilis egoista est in summo gradu, ideo alios homines, emolumenta sua etiam honeste prosequentes, considerat ut sibi aliquid eripere volentes, ideo diffidens societatem hominum fugit. Animus aegri est etiam inconstans, subinde est excessive jucundus etiam sine causa, frequentius est tristis, melancholicus, et hominibus jucundis irascitur; in affectus animi, inprimis in tristitiam et iram valde pronus est.

§. 134.

Ex symptomatibus enumeratis, quae si non omnia, saltem plurima in aegro hypochondriaco omni observantur, morbus praesens facile cognosci potest, natura tamen individualis morbi obscura erit, nisi momenta ejus pathogenetica exquisiverimus.

De causa proxima hypochondriasis diversae sunt opiniones medicorum; E. Stahl repetiit a stasi sanguinis in systemate venae portarum, F Hoffmann a pituita copi-

osa et corrupta, Cullen a debilitate ventriculi, R. Whytt ab ataxia spirituum vitalium, Pomme a crispatione nervorum, Reil a coenaesthesi morbosa, Swediauer ab hypercinesia, recentissime Zimmermann ab hydrogenisatione praedominante super oxygenisatione. Nulla tamen opinio huc usque naturam morbi peculiaris explicat; systema nervosum in statu peculiari constitutum esse, perspicimus quidem, neque tamen statum illum peculiarem ultro definire valemus, tantum ex symptomatibus cognoscimus et vocamus statum hypochondriacum, seu dispositionem hypochondriacam. Dispositio talis subinde est a parentibus haereditate acquisita, non raro in utero matris evoluta, congenita, saepe post nativitatem generata per influxus potentiarum nocentium; raro morbus aetatem teneriorem vel senilem adfligit, frequentissime evolvitur in vitae periodo maxime activa, ab anno aetatis vigesimo quinto usque quinquagesimum, licet subinde et juvenes et senes divexat.

Causae excitantes multiplices adducuntur per observatores, et quidem aër atmosphaericus subinde frigidus, subinde calidus, inprimis tamen humidus, vaporibus aquosis, nebulis plenus; ideo morbus frequens est in Anglia et Hollandia; subinde constitutio atmosphaerae peculiaris favet morbo generando. Concurrunt ad morbi genesim cibi copiosi, pastacei, farinacei, duri, pingues, multo aromate conditi, potus spirituosi, potus copiosus coffeae, inprimis infusi vel decocti ejusdem valde diluti, vel e surrogatis diversis parati, potus excessivus theae; subinde provocatur morbus per usum incongruum et diu continuatum pharmacorum diversorum, partim solventium, evacuantium, partim roborantium, stimulantium, partim narcoticorum; subinde accusantur motus corporis violenti, frequentius tamen otium diu continuatum, inprimis in hominibus, qui antea assueti fuerunt vitae activae; ita non raro mercatores et oeconomi, postquam labores suos consuetos deserunt, et in otio dulci vitam transigere intendunt, in hypochondriasim incidunt. Frequens causa morbi est vita sedentaria continua,

ideo opifices, qui labores suos perficiunt sedendo, abdomine compresso, pectore antrorsum inclinato, ut sutores, sartores, saepe etiam scribae in dicasteriis hoc morbo afflignntur. Excitatur subinde per evacuationes nimias, post diarrhoeas, sudores, haemorrhagias, lactationem diu continuatam, inprimis post succi genitalis profusionem. Non raro provocatur morbus per animi affectus ingratos, diu durantes, per moerorem, tristitiam, ex amore infelici, per odium, invidiam, avaritiam, zelotypiam, superbiam, inprimis dum honores desiderati non obtinentur. Non raro excitatur morbus per mentis adstrictionem nimiam, per studia intensa, inprimis in unum objectum directa, propterea vocatur morbus eruditorum, observaturque in omni classe eruditorum, ne medicis quidem exceptis. Subinde morbi alii, ut febris cum charactere nervoso, febris intermittens diutius durans, infarctus abdominales, inprimis hepatis lienisque, morbi cordis et vasorum sanguiferorum, ut Kreysig demonstrat, haemorrhoides, arthritis, subinde etiam evacuationes habituales suppressae, vel efflorescentiae cutis evanidae causas morbi constituunt, atque per eas jam pauciores, jam plures in organismum agentes systema nervosum, inprimis illud vitae organicae, scilicet systema gangliosum, peculiarem subit mutationem, et inde evolvuntur dein perturbatae functiones organorum digestionis et chylificationis cum reliquis symptomatibus hypercinesiae hypochondriacae.

Distinguitur autem hypochondriasis duplex: alia cum materia, dum in partibus solidis vel fluidis statum detegimus morbosum, per quem symptomata hypochondriasis producuntur, tales causae sunt frequentes infarctus abdominales et morbi cordis, rectiusque apellatur talis hypochondriasis symptomatica. Saepe nullum vitium detegere valemus, tantum systematis nervosi statum peculiariter abnormem adesse symptomata indicant, tunc dicitur hypochondriasis sine materia, rectius idiopathica.

Praeter hanc differentiam in singulo casu individuali adnotare debemus eam, quae desumitur a conditione energiae vitalis; subinde dispositio hypochondriaca congenita vel acquisita locum habet in viro robusto, atque in eo post motum corporis vehementiorem, affectus validiores, victum lautum, usum spirituosorum excessivum, evolvuntur symptomata hypochondriasis in gradu eminenti cum energia vitae exaltata, eritque talis hypochondriasis acuta, sthenica. Frequentius incedit morbus cum debilitate, tantum cum sensibilitate et irritabilitate morbose exaltata, talisque decursum habet chronicum, hypochondriasis asthenica.

§. 135.

Morbus semel evolutus utplurimum chronicus est, per annos complures durat, et multos tota vita comitatur, saepe tamen remittit, imo intermittit, aliquos initio per annum tantum semel, jam autumno, jam aestate, per paucos dies aut per plures septimanas affligit, dein increscens revertitur frequentius, jam certis, jam incertis temporibus, donec continuus evadit. Hypochondriasis est morbus molestus aegro et medico, in genere tamen haud periculosus ita, ut non pauci hoc morbo affecti senectutem attingant altam, imo receptibilitatem habeant minorem erga morbos alios. Morbus neglectus, inveteratus, symptoma vitii organici cordis constituens prognosim habet infaustam, talis saepe arti omni rebellis transit in morbos alios periculosiores, in melancholiam, maniam, icterum, hydropem, tabem, paralyses, febrim hecticam. Vitiis tamen talibus organicis haud praesentibus, dum morbus incipiens, sine dispositione eminenti congenita, tantum dynamicus immaterialis est, feliciter curari potest.

§. 136.

Quotiescunque aeger hypochondriacus auxilium nostrum expetit, cum magna eum patientia et attentione exaudire debemus; symptomata minima ab eo relata consideramus,

nunquam aegrum pro imaginario declaramus, per hoc enim animum aegri nobis alienum reddimus, nec tamen aegro terrorem incutimus, nunquam symptomata ejus exaltamus, nunquam morbum periculosum declaramus, utique aeger metu nimio angitur; etiamsi aeger symptomata multa exaltat, tamen revera infirmus est, ipsa imaginatio constituit statum morbosum, estque fundata in affectione systematis nervosi; non raro hypochondriasis constituit symptoma morborum gravissimorum organicorum encephali, medullae spinalis, cordis; ideo querelae hypochondriacorum nunquam contemnendae sunt, sed symptomata omnia diligenter colligenda et combinanda; per conatum hunc lucramur confidentiam aegri, quae ipsa curam multo faciliorem reddit. Praeter symptomata conamur omnes causas morbum sustentare valentes cognoscere, atque eas removere. Saepe causae tales consistunt in vitae regimine minus congruo, ideo pro ejus coordinatione recta consilia dare nunquam intermittimus; ut aeger sit sollicitus de aëre puro, siccoque sibi procurando, humidum, exhalationibus variis corruptum vitet; sit sollicitus de temperatura externa moderata, nam et frigus et calor excessivus ei nocent, ideo vestes ejus semper temperaturae externae accommodae esse debent. In selectu alimentorum nec relate ad quantitatem, nec relate ad qualitatem scrupulose sollicitus esse debet, tantum eo attentionem dirigat, ne ventriculum aggravet cibis forte duris, pinguibus, copioso sale vel aromatibus conditis; conveniunt illi carnes animalium omnis generis, vario modo praeparatae, olera, fructus horrei maturi, pro potu maxime aqua, qua sola, ut docet Theden, hypochondriasis gravissima sanatur subinde melius, quam pharmacis; nec tamen omnibus hypochondriacis quantitas aquae nimia commendari potest, quia per eam digestio et chylificatio redditur languidior, et sic phaenomena dyspepsiae ac hypochondriasis augentur; ideo multis tantum commendamus usum aquae moderatum, concedimusque et usum spirituosorum, cerevisiae bonae, vini boni antiqui, dummodo moderate sumantur; etiam coffea, licet per scholam homoeopathi-

cam condemnata, constituit potum multis sanum, inprimis eruditis proficuum, tantum admonemus, ne usus instituatur excessivus, et ne adhibeantur surrogata diversa, nisi aliqui in ea majorem confidentiam habeant. In genere suademus aegro, ut observationes proprias instituat de alimentis ac potulentis, quae naturae illius individuali magis conveniant vel noceant. Otium aegris est maxime noxium, ideo admonemus eos, ne diu in lecto maneant, sed motu in aëre libero, sicco corpus exerceant; ne tamen motus sit excessivus, vires exhauriens, seligaturque diversus, ut ambulatio, inprimis in regione amoena, equitatio, vectio in rheda, inprimis si ipse equos gubernat, ut attentio a statu corporis abstrahatur; hyeme utilis est vectio in traha et motus super glacie, aestate commendamus navigationem, natationem, labores agrarios, fossionem terrae, horti culturam, cursum, lusum pilorum, conorum, sphaeristerium, armorum agitationem, venationem, labores mechanicos, ut torneatoris, arcularii, vel saltem lignorum sectionem; utiles sunt excursiones botanicae, mineralogicae, zoologicae, itinera tam terrestria, quam maritima. Dum corpus motu sufficienter exerceri non potest, salutare est, quotidie mane abdomen totum moderate fricare, vel sola manu, vel panno asperiore, vel setaceo; imo frictio totius corporis valde proficua est, per quam sustentatur perspiratio cutis ad sanitatem tam necessaria, quo scopo etiam interest frequentius cutim abluere aqua tepida saponata. Simul evitari debent causae omnes, quae corpus vehementius excitant, aut debilitant, ut sunt evacuationes nimiae, inprimis succi genitalis; pari ratione nocent studia nimis intensa ultra vires protracta, animi affectus vehementes; conatum adhibere debet aeger animum semper tranquillum et hilarem conservandi, quod obtinebit per conversationes cum hominibus cultis et jucundis, per lectionem librorum similium, per comoedias quae risum movent, per musicam amoenam etc.

§. 137.

Vitae regimen recte coordinatum partem curae principalem constituit, semper tamen non sufficit, sed alia etiam artis auxilia necessaria sunt, et quidem diversa pro diversitate causarum excitantium, quas removere conamur; ita profluvia morbosa successive imminuimus, retentiones reseramus, morbum alium in organismo existentem, inprimis in corde, cerebro aut medulla spinali therapia individuali tollimus. Dum vero causae excitantes remotae sunt, tunc ut statum dynamico-organicum systematis nervosi peculiariter abnormem, symptomata hypochondriasis sustentantem, immutare valeamus, conamur characterem dynamicum energiae vitalis definire, per quem status ille morbosus sustentatur. Subinde aetas aegri, potentiae nocentes in illum agentes, et symptomata omnia praesentia indicant, dispositione hypochondriaca existente actionem vasorum haematophororum inprimis cordis et arteriarum morbose exaltatam esse ita, ut contingat congestio sanguinis major jam in cerebrum, se manifestans per cephalaeam, vertiginem, pervigilium, subinde epistaxim, jam in pectus, se annuncians per dyspnoeam, tussim et cordis palpitationem, jam in viscera abdominis ita, ut tensio dolorifica abdominis observetur cum habitu plethorico; in tali casu methodus anti-phlogistica est indicata, subinde sanguinis evacuatio universalis, saepius tamen topica, in cujus usu summa cautela necessaria est; nam saepe tantum symptomata hypercinesiae adsunt, per sanguinis evacuationem augenda; saepe sufficit jam vitae regimen anti-phlogisticum, cui, alvo utplurimum obstipa existente, jungimus purgantia antiphlogistica, ut clysmata ex aqua tepida, vel decocto furfurum cum oleo et saccharo, quibus haud sufficientibus praescribimus pro usu interno jam carbonatem magnesiae, jam tartratem lixivae acidulum, jam sulfatem sodae, lixivae vel magnesiae, semper tamen attendimus, ne alvi evacuatio profusa locum habeat. Subinde methodus anti-phlogistica ni-

BOMANY

tior longiori tempore continuari debet, ut symptomata morbi molesta cessent.

Saepe character dynamicus morbi est potius asthenicus, et ideo methodus roborans frequentius est indicata, sed cautissime administranda. In plurimis hypochondriacis abnormis est status dynamico-organicus viscerum abdominalium ita, ut saepe infarctus hepatis et lienis observentur, atque tunc remedia roborantia et stimulantia non obstante sensu debilitatis statim exhibita noxia sunt, blandissima solventia, ut succi herbarum taraxaci, cichorei, cerefolii, fumariae, vel extracta earum in sero lactis aut infuso florum chamomillae vulgaris, initio ad scrupulum semis, successive ad drachmam unam pro nycthemero exhibita valde utilia sunt. Salutarem effectum exerunt etiam acidulae, et quidem initio blandiores, alcalinae, particulas ferreas aut nullas, aut quantitate minima continentes, uti sunt apud nos ad Szalatnya, Ránk, Füred, Borszék etc. in Germania celebrantur Egeranae et Marienbadenses, inprimis autem aquae thermarum Carolinarum, quarum virtus in sananda hypochondriasi observationes numerosae comprobant. Virtus quidem aquarum soteriarum exaltatur per itinerationem ipsam, per separationem ab objectis consuetis, ingratis et debilitantibus, per regiones amoenas, per aërem purum et siccum, per victum et vitae genus immutatum, per societatem hominum diversarum gentium, etc. Sed solae etiam aquae, non tantum quod ad puram destillatam accedunt, animadvertente Rust, virtutem medicam exerunt, nam etiam acidulae artificiales domi haustae sub motu corporis moderato multis proficuae sunt; ita non paucis aegris potus aquae thermarum Budensium vel solius vel addito sale thermarum Carolinarum utilis est.

Nonnulli aegri a remediis nunc laudatis solventibus nullum emolumentum percipiunt, imo valetudo eorum magis laeditur, debilitas in organis digestionis et chylificationis increscit; talibus magis conveniunt roborantia, et quidem saepe stomachica, sic Tode ut remedium specificum commendat extracti quassiae drachmam unam in aquae men-

thae crispae unciis sex, omni biborio uno cochleari sumendum; remedium hoc bonum, minime specificum, est; aliis alia remedia jam amara, jam aromatica, jam gummi-resinosa, jam spirituosa et aetherea magis conveniunt; ideo saepe hypochondriacis commendamus flores, extractum vel tincturam chamomillae vulgaris, radicem acori, valerianae sylvestris, capsicum annuum, piper nigrum, nucem moschatam, semen sinapis, subinde gummi ammoniacum, assam foetidam, subinde tincturam absynthii, gentianae, quassiae, corticum aurantiorum, subinde spiritum nitri dulcem, spiritum salis dulcem, liquorem anodynum mineralem Hoffmanni, quae tamen stimulantia volatilia nunquam longiori tempore adhibenda sunt, tantum dum status asthenicus torpidior in organis digestionis locum habet. Longe frequentius adhibemus ad debilitatem chronicam tollendam praeparata diversa ferri, ut tincturam malatis ferri, extractum ferri pomatum, limaturam ferri, flores salis ammoniaci martiales, ferrum carbonicum, sulfatem ferri artefactum; saepe majorem utilitatem praestant acidulae martiales; subinde etiam usus corticis cinchonae necessarius est; et quidem initio exhibemus infusum corticis aquosum, dein decoctum, vel extractum, vel praeparata salina, ut sulfatem muriatem vel phosphatem chinini. Pharmaca enumerata contra morbum molestum et gravem saepe sunt utilissima, sed meminisse oportet, in curando hoc morbo remedia quam paucissima adhibenda esse, aegri enim utique anxie desiderant pharmaca, quae continuo et magna dosi adhibita longe plus nocent; ideo saepe omni studio dissuademus usum pharmacorum. Saepe hypochondriasis perfecte sanatur per magnetismum animalem vel per therapiam homoeopathicam.

Subinde necessarius etiam est usus remediorum externorum, ut clysmatum, non quidem tanto numero ut Kaempf commendavit, sed moderate tantum adhibendus; praeterea utilia sunt balnea, et quidem saepe ad irritabilitatem morbose exaltatam imminuendam balnea frigida in lacu vel fluvio, vel mari maximam utilitatem habent; aliqui tamen frigida balnea minus bene ferunt, illis tepida conveniunt,

sub gradu debilitatis majori roborantia, partim aluminosa, partim martialia.

§. 138.

Subinde symptomata aliqua hypochondriasis aegros peculiariter anxios reddunt, quae tamen per medicum rationalem facile removeri possunt. Ita saepe conqueruntur de alvi obstipatione pertinaci, contra quam commendamus initio tantum purgantia blandiora, ut fructus dulces, maturos, inprimis cerasa, pruna, botros, in horum defectu saccharum, mel; ita Hufeland commendat, ut post prandium hauriatur uno poculo aqua saccharo saturata; his haud sufficientibus commendamus carbonatem magnesiae cum saccharo, vel elaeo-saccharo, vel salem amarum, vel mirabilem Glauberi, vel arcanum duplicatum, ut vesperi sumatur uno cochleari coffeaceo in poculo aquae, vel in vicem ejus aquae Saidschützensis, vel Sedliczensis, vel Püllnaensis, poculo medio vel integro hauriatur. Subinde ob gradum torporis majorem, quod secretio muci sit largior, purgantia fortiora desiderantur, ut folia sennae, vel radix rhei, vel extractum aloës aquosum. Interim purgantibus cura morbi non perficitur, potius per ea frequenter exhibita tubus intestinalis in statum morbosum conjicitur; ideo suademus aegro, ut observando vitae regimen congruum, victum et motum corporis, alvum liberam procuret et necessitatem pharmaca purgantia adhibendi evitet. Subinde conqueruntur hypochondriaci de ructibus acidis, flatibus et pyrosi, quae symptomata excitantur per saburram partim ab ingestis generatam, partim per secretionem morbosam productam, cujus tunc evacuatio necessaria est; dum autem post evacuationem etiam signa saburrae acidae perdurant, tunc alcalina ut absorbentia indicata sunt, ut pulvis lapidum cancrorum, carbonas lixivae, bicarbonas sodae, carbonas magnesiae, magnesia pura, quibus jungimus blandissime stimulantia, ut infusum florum chamomillae vulgaris, foliorum aurantiorum, herbae menthae crispae vel piperitae. Dum post usum remediorum laudatorum flatulentia perdu-

rat, maxime conveniunt olea essentialia, ut chamomillae foeniculi, menthae forma elaeosacchari adhibita, subinde liquores aetherei dosi parva.

Non raro aeger experitur sub insultu hypochondriaco graviori inquietudinem, dyspnoeam, capitis gravitatem, vertiginem, extremitatum frigus, lipothymiam, convulsiones, quibus symptomatibus ut mederi valeamus, causas eruere debemus; subinde detegitur saburra, cujus evacuatio caute suscipienda est; subinde congestio sanguinis major in cerebrum per causas stimulantes producitur, et tunc evacuatio sanguinis, si non universalis, saltem topica hirudinum vel cucurbitularum ope indicata est. Sed in pluribus casibus symptomata talia molesta excitantur tantum per statum dynamicum peculiariter abnormem systematis nervosi, tunc requiritur, ut aeger in quietem collocetur, aër purus ei procuretur, extremitates frigidae pannis calidis obvolvantur, sub debilitate majori frictio cutis universae instituatur, contra lipothymiam pro odoramento acetum forte, vel aetherem aceti, vel radicem armoraciae rasam, vel spiritum cornu cervi commendamus; simul exhibemus parva quantitate infusum tepidum florum chamomillae vulgaris, vel foliorum aurantiorum, vel herbae menthae crispae aut piperitae, quibus addimus guttas aliquot liquoris anodyni mineralis Hoffmanni, vel aetheris aceti, aetheris vitrioli, tincturae chamomillae, corticum aurantiorum, valerianae sylvestris, castorei, asae foetidae, vel spiritus cornu cervi, spasmis diutius perdurantibus, subinde etiam moschum. Subinde symptomatibus haud remittentibus, recurrimus ad clysmata ex infuso florum chamomillae vulgaris, vel radicis valerianae sylvestris cum asa foetida, cuti autem applicamus antagonistica potentiora, inprimis sinapismum. In genere tamen notandum est, sub insultu graviori hypochondriaco remedia nulla, vel tantum paucissima et dosi minima adhibenda esse, tantum symptomatibus silentibus cura debite coordinanda est, ne symptomata morbi molesti amplius revertantur.

HYSTERIASIS.

§. 139.

Hysteriasis vocatur etiam *hysteria*, *malum hystericum*, apud Celsum *morbus vulvae*, apud Swediauer *hypercinesia hysterica;* est ille morbus peculiaris nervosus, in quo sensibilitas et irritabilitas est morbose exaltata, et inde producuntur symptomata diversa et summe variabilia in diversis partibus corporis, inprimis in visceribus abdominalibus, in utero et musculis voluntariis ita, ut saepe spasmi vehementissimi hysterici locum habeant. Morbus hic sexui foeminino proprius relate ad symptomata hypercinesiae universalis maxime convenit cum hypochondriasi, a qua tamen distinguitur, quod in hypochondriasi praecipua et eminentia symptomata sint, quae indicant statum abnormem organorum digestionis et chylificationis, in hysteriasi vero annunciant inprimis statum abnormem uteri; in hysteriasi convulsiones vehementiores longe frequentius observantur, quam in hypochondriasi; hysteria evolvitur frequentius aetate juniore, hypochondriasis vero aetate provectiore.

F. Hoffmann, Diss. de morbi hysterici vera indole, sede, origine et cura. Halae. 1733.

Richter, Diss. de malo hysterico. Göttingae. 1741.

J. Raulin, Traité des affections vaporeuses du sèxe. Paris. 1758.

S. A. Panticelli, di tre specie di affezione isterica ed ipocondriaca. Lucca. 1759.

Richardson, Diss. de morbo hysterico. Edinburgi. 1763.

Götz, Beitrag zur Geschichte der hysterischen Krankheiten. Meiningen. 1771.

W. Rowley, a treatise on femal, nervous, hysterical, hypochondriacal, bilious, convulsive diseases. London. 1788.

J. Mitchell, Diss. de hysteria. Edinburgi. 1789.

C. Bankhead, Diss. de hysteria. Edinburgi. 1791.

W. Robertson, Diss. de hysteria. Edinburgi. 1791.

Berends, de hysterica affectione epilepsiam simulante. Francofurti. 1806.

G. Tate, a treatise on hysteria. London. 1830.

T. Addison, Observations on disorders of femals, connected with uterine irritation. London. 1830.

J. L. Brachet, Recherches sur la nature et le siège de l'hystérie et de l'hypochondrie, et sur l'analogie et la différence de ces deux maladies. Paris. 1832.

E. F. Dubois, Histoire philosophique de l'hypochondrie et de l'hystérie. Paris. 1833.

§. 140.

Morbus hic diversis stipatus est symptomatibus ita, ut ad errorem in diagnosi evitandum attentio magna necessaria sit ad phaenomena omnia et tempore insultus hysterici, et extra illud se manifestantia; saepe symptomata morbi silent omnia et aegrota valetudinem apparenter optimam exhibet, nonnisi morbo jam diu perdurante symptomata aliqua fere continua sunt, secus plurima tantum certis vel incertis temporibus recurrunt. Appetitus cibi est variabilis, saepe nimius, saepe peculiariter depravatus ita, ut inconsueta etiam ingerant, ut cretam, ceram, carbones; aliae acida, inprimis pomum citri, aliae spirituosa desiderant nimium; mox iterum nullum appetitum habent ita, ut per plures dies vel septimanas valde parum comedant, saepe etiam a potu se abstineant. Subinde post ingesta copiosa et diversa in ventriculo aut tubo intestinali nulla incommoda accusant, saepe vero etiamsi cibum congruum et dosi moderata sumant, experiuntur in ventriculo ac tubo intestinali pressionem, tensionem, ructus, borborygmos, vomituritiones, vomitum; alvus est morosa, sub morbo intensiori valde obstipa ita, ut nonnisi cum adstrictione magna evacuentur scybala dura; non paucae persentiunt sub evacuatione tormina, dolores colicos, tremores, et post evacuationem debilitatem magnam, subinde animi deliquium.

Praecipuum symptoma, quo hystericae sub insultu affliguntur, est dolor constringens, incipiens in regione hy-

pogastrica vel umbilicali, ascendens versus regionem epigastricam, inde usque in collum, metum suffocationis excitans; simul cum dolore hoc constringente nectitur sensatio expansionis globosae, ex abdomine in collum ascendentis, tumoremque hunc globosum non tantum aegrota sola sentit, sed etiam ab aliis sanis tactu, subinde etiam visu cognosci potest, dicitur globus hystericus, producitur per aërem morbose secretum. Talis pneumatosis hysterica frequentissime observatur in collo, quod in nonnullis ad molem monstrosam intumescit; saepe contingit talis secretio gasis sub insultu hysterico in ventriculo et tubo intestinali ita, ut abdomen brevissimo tempore nimis intumescat et tympani instar resonet; subinde talis tumor elasticus observatur in capite, in mamma, in regione ovarii, in labiis majoribus pudendorum. Saepe etiam secretiones aliae abnormes observantur, sic urina excernitur largior, limpida, valde diluta, aquosa; subinde contingit excretio urinae cum molestia et adstrictione ita, ut symptomata dysuriae vel stranguriae locum habeant; subinde secretio salivae est aucta ita, ut sub insultu hysterico ptyalismus compareat; subinde secretio succi pancreatici morbose aucta est ita, ut ructibus, vomitu non raro liquidum copiosum salivae simile ejiciatur; etiam glandulae lacrymales sunt valde pronae ad secretionem ita, ut ad causam levissimam lacrymae rivo largo profluant. Secretio perspirabilis cutis est ita abnormis, ut plurimae aegrae sub insultu hysterico habeant cutim siccam, subinde producuntur urticaria vel pemphigus. Nutritio corporis saepe apparet bona, licet hystericae graciles et tenerae sint, tamen habitum exhibent laudabilem, cutim amoenam, bene coloratam, artus torosos ob turgorem vitalem, sed utplurimum caro earum est mollis, minus densa, et saepe morbo diutius durante evadunt aegrotae macilentae cum colore cutis lurido. Organa respirationis saepe spasmo afficiuntur ita, ut sub insultu affligantur dyspnoea gravi, subinde tussi violenta, vox evadat debilis, tremula, subinde ejulatus vel singultus locum habeat. Perturbatur etiam functio cordis, ideo pulsus arteriarum sub in-

sultu hysterico est variabilis, jam frequens, jam tardus, saepe irregularis, saepe cordis palpitatio locum habet, cum calore fugace, rubore transitorio; subinde motus cordis pro momento silet, aegrota in lipothymiam incidit. Peculiares mutationes observantur in functionibus systematis nervosi, inprimis sensus coenaesthesis abnormis est, ita in temperatura aliis sanis calida, hystericae accusant frigus externum, et vicissim; sensatio caloris animalis est valde mutabilis, frequentissime queruntur de frigore extremitatum inferiorum et de ardore pectoris; saepe accusant sensum formicationis jam in una, jam in alia parte; saepe affliguntur pruritu molesto in cuti, inprimis in genitalibus, quae cogit ad frictionem; saepe experiuntur dolores diversarum partium, gastralgiam, enteralgiam, inprimis autem cephalaeam, et quidem jam hemicraniam, jam clavum vel ovum hystericum. Reliqui etiam sensus externi sub insultu hysterico vario modo perturbantur, in auri percipiunt susurrum, tinnitum, per strepitum aliquem majorem, vel per sonum peculiarem, non tantum dolores exoriuntur in auri, sed contremiscunt toto corpore, imo subinde convulsiones hystericae provocantur; visus est saepe ita sensibilis, ut sub insultu hystericae tenebras quaerant, oculos claudant, non raro scintillas, muscas ante oculos esse accusent. Olfactus est ita acutus, ut odorem etiam minimum distinguant, per odorem graviorem contremiscant, convellantur; plures melius ferunt odores ingratos, ut eum plumae ardentis, asae foetidae et spiritus cornu cervi; subinde peculiarem aversationem habent erga odores aliquos, ut moschum, aetherem, odorem aliquorum alimentorum vel potulentorum, animalium, ut porcelli, catti, vel gliris, hominum nonnullorum. Gustus quoque sub insultu exaltatus et perversus est, quidquid ori ingerunt, excitat sensum ardoris, vel diversa licet corpora excitant saporem eundem dulcem vel amarum etc. Functiones vitae organicae vario modo observantur abnormes, hystericae in genere non sunt de statu valetudinis suae in tanto gradu sollicitae ac viri hypochondriaci, neque sunt ita diffidentes, potius saepe ita leves,

ut cuicunque confidant, sed sunt aeque inconstantes, characterem firmum non habent, amicos cito mutant; animus earum ita variabilis est, ut ex risu celerrime in lacrymas solvantur, subinde dum alii homines contristantur, illae rident et vicissim; in genere non sunt ita pronae in tristitiam, ut hypochondriaci, imo saepe in societate sunt jucundissimae, pro delectandis viris gratae, sed malae oeconomae, nullam adstrictionem amant, tantum quod non diu durat, quod delectat, quaerunt, desideriis nimiis torquentur, et his haud adimpletis, evadunt tristes, infelices, desperatae, in zelotypiam sunt valde pronae, secus liberales et misericordes. Systema musculare in gradu eminenti characterem hypercinesiae exhibet, nam in spasmos omnis generis pronissimae sunt, observamusque sub insultu hysteriae saepe tremores, et quidem jam tantum capitis solius, jam et artuum, saepe observamus risum sardonicum, saepe convulsiones miras, per quas collum solum rotari videtur, ita sub talibus convulsionibus hystericis subinde ossa articulata e foveis suis articularibus egrediuntur, et iterum reponuntur; saepe convulsiones tales sunt universales ita, ut formam externam epilepsiae habeant, vocatur epilepsia hysterica, quae a genuina differt, quod aegrotae sub toto insultu conscientiam sui plenam retinent; etiamsi motus abnormes supprimere non valent, tamen omnium, quae contingunt sub insultu, meminerunt; saepe aegrotae sub tali insultu vehementi clamant, ejulant, cantant, flent, rident, saltant, vestimenta lacerant, crines evellunt, pectus vel abdomen concutiunt, etc.

Praeter symptomata enumerata hypercinesiam universalem indicantia, adsunt talia, quae hypercinesiam genitalium annunciant; in hystericis utplurimum fluxus catameniorum mature comparet, frequenter cito et largus revertitur, atque tempore fluxus vexantur saepe spasmis et doloribus; non raro torquentur stimulo Veneris, ideo in lasciviam pronae societates virorum amant, saepe etiamsi castitatis studiosae experiuntur in regione sacrali et pubis sensum ardoris, doloris, pruritum, qui illas cogit manus

partibus iis admovere, saepe saltem femora fricant, non raro sic permoventur ad onaniam; ob hanc hypercinesiam exaltatam evolvitur cito blennorrhagia vaginalis.

Symptomata diversa enumerata non sunt semper praesentia, sed revertuntur per insultus subinde omni mense, tempore fluxus catamenialis, subinde post longius intervallum, sed saepe etiam citius, et aegrotae in se attentae morbum imminentem cognoscunt, scilicet subinde appetitus cibi evadit major, saepius minor, et nauseam sentiunt erga cibos aliquos, saepe dolor capitis, somnolentia major vel pervigilium, subinde gastralgia, enteralgia, alvus magis obstipa vel diarrhoica, vertigo, cordis palpitatio, inquietudo, laetitia vel tristitia insolita etc. observantur, quibus prodromis praegressis evolvitur insultus vel sponte, vel provocatur per causam peculiarem, ut per cibum vel potum quantitate vel qualitate noxium, per refrigerium aut calorem externum majorem, per motum corporis vehementiorem, per constrictionem corporis majorem vestimentorum ope, per objecta sensus externos vehementius ferientia, ut odores diversos, per animi affectus, inprimis iram, terrorem etc. duratque talis insultus hystericus per aliquot minuta, per quadrantem horae, subinde per plures horas, imo per plures dies. Post insultum superatum experiuntur aegrotae semper languorem, debilitatem majorem, non paucae tamen cito statum normalem recuperant.

Ex symptomatibus omnibus tam somaticis, quam psychicis collectis, hysteriam praesentem cognoscere possumus; in casibus tamen non paucis diagnosis redditur difficilior, quia complicatur non raro cum aliis morbis, qui per hysteriam partim exaltantur, partim modificantur, quemadmodum etiam hysteria per morbos illos modificatur, atque tunc investigatio scrupulosa requiritur omnium symptomatum eo magis, quod hystericae non raro symptomata alia simulant, alia celant, subinde ex solo solatio, ut medicum in errorem inducant.

§. 141.

Ut naturam morbi individualem definire valeamus, causas etiam ejusdem exquirere debemus. Requiritur ad morbi hujus evolutionem dispositio peculiaris hysterica, in statu dynamico-organico systematis nervosi fundata, quae non raro haereditate propagatur a matre in filiam, non raro per influxus sanitatem matris sub graviditate laedentes evolvitur in utero, saepius vero acquiritur post nativitatem per influxus potentiarum nocentium diutius in organismum agentes, qui longe frequentiores sunt in urbibus populosis, et in classe hominum, vulgo feliciorum dictorum, licet non raro ad glebam condemnatas et misera sorte afflictas visitat. Manifestat se haec dispositio peculiaris inprimis tempore illo, quo functio genitalium viget, ab anno aetatis decimo octavo usque quadragesimum quintum, rarius observatur in junioribus, non ita raro in vetulis incipientibus, dum fluxus catamenialis cessare solet, dein cum utero marcescente etiam dispositio hysterica magis exstinguitur. Non raro dispositio talis se manifestat per habitum externum graciliorem, teneriorem, mammas minus turgidas; subinde tamen habitus totius corporis sanitatem laetam annunciat, licet aegra insultibus hystericis gravibus affligatur.

Causae excitantes diversae adnotantur per observatores, ut vita sedentaria, quam et puellae et foeminae multae, inprimis in urbibus, sed non raro etiam in pagis ducunt, partim ex amore otii, partim quod labores diversos, inprimis ad ornatum pertinentes continuo sedili affixae perficiunt; alimenta et potulenta organa digestionis et chylificationis partim irritantia, partim debilitantia, ut potus copiosus theae, coffeae, inprimis malae, e surrogatis diversis paratae, pharmaca solventia, narcotica, incongrue et diu adhibita, evacuationes nimiae, ut metrorrhagiae, graviditates se cito excipientes, lactatio diu protracta, onania, irritationes genitalium mechanicae, animi affectus ingrati, inprimis moeror et tristitia, amor infelix, deside-

tium amicitiae non adimpletum, tristitia excitata etiam per alias causas, ut per amissos parentes, proles, amicos, phantasia exaltata per lectiones fabularum milesiarum, per lusus scenicos, morbi alii, ut infarctus abdominales, morbi cordis, febres, profluvia, retentiones etc. hysteriam non raro excitant.

Per causas enumeratas organismus varias subit mutationes, saepe saepius in partibus solidis ac fluidis scrupulose examinatis nullum statum morbosum sensibus obvium detegimus, sed ex symptomatibus praesentibus concludimus tantum, statum dynamico-organicum systematis nervosi peculiariter abnormem esse, et tunc vocatur hysteriasis sine materia. Saepe post investigationem attentam detegimus statum abnormem in partibus jam fluidis, jam solidis, et quidem jam statum morbosum uteri, jam infarctus viscerum abdominalium, jam statum morbosum cordis, pulmonum, encephali vel medullae spinalis, atque tunc vocatur hysteriasis cum materia.

§. 142.

Prognosis hysteriae in genere minus periculosa est, nam quamcunque terrifica symptomata compareant sub insultu, vita tamen rarissime in periculum conjicitur, non raro hysterica, quae hodie cum morte colluctari videtur, jam altero die jucunda vitae gaudiis fruitur; saepe causis excitantibus remotis sponte per autocratiam naturae sanatur, nullis morbi vestigiis relictis, quem exitum felicem exspectamus, si hysteria non est congenita, non valde diuturna, non symptomatibus gravissimis stipata, non per vitia organica uteri, cordis vel aliorum viscerum sustentata. Saepe morbus aetate juvenili evolutus, genitalium evolutione increscente, matrimonio cum viro amato inito, perfecte tollitur; apud alias jam uxores, sed per plures annos steriles, graviditate subsecuta disparet. Sed si morbus diuturnus est, si causae illam excitantes et sustentantes continuo agunt, tunc hystericae in statum miserum conjiciuntur, corpus illarum pallidum, cachecticum redditur,

spasmis gravissimis divexantur, functiones corporis universi perturbantur, laborant saepe dyspepsia, anomaliis catameniorum, jam menostasia, jam metrorrhagia, saepe leucorrhoea, chlorosi, saepe incidunt in melancholiam, morbisque his increscentibus sequuntur tabes, febris hectica, phthisis, hydrops, mors; qui funesti exitus saepe saepius per therapiam rationalem averti possunt.

§. 143.

In coordinanda therapia indicationem primam desumimus ab indole causarum excitantium, nisi enim hae remotae fuerint, cura radicalis locum haud habebit; quia causae excitantes plurimae per vitae regimen minus congruum ponuntur, ideo partem curae praecipuam constituit coordinatio recta vitae regiminis. Vita sedentaria otiosa est cum vita activa commutanda; puellae et mulieres exerceant quotidie corpus suum motu moderato; non commendamus quidem, ut quotidie per horas plures otiose deambulent, curru vehantur aut equitent, sed ut in domo laboribus, sexui suo convenientibus corpus moveant; objecta cuncta, quae tantum phantasiam exaltant, desideria insana excitant, fabulae Milesiae, picturae et repraesentationes lascivae, conversationes cum viris otiosis tam juvenibus, quam senibus sensus tantum et phantasiam puellarum et mulierum vellicantibus, removeri debent; intellectus puellarum cognitionibus necessariis magis excolendus est, non quidem per studia severiora, ut mathesim, astronomiam, metaphysicam, quae illis minus congrua non paucas hystericas reddiderunt, sed cognitiones de natura universa, de relationibus, de officiis hominum, inprimis de officiis sexus foeminei, de hygiea practica necessariae sunt. Vestimenta sint semper temperaturae externae accommoda, ne partes nimis constringantur, ne motus liber impediatur, ideo thoracula hoc respectu sunt noxia; dissuademus vestimenta, quae partem majorem corporis nudam relinquunt; ne cutim pigmentis illiniant, iis enim pori obstruuntur, functio normalis cutis impeditur, rugae citius evolvuntur, et non raro

sanitas tota laeditur; commendamus, ut errores omnes in cibo et potu evitent, statui suo individuali noxia ne contingant, et in sumendis alimentis et potulentis ordinem certum observent; praecipuam attentionem commendamus in animi affectus, inprimis iram et tristitiam, quibus hysteriasis provocatur et exaltatur, quia ob hypercinesiam hystericae affectibus minus resistere valent, ideo occasiones evitare debent, per quas animi affectus excitari possunt. Consilia hystericis semper cum mansuetudine dari debent a medico, ut sic confidentiam earum lucretur et conservet; simul cum mansuetudine conjungi debet magna prudentia et magna morum severitas, nam non raro hystericae in suo insultu communicant medico secreta, quae revelari nunquam debent, subinde in suo insultu provocant medicum ad amores, quibus nunquam locum concedet, sed aegrotam semper ita tractabit, ut officii sui memor fortitudine sua aegram quoque fortiorem reddat. Non raro ad evitanda objecta affectus ingratos excitantia necessaria est mutatio loci, peregrinatio ad acidulas, thermas, subinde ad loca sacra celebria; atque per vitae regimen statui individuali accomodatum plus obtinetur, quam per pharmaca quantumcunque laudata. Si hysteria symptoma constituit aliorum morborum, uteri, cordis, pulmonum, encephali vel medullae spinalis, tunc contra hos morbos cura dirigi debet.

§. 144.

Sed saepe causae excitantes jam remotae sunt, vel removeri non possunt, tunc cura ipsius morbi suscipi debet, et quidem alia tempore insultus hysterici, alia extra illud tempus. In utroque statu determinatur therapia per conditionem energiae vitalis, per quam character peculiaris inprimitur hysteriasi. Non raro in puellis bene nutritis, in mulieribus junioribus comparent insultus hysterici ita, ut praeter symptomata hysteriae manifesta sint signa abundantiae majoris sanguinis, et congestionis ejusdem activae jam in encephalon, jam in cor, jam in pulmones, quod

inprimis observatur, dum fluxus catamenialis instat vel parcius funditur. In tali hysteria energica remedia anti-spasmodica, anti-hysterica dicta, sunt contra-indicata, noxia, symptomata morbi augent; tunc methodus anti-phlogistica est necessaria; tunc tempore insultus vestimenta corpus stringentia solvantur, aër liber, purus, moderate frigidus procuretur, copiosi homines removeantur, quies summa corporis et animi ordinetur, exhibeaturque pro potu aqua pura, decoctum emolliens, vel emulsio tenuis, pro medicina succus citri, vel acidum tartari, vel cremor tartari cum carbonate magnesiae; dum congestio sanguinis major locum habet, ipsa sanguinis evacuatio indicata est, subinde universalis, frequentius topica; oportet tamen semper cautelam summam adhibere, ne evacuatio sanguinis major instituatur, per quam debilitas inducitur et hypercinesiae phaenomena augentur.

Character dynamicus hysteriasis raro tantum est inflammatorius, longe frequentius character est asthenicus, tantum sensibilitas et irritabilitas est morbose exaltata, atque tunc tempore insultus hysterici attentio eo dirigenda est, ne aegrota per spasmos saepe praesentes sibi laesionem inferat, temperatura illi procuretur moderate calida, extremitates utplurimum frigidae involvantur pannis calefactis, et subinde frictio quoque moderata instituatur. Contra animi deliquia se frequenter insinuantia adhibemus odoramenta ex aceto vini forti, ex aceto aromatico cum camphora, ex aceto cum rasura radicis cochleariae armoraicae, vel ex aethere acetico; in nonnullis hystericis efficaciam majorem exerunt odor plumae accensae, vel asae foetidae, cujus fumo impraegnantur linteamina, et applicantur collo, pectori, abdomini; subinde plus praestat spiritus cornu cervi simplex, vel succinatus naribus admotus, regionibus temporalibus et epigastricae illinitus. Insultu remediis laudatis haud cedente, exhibemus interne, dum aegra deglutire valet, infusum florum chamomillae vulgaris, florum tiliae, foliorum aurantiorum, herbae melissae, menthae crispae, piperitae, radicis valerianae sylvestris. Subinde his jungi debent effi-

caciora pharmaca, ut spiritus nitri dulcis, spiritus salis dulcis, liquor anodynus mineralis Hoffmanni, tinctura chamomillae, valerianae, aurantiorum, asae foetidae, inprimis autem castoreum, subinde in pulvere, frequentius in tinctura, subinde spiritus cornu cervi simplex vel succinatus. Subinde remedia laudata destituuntur effectu desiderato, et plus praestant remedia antagonistica, ut ipecacuanha dosi refracta, flores zinci, magisterium bismuthi, dum autem sensibilitas inprimis exaltata per dolores intensos se manifestat, tunc narcotica exhibemus, subinde hyoscyamum, opium, acidum hydrocyanicum, aquam laurocerasi, quae tamen remedia heroica facile noxia nunquam praescribimus, nisi ipsi aegram observare valeamus. Praeter remedia interna, quorum deglutitio subinde impossibilis est, necessaria sunt etiam externa, ut clysmata ex infuso florum chamomillae vulgaris, vel radice valerianae sylvestris, quorum virtus exaltatur per asam foetidam, cujus scrupulum unum usque drachmam semis vitello ovi subactam infusi librae unius addimus. Sub insultu graviori recurrimus etiam ad sinapismos et emplastrum cantharidum, quae *tamen remedia* acria sine necessitate nunquam adhibenda sunt et aegrotis sensibilitate magna praeditis facile nocent.

§. 145.

Insultu silente curam dirigimus in dispositionem hystericam delendam, quem in finem status abnormes forte praesentes in partibus solidis aut fluidis methodo congrua removere conamur; vitiis talibus nullis detectis ex charactere dynamico morbi desumimus indicationem. Si character fuerit sthenicus, energicus, tunc methodus anti-phlogistica mitior per plures septimanas, subinde per plures menses continuari debet, potus aquae, sales medii anti-phlogistici purgantes, verno tempore succi herbarum recentium solventium, serum lactis, acidulae alcalinae mitiores, lotio corporis cum aqua frigida, balnea frigida, subinde etiam clysmata ex aqua frigida maxime conveniunt.

In pluribus tamen casibus hypercinesia cum debilitate conjuncta est, atque tunc saepe medicinam maxime congruam possidemus in liquore acido Halleri, quem in aqua vel decocto emolliente praescribimus; eo haud sufficiente recurrimus ad pharmaca amara, blandissime roborantia, ut carduum benedictum, trifolium fibrinum, centaureum minus, gentianam, quassiam, quibus subinde jungimus gummi-ammoniacum, galbanum, myrrham, asam foetidam, subinde liquores aethereos, subinde pharmaca aromatica, ut chamomillam, melissam, mentham, valerianam, inprimis autem castoreum; gradu debilitatis majori praesente in morbo chronico saepe utilissima sunt praeparata martis, aestate acidulae martiales, subinde praeparata corticis cinchonae. Interim meminisse oportet, hysteriasim saepe per pharmaca minime sanari, imo sub usu eorumdem semper intensiorem reddi, saepe nulla medicina est optima, ideo multae hysteriae et per magnetismum animalem, et per homoeopathiam sanantur.

Per therapiam statui individuali accomodatam tolluntur symptomata morbi omnia; inter ea non raro molesta est alvi obstipatio, ad quam removendam commendamus initio pharmaca blandissima, ut saccharum aqua solutum, clysmata emollientia, carbonatêm magnesiae, electuarium lenitivum, his haud sufficientibus pulverem foliorum sennae cum extracto taraxaci, vel pulverem radicis rhei chinensis, subinde aloë, attendendo tamen, ne congestiones sanguinis majores in intestinum rectum vel uterum provocentur.

TUSSIS CONVULSIVA.

§. 146.

Tussis convulsiva vocatur etiam tussis ferina, spasmodica, coerulea, strangulatoria, suffocatoria, asinina, pertussis, estque ille morbus specificus frequentissime epidemicus et contagiosus, infan-

tibus et *pueris* maxime molestus, qui incipit cum febri catarrhosa, dein transit in tussim violentam, per insultus *recurrentem*, quae tussis juncta est cum respirationibus *brevibus*, citis, metu suffocationis, quas excipit respiratio *profundior* cum ejulatu peculiari, voci rudentis asini aliquantum simili, facies redditur coerulescens, et insultus terminatur vomitu. Morbus hic sine dubio antiquissimus est, reperiuntur enim in operibus Hippocratis, Galeni, Avicennae descriptiones ejus aliquae, sed valde imperfectae; secundum disquisitiones criticas C. Sprengel morbus prima vice epidemice observatus est in Europa sub initio seculi XVI. et ab illo tempore objectum constituit investigationum medicarum multarum.

Alberti, Diss. de tussi infantum epidemica. Halae. 1728.

Hoffmann, Diss. de tussi convulsiva. Halae. 1732.

L. C. Bourdelin, e puerorum tussi clangosa, vulgo *coqueluche*, vomitus. Parisiis. 1752.

J. Kirkland, Diss. de pertussi. Edinburgi. 1772.

W. Butter, a treatise on the chincough. London. 1773.

— Abhandlung von dem Keuchhusten. Stendal. 1782.

F. Kirkland, Animadversions on D. Butters treatise on the chincough. London. 1774.

T. Galley, Diss. de tussi convulsiva. Edinburgi. 1785.

E. Fairtlough, Diss. de pertussi. Edinburgi. 1785.

A. R. Holtermann, Diss. de tussi convulsiva. Hafniae. 1786.

T. Harding, Diss. de pertussi. Edinburgi. 1789.

F. K. Melzer, Abhandlung vom Keuchhusten. S. Petersburg u. Leipzig. 1790.

C. J. Weizhans, Tentamen de tussi convulsiva infantum. Stuttgart. 1791.

F. G. W. Danz, Versuch einer allgemeinen Geschichte des Keuchhustens. Marburg. 1791.

J. G. Jones, Observations on the tussis convulsiva, or hooping-cough. London. 1795.

J. H. Engelhart, Diss. de pertussi. Lundin. 1797.

Kreysig, Diss. de tussi convulsiva et asthmate acuto infantum Millari. Vittenbergae. 1798.

L. Marcartau, Diss. sur la coqueluche et le croup. Paris. 1803.

W. H. L. Paldamus, der Stickhusten, nach neuern Ansichten bearbeitet. Halle. 1805.

F. Jahn, über den Keuchhusten. Rudolstadt. 1805.

P. E. Bourdet, Diss. sur la coqueluche, ou flux gastro-bronchique tussiculeux. Paris. 1812.

G. Gallerand, Essai sur la toux convulsive des enfans. Paris. 1812.

L. C. van der Heyden, Diss. sur la coqueluche. Paris. 1812.

J. Clossius, etwas über die Quellen, den Sitz, die Eigenthümlichkeiten und Heilmethoden des Keuch- oder blauen Hustens der Kinder. Hadamar. 1813.

R. Watt, Treatise on the history, nature and treatment of chincough. Glasgow. 1813.

G. Penada, Memoria sulla tosse convulsiva. Verona. 1815.

A. F. Marcus, der Keuchhusten, über seine Erkenntniss, Natur und Behandlung. Bamberg u. Leipzig. 1816.

K. F. Holzhausen, de tussi convulsiva. Lipsiae. 1815.

A. L. Peirson, Medical dissertation on chincough. Salem. 1824.

H. M. J. Desruelles, Traité de la coqueluche, ouvrage couronné par la société médico-pratique de Paris. Paris. 1827.

§. 147.

Morbus hic primo obtutu habet magnam similitudinem cum catarrho bronchiali intensiori, cum tracheitide acuta infantum et cum asthmate acuto Millari, a quibus tamen per observatorem in decursum morbi attentum facile distingui potest; scilicet sub decursu hujus morbi contingunt mutationes, stadia morbi tria indicantes, nempe: stadium catarrhosum incipiens, stadium convulsivum seu acme morbi, et stadium catarrhosum posthumum seu decrementi.

Sub stadio primo morbi observamus febrim mitiorem se manifestantem per horripilationem, frigus exiguum cum calore alternans, dedolationem artuum cum aliqua cephalaea et siti, quibus mox accedit sensus doloris obtusi ad radicem nasi, cum sternutatione, oculorum obnubilatione, vocis raucedine, tussi semper increscente, verbo symptomata febris catarrhalis, ex qua minime cognoscere possumus tus-

sim convulsivam evolvendam, nisi sciamus eam tempore eodem esse epidemicam, aegrum ea nedum fuisse correptum, et non obstante therapia, secus contra catarrhum proficua, tussim semper increscere, tunc cum aliqua probabilitate concludimus ad praesentiam stadii primi tussis convulsivae, quod in genere durat per septem usque quatuordecim dies, subinde febri intensa inflammatoria locum habente stadium hoc brevius est, tantum ad tres quatuor-ve dies restrictum, in aegris vero torpidis excurrit in tres usque quatuor septimanas: postea sequitur

Stadium secundum seu convulsivum, in morbo mitiori symptomata febris cessant. sed tussis specifica periodice, frequentissime noctu, non raro etiam interdiu recurrens divexat aegrum; initio revertitur tussis illa post intervalla longiora eodem fere tempore, morbo increscente insultus redit saepius per diem et noctem, aegerque persentit insultum apropinquantem per cephalaeam increscentem, per titillationem in larynge et trachea, per dolorem constringentem in regione epigastrica et pectore cum metu suffocationis, quibus admonitus aeger currit, et quaerit locum idoneum, ubi caput et reliquum corpus sustentare possit; infantes et pueri pedibus calcitrando et fletu conantur insultum avertere, sed incassum, constrictio pectoris augetur, inspirationes breves celeres singultui similes locum habent, post illas sequitur inspiratio una profunda cum sono peculiari, rudori asini aliquantum simili; facies sub tali tussi violenta redditur turgidior et livescens, oculi ex orbitis protruduntur, subinde sanguis e naribus et ore profunditur; subinde contingit sanguinis effusio infra cutim, unde in conjunctiva oculi vel alibi in cuti comparent maculae, ecchymomata; subinde alvus et urina involuntarie exprimuntur; subinde convulsiones universales provocantur; et postquam tussis per tria usque sex minuta duravit, sequitur vomitus, quo evacuatur liquidum mucosum, pellucidum, in fila longa ductile, saepe solum, rarius cum alimentis et potulentis ingestis mixtum; sub vomitu hoc cessat tussis, moxque disparent omnia symptomata, nec languor diu durat, aeger

relative sanus evadit, infantes et pueri revertuntur ad lusus suos consuetos; ita silent symptomata omnia morbi per horas sex usque duodecim, sed dein revertitur insultus, et quidem semper intensior, provocaturque talis insultus subinde per motum corporis vehementiorem, per calorem aut frigus externum, per alimenta et potulenta quantitate aut qualitate peccantia, per vocem intensiorem, per animi affectum, inprimis iram, saepe tamen sine causis excitantibus redit insultus, affligitque aegrum in morbo mitiori per duas septimanas, in graviori per plures subinde menses.

In stadio tertio tussis evadit minus violenta, magis similis catarrho simplici, qua ejiciuntur sputa albo-opaca, glutinosa, et post unam alteram-ve septimanam aeger a morbo liberatur.

Nec tamen semper ita mitis est morbus, integrae epidemiae observatae sunt, in quibus character febris fuit intensior ita, ut symptomata status inflammatorii se manifestaverint; tunc statim sub exordio febrem intensiorem comitatur tussis violenta, saepe cum doloribus fixis in trachea vel in pectore, atque post duos tres-ve dies jam comparet stadium secundum, cum tussi violenta, sonora, cum metu suffocationis; nec post insultum talem sanitas apparenter bona revertitur, febris symptomata perdurant, respiratio manet difficilis, brevis, frequens et anhelosa ita, ut attentus observator clare cognoscere possit inflammationem praesentem, inprimis in membrana mucosa bronchia obvestiente, qualem characterem morbi jam Sydenham observavit, temporibus autem recentioribus Watt et Marcus integras epidemias descripserunt, et disquisitionibus anatomico-pathologicis demonstrarunt in cadaveribus inflammationem bronchiorum; ideo docuerunt, tussim convulsivam nihil aliud esse, quam bronchitidem. Interim observationes nos convincunt, characterem febris tussim convulsivam concomitantis esse saepe asthenicum, nervosum cum erethismo, atque tunc stadium morbi et secundum et tertium excurrit per plures menses, subinde etiam per medium annum.

§. 148.

Ex symptomatibus attente collectis possumus tussim convulsivam praesentem cognoscere et speciem ejus definire, nec tamen naturam morbi individualem determinabimus, nisi causam ejus eruerimus. Observationes medicae a seculo XVI. institutae docent, tussim convulsivam nonnisi certis temporibus occurrere, et tunc more epidemiarum late per aegros multos extendi, observanturque tales epidemiae sub diversa temperatura, sub diversis anni temporibus, in subjectis diversae constitutionis, diversis alimentis utentibus ita, ut pro causa excitante morbi nec frigus, nec calor, nec alimenta et potulenta, nec anni tempus assignari possint, sed summa cum probabilitate per influxum cosmicum contingit in atmosphaera mutatio peculiaris, generans miasma peculiare, cujus actione in organismo humano praedisposito evolvitur tussis convulsiva; ad evolutionem enim morbi praeter actionem miasmatis peculiaris requiritur etiam dispositio peculiaris, quae per morbum toleratum deletur ita, ut homines plurimi tantum semel in vita tussi convulsiva affligantur, et quidem maximam dispositionem observamus adesse aetate tenera intra annum aetatis secundum et septimum; aetas tenerior rarius corripitur hoc morbo, quamvis etiam hic observatus fuerit morbus in infante trium mensium, observatus fuit etiam in juvenibus, imo et in senibus septuaginta annorum. Morbus in acme constitutus generat etiam contagium ita, ut observationibus in pluribus locis factis comprobatum sit, ab aegro tussi convulsiva affecto alteri sano praedisposito morbum communicari posse; estque contagium volatile, cujus actioni etiam individuum praedispositum subtrahi potest per separationem, nisi constitutio epidemica atmosphaerae in gradu eminentiori adfuerit, generans et dispositionem, et determinans characterem dynamicum morbi. Per actionem miasmatis vel contagii locum habet irritatio peculiaris systematis nervosi, in specie nervi vagi et phrenici, ideo provocatur secretio largior muci in membrana mucosa bronchiorum et ventri-

culi, propterea exoriuntur symptomata catarrhi, tussis violenta cum sono peculiari, irritationeque in gradum majorem evecta comparent symptomata omnia bronchitidis.

§. 149.

Morbus perfecte evolutus exitum nanciscitur diversum, pro diversa intensitate, complicatione et duratione morbi. Morbus mitior et simplex saepe saepius per solam autocratiam naturae deducitur in sanitatem; charactere tamen abnormi perdurante facile evadit morbus chronicus, tabem et febrim hecticam inducens; non raro provocatur per tussim violentam sub stadio convulsivo haemorrhagia periculosa, jam epistaxis profusa, jam pneumonorrhagia, jam haemorrhagia cutanea, subinde maxime periculosa haemorrhagia cerebralis ita, ut aeger apoplectice exstinguatur; subinde per tussim violentam producuntur alvi urinaeque evacuationes involuntariae, herniae, prolapsus, in gravidis abortus; non raro tussi evanida alii morbi caput efferunt, ut memoriae labefactatio, sensuum obfuscatio, paralyses, tusses chronicae, phthisi terminandae. Ideo quotiescunque tussis convulsiva non constituit morbum simplicem, prognosim habet dubiam, in qua attendimus ad momenta, quae naturam individualem modificant, inprimis ad febrim sociam, quae inflammatoria intensior periculis stipata est, majoribus adhuc, dum character febris asthenicus, nervosus vel septicus est. Determinatur prognosis etiam per aetatem, et per constitutionem individualem aegri; infantes teneri et senes decrepiti in magnum vitae periculum conjiciuntur, gravidae, hernia vel calculis laborantes, haemorrhagiis obnoxii, dispositione phthisica vel apoplectica praediti semper maximis periculis expositi sunt, quae tamen per therapiam rationalem saepe removeri possunt.

§. 150.

Dum morbus epidemicus evadit, ad propagationem ejus impediendam, prophylacticum nullum possidemus, praeter separationem, qua infantes teneros, debiles, mulieres gra-

vidas, homines dispositione alia per tussim exaltanda praeditos occasioni contagium contrahendi subtrahimus.

Cura ipsa morbi est varia, quia natura morbi variat, minime ergo una methodus scopo respondebit, sed pro diversitate stadiorum, characteris dynamici, et complicationis morbi, variare debet etiam cura. Tussis convulsiva mitior, ut omnes morbi contagiosi febriles, habet characterem mitiorem inflammatorium, ideo in genere methodus anti-phlogistica mitior indicata est, temperatura externa moderata, cibus blandus, magis vegetabilis, quam animalis, quies corporis et animi; pro medicina exhibemus decoctum hordei vel althaeae vel salep, vel infusum florum tiliae, verbasci cum lacte, vel emulsionem amygdalarum dulcium, emulsionem oleoso-gummosam, quibus subinde addimus vel nitrum, vel salem ammoniacum, vel tartarum emeticum dosi refracta. Subinde jam sub stadio primo catarrhoso morbi symptomata intenduntur ita, ut character inflammatorius eminentior manifestus sit, tunc ex consilio a Sydenham, Watt, Marcus etc. dato evacuatio sanguinis est necessaria, subinde universalis, saepius topica; in nonnullis casibus post sanguinis evacuationem justam usus calomelis est indicatus.

In stadio secundo convulsivo determinatur indicatio curae per characterem dynamico organicum morbi; subinde continuat character inflammatorius eminentior, methodum anti-phlogisticam longiori tempore continuandam desiderans; saepe pharmaca mitiora, emollientia, nitrum, sal ammoniacus jam sufficiunt. Saepe tamen methodus anti-phlogistica effectu desiderato destituitur, sub ejus applicatione continuata symptomata morbi redduntur intensiora, quia character morbi est nervosus, per statum peculiarem abnormem nervorum vagorum et phrenicorum productus. In tali casu indicata sunt remedia antagonistica, interne exhibemus jam tartarum emeticum, jam ipecacuanham, dosi refracta, jam scillam marinam, inprimis oxymel scillae, sulfur auratum antimonii, jam kermetem mineralem, quae remedia etiam tunc utilia sunt, dum emesim provocant, et

mucum morbose secretum eliminant; nec tamen morbus per id cessat, nam secretio nova contingit, ideo emetica laudata caute exhibemus, ne per nauseam et vomituritionem continuam aegrum debilitent. Majorem utilitatem habent antagonistica cuti applicita, ut cepa assata, forma unguenti plantis pedum, volis manuum admota, folia nicotianae melle illinita pectori imposita, sinapismus, emplastrum cantharidum, extremitatibus applicitus, inprimis autem unguentum vel emplastrum antimoniale, cujus virtus magna per medicos Anglos, inprimis E. Jenner cognita, maxime comprobata et laudata fuit per Autenrieth, ideo etiam vocatur unguentum Autenriethii. Axungiae porci recentis, non rancidae unciae semis miscetur exactissime tartari emetici subtilissime pulverisati drachma una, et ad magnitudinem nucis avellanae quotidie ter inungitur regioni epigastricae. Post inunctionem aliquoties factam comparent pustulae specificae cum remissione morbi insigni, neque tamen propterea unguentum hoc specificum semperque utile est, nam sub stadio morbi primo est inutile, imo facile noxium, in stadio morbi secundo charactere inflammatorio nedum deleto nocet, estque saepe remedium molestum, pustulae excitant ardorem magnum, nec restringuntur semper ad partem cutis cui inunguntur, sed prorumpunt etiam in aliis partibus, inprimis circa genitalia, et in superficie interna femorum, ideo in applicatione hujus remedii eximii attentio magna requiritur.

Saepe etiam post usum antagonisticorum tussis convulsiva perdurat, tunc indicata sunt narcotica et anti-spasmodica, quae varia a variis laudantur, ut spiritus nitri dulcis, spiritus salis dulcis, flores chamomillae vulgaris, radix valerianae sylvestris, asa foetida, ledum palustre, flores zinci, extractum hyoscyami, cicutae, pulsatillae nigricantis, lactucae, acidum hydrocyanicum, aqua laurocerasi, opium, jam solum, jam cum ipecacuanha, jam cum calomela junctum, subinde camphora, castoreum, praeparata ammoniae, moschus, tinctura cantharidum; maximam tamen laudem sibi meruit, post Schaeffer, Jahn,

Hufeland etc. radix belladonnae, quae in Germania exhibetur pro nycthemero a grano semis usque grana quatuor; apud nos dosis multo minor, una decima sexta pars grani saepe jam scopo respondet.

In stadio morbi tertio saepe praeter vitae regimen congruum nulla medicina necessaria est; subinde tamen character inflammatorius adhuc perdurat etiam in hoc stadio, methodumque anti-phlogisticam saltem mitiorem requirit; saepius tamen evolvuntur symptomata debilitatis cum irritabilitate majori bronchiorum, ideo remedia roborantia et narcotica indicata sunt, saepe utilissime adhibentur extractum lactucae sylvestris vel extractum hyoscyami, vel pulvis herbae cicutae cum floribus sulfuris, stipites dulcamarae, herba marrubii albi, lichen islandicus, cortex cinchonae; saepe plus praestat victus nutriens, vinum bonum antiquum, inprimis Tokayense dosi moderata exhibitum.

Autenrieth, Leichte Heilart des Krampf-oder Keuchhustens der Kinder, (Versuche für die practische Heilkunde. Tübingen. 1807, Bd. I. S. 127).

ASTHMA.

§. 151.

Asthma in sensu latiori vocatur morbus, cujus praecipuum symptoma est respiratio impedita, difficilis; interim natura morbi, in quo respiratio difficilis locum habet, valde diversa est, ideo ab aliis difficultas respirationis in genere vocatur dyspnoea; gradus ejus major ita, ut ad respirationem perficiendam etiam musculi colli in auxilium vocari debeant, dicitur orthopnoea; dum talis difficultas respirationis cum metu suffocationis nexa non est continua, sed per vices ex integro intermittit, dein periodice per intervalla breviora vel longiora revertitur, tunc vocatur asthma, cujus species sunt: a. acutum infantum, a. adultorum, incubus et angina pectoris.

ASTHMA ACUTUM INFANTUM.

§. 152.

Morbus hic rarior, prima vice accurate descriptus fuit per Millar, ideo etiam asthma Millari vocatur, consistitque in spasmo tonico, quo corripiuntur musculi laryngis, tracheae et bronchiorum ita, ut aeger ob respirationem impeditam in periculum suffocationis conjiciatur, non raro convulsionibus simul accedentibus, qui insultus periodice recurrit. Prodromis vix aliquibus annunciatur morbus, subinde catarrhus exiguus trachealis uno altero-ve die observatur, sine omni febri, in subjecto apparenter sano subito evolvitur morbus, frequentissime noctu, e somno expergefit aeger cum anxietate, metu suffocationis, voce mutata, respiratione sibilosa, cordis palpitatione, pulsu contracto, parvo, irregulari, extremitatibus frigidis; facies et collum magis turgent, labia oris livent, oculi ex orbitis protruduntur, urina aquosa evacuatur, non raro convulsiones comparent, duratque talis insultus spasmodicus per quadrantem, per mediam, subinde per integram horam, dein cessat, aeger obdormit, sequitur sudor, subinde vomitus; dum altero die evigilat, saepe nulla signa morbi tolerati deteguntur, multi tamen sunt corpore languidiores, animo morosiores, tristiores, et post octo aut duodecim horas utplurimum iterum noctu revertitur paroxysmus, jam nunc intensior et diuturnior, et nisi levamen feratur, insultus evadunt sibi semper viciniores, intensiores et longiores, aegrumque a tertio usque septimum diem enecant; rari sunt casus, ubi morbus in decimum quartum diem excurrit.

Morbus hic pertinet inter rarissimos ita, ut ab auctoribus pluribus celebribus: Autenrieth, Conradi, J. Frank, Albers etc. existentia morbi ut specifici denegata fuerit, sed tantum pro varietate tracheitidis acutae

declarata. Observatores tamen alii: Millar, Wichmann, S. G. Vogel, Lentin, J. P. Frank, Hufeland, Heim, Richter, Schmidtmann, Raimann etc. testantur, se hunc morbum saepius observasse, et a tracheitide acuta infantum per criteria sequentia distingui posse:

1mo. Tracheitis acuta invadit frequentius infantes robustos, plethoricos, diathesi phlogistica praeditos; asthma vero acutum evolvitur in infantibus debilibus, teneris, diathesi nervosa praeditis.

2do. Tracheitis non raro est epidemica, per constitutionem atmosphaerae peculiarem inducta; asthma acutum nunquam epidemicum, semper tantum sporadicum et rarum occurrit.

3tio. Evolutionem tracheitidis praecedunt semper symptomata catarrhi, non raro etiam isthmitidis, comitaturque semper febris, saltem mitior, non raro intensa cum tussi et sono peculiari latrante; in asthmate nulla praecedunt prodroma, subinde tantum catarrhus valde levis, nulla observatur febris, tantum sub insultu est pulsus irregularis, inaequalis cum frigore extremitatum, subinde convulsionibus, tussi nulla vel exigua.

4to. In tracheitide symptomata morbi sunt continua; respiratio semper impedita, tantum per vices evadunt symptomata mitiora, dein revertuntur iterum intensiora; in asthmate acuto intermissio observatur plena pluribus etiam horis.

5to. In tracheitide manifesta sunt symptomata phlogosis jam aegro vivente; saepe is accusat dolorem fixum in larynge vel trachea, nunquam in asthmate. In tracheitide per processum inflammationis generatur membrana polyposa tracheam obvestiens, tubulum referens, et non raro vomitu ejicitur, vel in cadavere detegitur cum signis inflammationis; in asthmate acuto talis membrana nunquam efformatur.

6to. Therapia utriusque morbi distincta est, tracheitis enim acuta sanatur per methodum anti-phlogisticam strictissimam, asthma vero per methodum anti-spasmodicam.

J. Millar, Observations on the asthma and on the hooping-cough. London. 1769.

R. Rush, on the spasmodic asthma of children. London. 1770.

E. Wichmann, Über das Asthma Millari und Angina polyposa (Ideen zur Diagnostik, Bd. II. S. 89).

K. B. Fleisch, Diss. de asthmate Millari. Marburg. 1799.

A. Henzschel, de asthmatis Millari et anginae polyposae diversitate. Breslau. 1812.

J. Dobrowolsky, Diss. de asthmate Millari. Viennae. 1816.

J. C. Albers, de diagnosi asthmatis Millari strictius definienda. Göttingae. 1817.

L. Suchet, Essai sur la pneumo-laringalgie, ou asthma aigu de Millar. Paris. 1828.

§. 153.

Ut naturam morbi cognoscere valeamus, praeter symptomata exquirimus etiam momenta nosogenetica. Requiritur ad evolutionem morbi dispositio peculiaris, quam pauci habent, ideo morbus ita rarus est, aetate tantum infantili et puerili, a secundo usque septimum, raro ante primum annum aetatis observatur. Observator quidem eximius Wigand refert, se morbum saepius observasse Hamburgi, infantibus duorum quatuor-ve mensium molestum, quod ab alio observatore nullo adnotatum est, et requiritur in diagnosi construenda attentio magna, nam dyspnoea cum respiratione sibilosa et metu suffocationis exoritur per plures alias causas, sic subinde tantum per saburram ventriculum et tubum intestinalem nimis extendentem, sed tunc morbus est transitorius et post evacuationem saburrae disparet; subinde dyspnoea est symptoma vitii organici cordis, tunc dyspnoea etiam per insultus recurrit, sed simul cyanosis adest, livor per superficiem corporis majorem extenditur cum frigore extremitatum; subinde causa talis dys-

pnoeae in infantibus teneris est inflammatio glandulae thymi lentius decurrens, qui status morbosus tantum recentissimis temporibus adnotatus est. Asthma acutum Millari est morbus stricte spasmodicus, qui in subjecto praedisposito excitatur frequentissime per refrigerium, quo perspiratio cutis turbatur, nervi organorum respirationis irritantur, et sic spasmus tonicus in trachea excitatur.

J. H. Kopp, Asthma thymicum, (Denkwürdigkeiten in der ärztlichen Praxis. Frankfurt. 1830, Bd. I, S. 1.)

F. A. Caspari, Etwas über eine besondere Form von Asthma im kindlichen Alter (Heidelberger clinische Annalen, Bd. VII. S. 233).

Pagenstecher, Beiträge zur nähern Erforschung des Asthma thymicum, (Heidelberger clinische Annalen, Bd. VII. S. 350).

§. 154.

Morbus evolutus est periculosissimus, aegri nonnulli jam sub primo insultu apoplectice exstinguuntur, in aliis die tertio usque septimum morte terminatur, nisi therapia rationalis statim administrata fuerit.

Docentibus Millar et Wichmann methodus antiphlogistica contra hunc morbum semper letalis fuit, methodo anti-spasmodica non pauci conservati sunt. Millar maxime commendat asae foetidae drachmas duas, ut solvantur in spiritus Mindereri uncia una, addantur aquae destillatae pulegii unciae duae, et inde exhibeantur aegro tenero omni hora vel omni bihorio uno cochleari parvo; multis medicina valde ingrata nauseam vomitumque excitat, iis asam foetidam in clysmate praescribimus, interne vero post Wichmann moschum commendamus, et quidem omni bihorio granum unum usque duo, Moschum artificialem virtute genuini destitutum non praescribimus, sed in defectu moschi genuini oleum destillatum cajeput per Wichmann et alios laudatum adhibemus ita, ut guttae sex misceantur cum sacchari albi drachma una, dividatur in sex partes aequales, et omni bihorio una dosis sumatur; in morbo graviori simul in auxilium vocamus

radicem valerianae sylvestris et spiritum cornu cervi; vix unquam adhibemus narcotica, ut hyoscyamum, belladonnam, opium, licet per observatores nonnullos laudantur. Subinde etiam remedia externa, ut semicupium tepidum, epispastica, extremitatibus et pectori applicita utilia sunt. Interim meminisse oportet, morbum hunc esse valde rarum, longeque frequentiorem esse tracheitidem acutam, in qua curanda methodus contra asthma laudata esset perniciosa.

ASTHMA ADULTORUM.

§. 155.

Asthma adultorum non raro hominem relative sanum absque prodromis subito adoritur, saepe tamen insultum annunciant prodroma, quae frequentissime comparent post meridiem duabus tribus-ve horis a prandio; aeger experitur capitis gravitatem insolitam, dolorem obtusum, pressionem in regione epigastrica cum nausea et vomituritione, saepe observatur sputatio frequens muci et salivae, aeger evadit tristis, morosus, societatem fugit, solitudinem quaerit, in plurimis sensibilitas cutis exaltatur ita, ut aegri sentiant, ac si cutis continuo aciculis pungeretur. Prodroma haec in gradu jam mitiori, jam intensiori adsunt, accedit-que iis sensus lassitudinis, aegros ad lectum deprimens, et in genere incidunt brevi in somnum tranquillum, sed post paucas horas excitantur per sensum oppressionis et constrictionis in pectore, cum metu suffocationis, ad quem abigendum plurimi e lecto exiliunt, inter anxietates summas experiuntur spiritum brevem, ideo hauriunt aërem ore dilatato, portas fenestrasque aperiunt, et se in aërem liberum deportari orant; ut respirationem adjuvent, se in situ erecto manibus et cubitis sustentant, vocem vix valent proferre, respiratio difficilis, anhelosa et strepitosa est ita, ut jam in distantia etiam majori percipi possit, tussis est rarior, pulsus arteriarum sunt inaequales, irregulares, facies saepe est pal-

lida, subinde livida, vasa sanguifera colli et faciei sunt turgida, oculi ex orbitis protrusi; saepe extremitates frigent, sudor frigidus in collo et fronte prorumpit, urina aquosa evacuatur; sub insultu vehementi subinde motus cordis et respiratio per breve tempus silent, lipothymia adest, duratque talis insultus vehemens subinde tantum per pauca minuta, saepe per quadrantem, per mediam, per plures horas, subinde usque diluculum excurrit, tunc successive spasmus remittit, et respiratio liberior evadit. Saepe spasmo remittente tussis redditur intensior, sputa ejiciuntur copiosa, spissa, non raro et vomitu accedente cum levamine; in tali casu jam durante insultu percipitur in trachea et bronchiis strepitus mucosus, et tunc vocatur asthma humidum, ut distinguatur ab asthmate sicco, in quo secretio talis in trachea locum non habet. Post remissionem spasmorum persentit aeger debilitatem muscularem magnam, incidit in somnum, sub quo calor animalis augetur, sudor prorumpit, et post evigilationem urina profundius tincta evacuatur.

Raro morbus absolvitur unico insultu, revertitur is certo vel incerto tempore, omni nocte vel alternis noctibus, non raro etiam interdiu; in morbo ad majorem gradum evecto revertitur insultus spatio nycthemeri ter quater-ve, imo subinde est insultus continuus, per vices remittens et exacerbans. Ita affligitur aeger per septem, quatvordecim, subinde per plures dies, dein symptomata morbi ex integro cessant, initio revertuntur tantum post plures annos, dein omni anno, frequentissime tempore aequinoctii autumnalis vel vernalis, subinde morbus fere continuus est.

Symptomata morbi ita characteristica sunt, ut error in diagnosi facile committi non possit, a morbis enim reliquis organorum respirationis, ut a peripneumonia, a hydrothorace et a tussi convulsiva facile dignoscitur; tantum tunc evadit diagnosis difficilior, si asthma est complicatum cum morbis aliis.

J. Floyer, treatise on the symptoms, fits, causes and cure of the asthma. London. 1698.

— Abhandlung von der Engbrüstigkeit. Leipzig. 1782.

H. Ridley, Observationes medico-practicae et physiologicae de asthmate et hydrophobia. Londini. 1703. Lugd. Batav 1738.

F. B. de Sauvagés, Diss. de respiratione difficili. Montpellier. 1757.

Juncker, Diss. de asthmatis vera pathologia et therapia. Halae. 1752.

J. G. Leidenfrost, de asthmate. Duisburg. 1783.

T. Withers, a treatise on the asthma. London. 1786.

— Abhandlung von der Engbrüstigkeit. Leipzig. 1787.

M. Ryan, Observations on the history and cure of the asthma. London. 1793.

— Beobachtungen über die Geschichte und Heilung des Asthma. Leipzig. 1796.

R. Bree, a practical enquiry on disordered respiration, distinguishing convulsive asthma, its specific causes, and proper indications of cure. Birmingham. 1797, 1800.

G. Lipscomb, Observations on the history and cause of asthma. Birmingham. 1800.

N. F. J. Aubert, Diss. sur l' asthma considéré comme maladie nerveuse. Paris. 1809.

M. Zallony, Traité de l' asthme. Paris. 1809.

J. Lauffer, de asthmate convulsivo ejusque ab angina pectoris differentia. Breslau. 1816.

K. F. Brothag, Asthma systematice tractatum. Freiberg. 1826.

J. G. Höffbauer, über die Erkenntniss und Cur des Brust-Krampfs Erwachsener. Leipzig. 1828.

§. 156.

Ut naturam individualem morbi definire valeamus, momenta ejus pathogenetica exquirere adnitimur. Observatio docet, insultum asthmaticum frequentissime provocari per aërem humidum frigidumque; propterea morbus hic frequentior est in autumno et vere, licet nonnulli aestate potius afflicti sint; subinde provocatur insultus per aërem ex-

halationibus diversis impraegnatum, ideo in locis multis hominibus repletis; nec tamen haec regula constans est, Bree testatur, se aegros observasse Londini, qui in cubilibus et plateis angustis vaporibus repletis liberius respirabant, quam dum in aërem liberum, in campum translati fuerunt. Non raro excitatur morbus per pulveres subtiles aëri immixtos in molitoribus, pistoribus et iis, qui lapidibus effodiendis, scindendis, contundendis et pulverisandis occupantur; per pulveres in tracheam et bronchia delatos, partim irritatio continua locum habet, partim concrementa formantur respirationem impedientia. Subinde excitatur insultus per alimenta et potulenta quantitate nimia ingesta, per potulenta spirituosa, per motum corporis vehementem, inprimis per ascensum velociorem, per vociferationem, per animi affectum gravem, inprimis iram, per evacuationes nimias, inprimis succi genitalis, per evacuationes habituales suppressas, ut per suppressum sudorem, per retentionem alvi, urinae, fluxus haemorrhoidalis, per morbos cutis evanidos, per arthritidem.

Causae enumeratae minime provocant in omni homine asthma, requiritur simul dispositio peculiaris, quae saepe est congenita, haereditate acquisita, vel in utero matris evoluta, talisque jam aetate teneriore se manifestat per respirationem brevem, difficilem, anhelosam, qualis in infantibus observatur, dum vehementius corpore vel animo moventur, dum cibum majori quantitate ingerunt; tales frequentius corripiuntur catarrho tracheo-bronchiali, et diutius affliguntur, facile etiam in tracheitidem et bronchitidem incidunt. Subinde dispositio talis evolvitur post morbos alios praegressos, encephali, medullae spinalis, viscerum abdominalium, ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, organorum uropoëticorum et genitalium, subinde post morbos ossium et glandularum lymphaticarum, ut post rhachitidem et scrofulas, frequentissime post morbos praegressos viscerum cavi pectoris, ut cordis et pulmonum.

Saepe causam praedisponentem asthmatis constituit vitium quoddam organicum in diversis corporis partibus, in-

primis in cavo pectoris reconditum. Subinde talia vitia jam in aegro vivo detegimus, ut fracturas, luxationes, curvaturas, impressiones costarum, sterni, vertebrarum etc. saepius vitia detegimus tantum in cadavere, ut ossificationes cartilaginum costarum, tubercula et vomicas in pulmonibus, ossificationes in trachea ac bronchiis, ossificationes et dilatationes in corde et vasis majoribus, steatomata, cystides in cavo pectoris, subinde sanguinem vel alia liquida effusa. Licet vitia enumerata in cadaveribus asthmaticorum reperiuntur, tamen pro causa morbi unica declarari haud possunt, saepe enim vitia illa detegimus, quin asthma praegressum sit, et saepe nec in vivo, nec in cadavere vitium ullum organicum observatur, et tamen asthma molestis symptomatibus stipatum affligit aegrum ita, ut tunc morbum in strictiori sensu dynamicum esse asserere cogamur. In omni casu convincimur per symptomata, spasmum adesse vehementem tracheae et bronchiorum, quo respiratio impeditur cum metu suffocationis; quia haec constrictio spasmodica revertitur per insultus periodice, uti epilepsia, ideo vocavit Helmont asthma adultorum epilepsiam pulmonum. Sedes morbi principalis est summa cum probabilitate in nervis vagis et in ramis nervi intercostalis magni per pulmones distributis, quorum nervorum ope excitatur spasmus, saepe connexus cum secretione morbosa muci in bronchiis, saepe sine ea, et inde distinctio inter asthma humidum et siccum.

Praeter momenta enumerata in singulo casu individuali definire debemus conditionem energiae vitalis organismi totius, per quam character specificus imprimitur asthmati. Non raro evolvitur asthma in homine robusto, plethorico, post motum corporis vehementem, post animi affectum, inprimis iram, post spirituosa majori quantitate ingesta, post evacuationes habituales suppressas, et tunc symptomata omnia attente considerata indicant, congestionem majorem sanguinis adesse in pectus, in systema nervosum, inprimis in nervos vagos et intercostalem magnum, dicitur asthma energicum. Saepe status dynamicus organismi

observatur priori oppositus, in hominibus debilibus post animi affectus ingratos, post evacuationes nimias, inprimis succi genitalis provocatur asthma asthenicum. Saepe gradus debilitatis est minor, nec intelliguntur phaenomena morbi omnia ex debilitate, sed supponere debemus hypercinesiam, irritabilitatem morbose exaltatam ob statum nervorum peculiarem, ideo tales insultus graves locum habent in hystericis et hypochondriacis.

§. 157.

Pro diversitate momentorum nosographicorum et nosogeneticorum diversa est prognosis asthmatis; subinde morbus levior, remotis causis excitantibus sanatur per solam autocratiam naturae; saepius est morbus pertinax aegros per triginta usque quadraginta annos affligens, quorum aliqui ita felices sunt, ut insultu superato iterum sanitate relative bona gaudeant, quemadmodum id in nevrosibus aliis chronicis, ut epilepsia observamus; subinde tamen aeger sub ipso insultu gravissimo per suffocationem vel apoplexiam exstinguitur. Saepius morbus diu perdurans inducit morbos alios, ut phthisim pulmonalem, hydropem pectoris, subinde hydropem cerebri, morte terminandos, qui exitus funesti saepe per therapiam rationalem averti possunt, nisi dispositio adsit eminens haereditate acquisita, in ipsa fabrica organismi fundata, vel morbus habitualis redditus vitiis organicis praesentibus arti nostrae huc usque minus perfectae resistat, et tunc morbum mitigare, vitamque aegri tolerabilem conservare valemus.

§. 158.

Therapiam statim dirigimus contra causas excitantes, ideo saburram forte in ventriculo vel tubo intestinali haerentem per emetica vel purgantia evacuamus; si per refrigerium inductum fuerit asthma cum symptomatibus catarrhi, tunc methodus anti-catarrhalis votis satisfaciet; si morbus provocatus fuerit per evacuationes habituales suppressas vel morbum cutis evanidum, tunc illarum revocatio, vel cutis

irritatio necessaria est; si cognoverimus, causam excitantem esse aërem quoquo modo corruptum, tunc eum emendamus, vel aegrum ejus influxui subtrahimus; si forte ad genesim asthmatis concurrerint morbi alii, ut rhachitis, arthritis, syphilis, infarctus abdominales, tunc therapiam contra morbos eos dirigimus; subinde asthma est symptoma tantum febris intermittentis, tuncque sanatur inprimis usu cinchonae.

Sed saepe causae excitantes non deteguntur amplius praesentes, et saepe causae ad morbum concurrentes, ut vitia organica cito removeri non possunt, tunc indicationem curae desumimus a charactere dynamico asthmatis, et prout status aegri duplex distinctus est, alter tempore insultus asthmatici, alter tempore ab insultu libero, ita etiam therapia modificari debet. Tempore insultus conamur symptomata molesta imminuere, ideo procuramus aegro aërem liberum et purum, vestimenta partem aliquam corporis constringentia solvimus, aegrum in situm idoneum, respirationem quodammodo facilitantem collocamus, homines copiosos exhalationibus suis aërem corrumpentes arcemus, pharmaca pauca exhibemus, infusum nempe tenue florum chamomillae vulgaris vel tiliae, vel foliorum aurantiorum; sic conatu nostro cito auxilium ferendi animum aegri depressum erigimus, et adstantes saepe perverse activos impedimus, ne quid noxii adhibeant. Interim e narratione adstantium et ex symptomatibus collectis conamur diagnosim construere, quod saepe sub insultu primo, inprimis in aegroto antea nobis ignoto praestare haud valemus, sed post insultum superatum excipimus historiam omnem, et tunc ex combinatione omnium symptomatum et momentorum pathogeneticorum potest character dynamico-organicus morbi cum probabilitate definiri.

Subinde in homine robusto ad morbos hypersthenicos disposito per motum corporis vehementem, animi affectum, ut iram, vociferationem, per potus spirituosos copiose ingestos, per suppressionem evacuationum, praeprimis cruentarum excitatur asthma energicum a congestione sanguinis

majori in cavum pectoris, subinde in encephalon, atque tunc etiam tempore insultus sanguinis evacuatio suscipi debet, subinde ope phlebotomiae, saepius ope hirudinum aut cucurbitularum cruentarum, non raro per hanc methodum insultus perfecte tollitur, nec tamen securi sumus, nisi per observationem longiori tempore continuatam; diathesi phlogistica perdurante ad impediendam recidivam methodus anti-phlogistica mitior, victus tenuis vegetabilis, decocta emollientia, nitrum, sal ammoniacus, tartarus emeticus dosi refracta, subinde calomela longiori tempore continuari debent.

§. 159.

Longe frequentius character dynamicus asthmatis est asthenicus cum hypercinesia tracheae et bronchiorum nexus, atque tunc methodus anti-phlogistica est noxia, aegrum enecare valens, tunc quae hypercinesiam imminuere et energiam languentem excitare valent, sunt indicata; multa laudantur ab observatoribus, e quibus maxime congruum per observationem diutius continuatam seligimus; initio exhibemus tempore insultus asthmatici anti-spasmodica mitiora, infusum tenue florum chamomillae, florum tiliae, lavendulae, herbae melissae, herbae menthae crispae et piperitae, foliorum aurantiorum; solis haud sufficientibus addimus guttas paucas, tres usque decem spiritus nitri dulcis, vel spiritus salis dulcis, vel liquoris anodyni mineralis Hoffmanni, vel aetheris aceti, vel aetheris vitrioli, vel tincturae asae foetidae; frequentius quidem fumo asae foetidae impraegnatos pannos imponimus pectori, vel gummi asae foetidae vitello ovi subactum commendamus forma clysmatis cum infuso florum chamomillae. Subinde ad spasmum tollendum adhibemus camphoram, moschum, tincturam valerianae sylvestris, castoreum, inprimis tincturam ejus, ammoniam, inprimis spiritum cornu cervi simplicem vel succinatum, vel spiritum salis ammoniaci anisatum. Subinde insultus tollitur per zincum, bismuthum, per narcotica, ut extractum lactucae sylvestris, cicutam, hyoscyamum, belladonnam, digitalem purpuream, acidum hydrocyanicum,

aquam laurocerasi, inprimis per opium, jam solum, jam ipecacuanhae junctum; subinde maxime profuit infusum saturatum coffeae nigrae, testante van Hofen tincturae opii guttis sex usque decem additis. Secundum observationes recentissimas Anglorum pulveris foliorum lobeliae inflatae grana sex, quindecim usque viginti insultum saepe tollunt.

Saepe pharmaca interna vix applicari possunt, effectum haud exerunt, per externa remedia spasmus molestus fugatur; extremitates frigidas fomentamus calore sicco, fricamus panno vel setaceo molli, spinae dorsi et pectori inungimus linimentum ammoniatum, in morbo intensiore applicamus pectori sinapismum vel emplastrum cantharidum, in asthmate sicco vaporem aquae vel lactis calidi in os et nares aegri derivamus; nonnullis inspiratio gasis oxygenii post Beddoës est utilissima, multis tamen majorem utilitatem attulit fumus e capitibus papaveris albi, vel herbae nicotianae tabaci, vel e foliis et radicibus daturae stramonii ope tubuli in os attractus; nonnullis levamen attulit fumus evolutus e siliqua pistaciae terebinthinae, dicitur siliqua a carobe di Juda. Subinde efficacia magna observata est galvanismi in removendo insultu.

Nec spasmis silentibus cura terminata est; revertitur morbus iterum iterumque, nisi status nervosus causam morbi proximam constituens remotus fuerit, quod variis modis obtinetur. Subinde remedia antagonistica maximam virtutem exerunt, ut ipecacuanha, tartarus emeticus dosi parva, sulfur auratus antimonii, kermes mineralis, scilla marina, gummi ammoniacum, gummi asae foetidae; subinde magis salutaria sunt narcotica longiori tempore continuata, extractum lactucae, hyoscyami, cicuta, belladonna, digitalis purpurea, opium. Saepe dispositio pro asthmate sustentatur per debilitatem organorum digestionis et chylificationis, tunc indicata sunt tempore ab insultu libero remedia amara, amaro-aromatica, roborantia, ut radix acori, radix inulae, martialia, acidulae martiales, praeparata corticis cinchonae; subinde magnum levamen adfert

pulvis seminum sinapis flavi seu dulcis, quotidie mane et vesperi uno cochleari coffeaceo sumtus in nebula, vel jusculo, vel infuso theato. Saepe remedia etiam antagonistica externa longiori tempore adhiberi debent, ut sinapismus, emplastrum cantharidum, unguentum vel emplastrum antimoniale, fonticuli brachiis applicandi. Subinde morbus molestus per magnetem mineralem, saepe per magnetismum animalem, subinde pharmacis multis incassum adhibitis per vitae genus mutatum, per iter in regiones alias susceptum devictus est. Ne revertatur, causae ejus excitantes sollicite evitari debent, curandumque, ne in victu et potu, in temperatura externa, in motu corporis, in excretionibus, in animi affectibus etc. error committatur.

R. Reace, a practical treatise on asthma, with full directions for the use of the lobelia inflata, with numerous medical testimonies of the peculiar anti-asthmatic virtues of this plant. London. 1830.

INCUBUS.

§. 160.

Incubus seu ephialtes vocatur illa dyspnoea, qua homines apparenter sani corripiuntur in somno; utplurimum versus horas matutinas experiuntur in pectore oppressionem valde molestam, acsi pondus grave pectori incumberet, anhelose respirant, saepe ejulant, conatum omnem adhibent pressionem removendi, donec evigilant inter anxietates et metus, tunc defatigati sudore perfunduntur.

Status hic molestus excitatur per diversas causas, frequentius post coenam lautam, dum illico decumbunt, subinde a flatibus in ventriculo et oesophago evolutis, ut Strahl fundate docet, ideo frequenter observatur in hystericis et hypochondriacis; subinde provocatur per congestionem sanguinis majorem in cavum pectoris, post evacuationes habituales suppressas, inprimis cruentas, in ple-

thoricis, ideo est symptoma prodromum morborum energicorum, inflammatoriorum. Pro diversitate momentorum horum diversa debet therapia institui; in genere suademus, ut a coena abstineant, vel tantum frugalem sumant, ne post coenam statim lectum petant, ne in dorso, sed in alterutro latere jaceant; contra flatus et spasmos commendamus aquam frigidam, infusum chamomillae; saburram forte praesentem evacuamus, plethoram sanguinis evacuatione tollimus, et sic morbi alterius gravioris evolutionem impedimus.

J. Waller, Abhandlung vom Alpdrücken, dem gestörten Schlafe, erschreckenden Träumen und nächtlichen Erscheinungen. a. d. Engl. Frankfurt. 1820.

M. Strahl, der Alp, sein Wesen und seine Heilung. Berlin. 1833.

ANGINA PECTORIS.

§. 161.

Angina pectoris vocatur etiam angor pectoris, a Sauvagés *cardiogmus cordis sinistri*, ab Elsner *asthma convulsivum*, a Butter *arthritis diaphragmatica*, a Schmidt *asthma arthriticum*, a Parry *syncope anginosa*, a Darwin *asthma dolorificum*, a Ställer *asthma spasmodico-arthriticum inconstans*, a Baumés *sternalgia*, a Brera *stenocardia*, a Laënnec *nevralgia cordis*, a Harless *cardiodine spasmodica intermittens arthritico-rheumatica*; est illa species peculiaris asthmatis, quae rarissime aetate juniori, frequentissime tantum post annum aetatis quadragesimum et quinquagesimum evolvitur, et quidem passibus adeo lentis, ut se observatori subtrahat, donec ad gradum majorem evectus sit; tunc in homine apparenter sano subito comparet insultus, dum in motu activo constitutus est, ambulat vel sermocinatur, inprimis post prandium, dum cibos et potus spirituosos majori quantitate ingessit, rarius invadit insultus noctu. Sub insultu tali experitur aeger

semper dolorem in medio pectoris, initio obtusum, dein intensum, propterea vocatur morbus asthma dolorificum, sternalgia, sternodynia; dolor excurrit per brachium sinistrum, cujus motus plus minus-ve impeditus est; simul dolori jungitur respiratio difficilis, anxietas nimia, metus suffocationis, qui aegrum impedit a motu vel sermone continuando, ideo vocatur angina vel angor pectoris; dum nempe metu silente aeger tentat profunde inspirare, laetus observat inspirationem profundam non esse impeditam, quia in pulmonibus status morbosus vix locum habet, sed quia aliae debent esse causae anxietatis et metus suffocationis, quod etiam reliqua symptomata indicant. Scilicet praeter dolorem et metum suffocationis, in hoc morbo semper adest motus cordis inordinatus, saepe palpitatio violenta, ideo etiam pulsus arteriarum est irregularis, inaequalis, saepe intermittens; saepe sub insultu vehementiori motus cordis silet, ideo aeger pallet, labia oris livescunt, extremitates frigent, sudor frigidus prorumpit in fronte et collo, debilitas muscularis est nimia, sensus obfuscantur et animi deliquium subsequitur, ideo vocatur morbus syncope anginosa vel angina syncopalis. Insultus talis durat initio tantum per pauca minuta, per quadrantem horae, quiete sola disparet, et sanitas apparenter bona revertitur, sed citius vel tardius occasione data, vel per motum activum, vel per animi affectum, vel per alimenta et potulenta copiosa ingesta, vel per adstrictionem mentis majorem, vel per evacuationem inprimis succi genitalis provocatur insultus.

W. Heberden, Medical Transactions, published by the College of Physicians at London, 1778, Vol. II. p. 59. Vol. III. p. 3.

C. F. Elsner, Abhandlung über die Brustbräune. Königsberg. 1778, 1780.

Schäffer, Diss. de angina pectoris. Göttingae. 1787.

W. Butter, a treatise on the disease commonly called angina pectoris. London. 1791.

Wichmann's Ideen zur Diagnostik. B. II. S. 143.

Crawford, Diss. de angina pectoris. Edinburgi. 1795.

C. H. Parry, an inquiry into the symptoms and causes of the syncope anginosa, commonly called angina pectoris. London. 1799.

— Untersuchung der Symptome und Ursachen der Syncope anginosa. Breslau. 1801.

Sluis, Diss. de sternodynia syncopali et palpitante, vulgo angina pectoris dicta. Gröningae. 1802.

V. L. Brera, Saggio patologico clinico della stenocardia, malattia volgarmente conosciuta sotto il nome di angina pectoris. Verona. 1810.

— über die Stenocardia, nebst Bemerkungen von Harless (Hufeland's Journal der prakt. Heilkunde 1818, April, Mai).

E. H. Desportes, Traité de l'angine de poitrine. Paris. 1811.

G. M. Zecchinelli, sul angina del petto di Heberden, et le analoghe forme anginose. Padova. 1812.

K. G. Schramm, Diss. de angina pectoris. Lipsiae. 1812.

Jurine, Mémoire sur l'angine de poitrine, qui a remporté le prix au concours etc. Paris et Geneve. 1815.

— Abhandlung über die Brustbräune, mit einer Vorrede von F. L. Kreysig. Hannover. 1816.

§. 162.

Praeter symptomata morbum specificum characterisantia observantur etiam alia pro diversitate constitutionis aegri, potentiarum nocentium et pro diversa complicatione morbi, quae diversitas symptomatum morbi permovit auctores, ut de natura morbi et de causa ejus proxima diversas depromserint sententias. Interim disquisitiones anatomico-pathologicae a Parry post E. Jenner factae, et per Kreysig comprobatae hic etiam in duobus casibus demonstratae, summa cum probabilitate medica confirmant, sedem praecipuam morbi esse in corde, et quidem in arteriis coronariis cordis, in quibus post morbum hunc praegressum morte terminatum ossificationes notabiles detectae sunt. Probabile nobis est, causam per anatome detectam constituere tantum dispositionem specificam pro morbo, qua praesente variae causae insultum provocant; saepe morbus alter, ut arthritis et rheumatismus chronicus, qui cum angina pectoris ita necti-

tur, ut Butter, Elsner et Harless docuerint, causam proximam anginae pectoris esse arthritidem et rheumatismum in cor conjectum, quod defendere haud valemus, cum subinde morbo etiam in gradu eminenti evoluto signa arthritidis vel rheumatismi nulla juncta sunt, sed complicationem horum morborum locum habere observatione etiam hic facta didicimus in aegro arthritide et angina pectoris gravius affecto; dum arthritis in extremitatibus forma podagrae saeviebat, tunc pectus liberum habuit, podagra autem silente omnia symptomata anginae pectoris eum affligebant. Non raro angina pectoris nectitur cum infarctu hepatis, quod inprimis in Italia locum habere animadvertit Brera, et ideo causam proximam inde repetit, quod per hepar infarctum tumidum coarctetur pectus, et sic respiratio impediatur; licet complicatio talis occurrit, tamen per infarctum solum hepatis phaenomena singularia anginae pectoris haud producuntur, ut recte docet Kreysig. Saepe angina haec complicata est cum statu nervorum abnormi, ideo Jurine docuit, causam proximam morbi esse statum abnormem systematis nervosi; negari haud potest, in hystericis et hypochondriacis morbum facilius evolvi ita, ut nobis probabile sit, ad morbi evolutionem concurrere et vitium organicum cordis, et vitium dynamicum systematis nervosi gangliosi, in specie plexus cardiaci; ideo revertitur morbus per insultus, sub quo percipitur dolor in medio pectoris per brachium sinistrum extensus, aeger angitur metu suffocationis, et non raro motus cordis pro momento silet.

§. 163.

Morbus perfecte evolutus prognosim habet tristem, huc usque enim casum nullum habemus fide dignum morbi curati; non desunt quidem historiae, quibus gloriantur medici de cura felicissime peracta, sed critice demonstrat Kreysig, historias eas ad fabulas referendas esse, morbum enim incipientem vix unquam cognoscimus; dum symptomata ejus manifesta evadunt, jam desorganisatio in arteria coronaria cordis talem gradum attigit, ut reductio in statum norma-

lem vix possibilis sit; hoc non obstante aegris morbo hoc gravi affectis consiliis nostris vitam prolongando, et symptomata morbi mitigando utiles esse possumus. Commendamus aegro vitae regimen congruum, ut evitet causas cunctas insultus provocare valentes, motum corporis activum saltem valde moderatum instituat, motus passivus, vectio in curru, navi, in aëre puro et sicco est illi valde proficuus; a cibis copiosis, difficilis digestionis, stimulantibus, aromaticis, a potibus spirituosis abstineat, victu blando, pro potu aqua simplici utatur; animi quietem conservare conetur, affectus omnes vehementiores vitet, et deliciis Veneris renunciet.

Pharmaca diversa adhibemus pro diversitate status dynamico-organici, in quo aeger constitutus est. Subinde plethora praesente per sanguinem copiosum et magis elaboratum provocantur insultus graves, atque tunc methodus anti-phlogistica et symptomata morbi tollit, et reversionem eorumdum impedit; tunc saepe methodus anti-phlogistica mitior, praeter vitae regimen nitrum et cremor tartari longiori tempore continuari debent. Si adsunt symptomata arthritidis, tunc saepe cum utilitate adhibentur antimonialia, guajacum, aconitum, epispastica extremitatibus imposita. Dum ad morbum sustentandum concurrunt infarctus hepatis, tunc solvens methodus indicata est, aestate succi recentes, inprimis herbae et radices taraxaci, acidulae alcalinae, ut Egeranae salsae; Brera testatur, se morbum sanasse extracto taraxaci a drachma una, successive usque unciam semis per nycthemerum exhibito; simul adhibuit calomelam et aquam lauro-cerasi, quae pharmaca contra infarctus hepatis valde efficacia sunt, sed anginam pectoris veram vix sanare valent. Dum insultus sustentatur per irritabilitatem morbose exaltatam cordis et arteriarum, per influxum nervorum, inprimis cardiacorum, tunc maxime indicata sunt nervina. Jurine maxime commendat interdin infusum radicis valerianae sylvestris ex drachma una usque unciam semis ad colaturam unciarum sex, subinde corticem cinchonae, vesperi autem pulverem Doweri. Saepe

magnum levamen adfert usus liquoris acidi Halleri; non raro plus praestant narcotica, ut extractum lactucae sylvestris, hyoscyami, cicuta, belladonna, digitalis purpurea, acidum hydrocyanicum, opium, quae tamen cuncta caute porrigi debent, nam facile nocere possunt ob dispositionem apoplecticam in talibus aegris praesentem. Subinde ob statum hystericum vel hypochondriacum eminentiorem doses moderatae castorei, vel moschi phaenomena molesta mitigant.

DEBILITATES.

VERTIGO.

§. 164.

Vertigo vocatur etiam *Dinos*, a Swediauer *Ilingus;* est ille status peculiaris angens, sub quo homo in quiete constitutus putat corpus suum in gyrum rotari, aut sursum deorsumque moveri, vel putat, se in motu constituto objecta extra se posita quiescentia in gyrum rotari, aut sursum deorsumque moveri, conscientiam tamen sui retinet ita, ut sciat motum hunc esse illusorium; saepe objecta distinguit coloribus suis propriis, tunc vocatur vertigo simplex, saepe objecta sunt omnia virescentia vel coerulescentia; subinde nullum colorem distinguit vel plane nihil videt; vocatur vertigo tenebricosa, scotomia; saepe simul adest titubatio et metus cadendi, imo corruit aeger, et tunc dicitur vertigo caduca, quae differentiae haud essentiales tantum gradum indicant diversum morbi.

Plouquet, Diss. de vertigine. Tübingae. 1783.

M. Herz, Versuch über den Schwindel. Berlin. 1788, 1791.

J. Purkinje, Beiträge zur nähern Kenntniss des Schwindels, (Medic. Jahrbücher des K. K. Öster. Staates, Bd. VI. St. 2, S. 97)

§. 165.

Ut morbum individualem recte cognoscamus, attentionem nostram dirigere debemus ad symptomata omnia in organismo sese manifestantia. Saepe praecedunt symptomata aliqua, ut capitis dolor, aurium tinnitus, susurrus, obfuscatio visus, subinde sensatio scintillarum vel muscarum volitantium, subinde somnolentia major, constrictio colli, subinde nausea, ructus, borborygmi, evacuatio urinae aquosa, frigus pedum etc. e quibus aeger juste attentus vertiginem habitualem instantem agnoscere potest. Saepe tamen nulla observantur prodroma, sed in homine apparenter sano comparet subito vertigo, sentit capitis gravitatem, visus obfuscationem et debilitatem ita, ut titubet, metuat ne cadat, propterea anxie quaerat objectum se sustentandi, subinde exclamet, inter haec affligatur idea motus rotatorii, vel motus sursum deorsumque versus aut corporis proprii, aut corporum extra se positorum; non raro tunc initio facies rubet, mox pallet, sudor frigidus comparet cum pulsu frequentiori, subinde cum nausea, vomituritione et vomitu. Phaenomena haec comparent non tantum dum homo extra lectum in situ erecto constituitur, sed etiam dum jacet, imo subinde et palpebris clausis. Morbus in majori gradu evolutus per observatorem minus attentum confundi potest cum apoplexia vel epilepsia, sed in apoplexia adest respiratio stertorosa, exercitium sensuum externorum, et internorum, et motuum voluntariorum silet ex integro, in vertigine autem adest conscientia sui, et quod motus sit illusorius facultate movendi haud sublata; in epilepsia conscientia sui omnis suppressa est, motibus simul convulsivis praesentibus.

§. 166.

Ex symptomatibus quidem vertiginem praesentem facile cognoscimus, sed ad naturam illius individualem determinandam necessaria est etiam investigatio causarum. In hominibus nonnullis dispositio major observatur in vertigi-

nem, et quidem senes frequentius quam juvenes, mulieres plures quam viri, homines vitam sedentarium ducentes, literati, excessus in spirituosis committentes, hysteriasi, hypochondriasi subjecti facilius hoc morbo corripiuntur. Causae variae in praedispositis morbum provocant, subinde solus motus corporis, ita aegri debiles, reconvalescentes, dum se erigunt, dum surgunt, mox corruunt, subinde vel capitis inclinatio longiori tempore protracta, motus corporis rotatorius, motus celer in curru, inprimis dum dorsum equis obversum est, motus celerior navis, inprimis in mari dum undae majores fluctus exsurgunt, conversio oculorum ex altitudine majori in profundum, incessus per pontem vel viam angustam, licet munitam, imo et ipsa repraesentatio periculi cadendi in non paucis vertiginem excitat. Vertigines tamen tales sunt transitoriae et objectum therapiae haud constituunt, sed dantur etiam vertigines diuturnae, quae frequentissime revertuntur, hominem multum affligunt, ad functiones perficiendas minus idoneum reddunt, et ideo therapiam rationalem requirunt. Tales non raro excitantur per congestionem majorem sanguinis in encephalon, suntque saepe tantum prodroma alterius morbi, ut epistaxis, apoplexiae; saepe sunt symptomata constitutiva alterius morbi, ut febris, inprimis cum charactere nervoso vel septico instructae, typhi contagiosi Europaei, pestis orientalis, encephalitidis, hydrocephali, scorbuti, syphilidis, plicae Polonicae; saepe vertigo constituit morbum protopathicum, qualis excitatur per violentiam capiti illatam, per calorem externum nimium, per refrigerium, motum corporis violentum, animi affectum, inprimis iram, per venena narcotica, potus spirituosos, subinde per evacuationes habituales, ut sudoris, alvi, urinae, inprimis autem cruentas, suppressas, per morbos cutis vel alios, ut rheumatismum, arthritidem, evanidos; subinde excitatur sympathice per saburram diversam in tubo alimentari haerentem, per graviditatem; saepe excitatur per causas debilitantes, per motus corporis excessivos, studia intensa diu protracta, per evacuationes nimias, per venae-sectiones lar-

gas, vel haemorrhagias alias, per diarrhoeam, vomitum, sudorem nimium, lactis et succi genitalis profusionem, subinde post paracenthesim, ob evacuationem liquidi majori quantitate factam, post partum celerem, post jejunia, quae momenta pathogenetica in singulo casu individuali exquirimus, ut prognosim probabilem pronunciare valeamus.

§. 167.

In omni aegro vertigine chronica affecto attentio necessaria est, ne in periculum incidat, dum forte inopinate morbo corripitur, ideo talis nunquam solus relinquendus est, nunquam concedendum, ut loca alta, scalas solus conscendat, nec equo insideat. Vertigine autem praesente aegrum in aërem purum, liberum deportamus, vestimenta corpus constringentia solvimus, naribus admovemus acetum, non facile commendamus odoramenta fortiora, cum vertigo saepe a congestione sanguinis majori in encephalon dependet; si talem ex symptomatibus et ex indole causarum nocentium cognoverimus adesse, tunc ad evitandos morbos graviores, apoplexiam vel encephalitidem, congestionem imminuere adnitimur; ideo aegrum collocamus in situm quasi sedentem, sanguinis evacuationem instituimus subinde per venae-sectionem, saepe tantum per hirudinum applicationem, et quidem dum vertigo inducta est per suppressionem fluxus catamenialis vel haemorrhoidalis, hirudines imponimus regioni sacro-coccygeae, vel superficiei internae femorum, secus retro aures. Congestione sanguinis in minori gradu existente, saepe tollitur vertigo per fomenta frigida capiti imposita; ita vertigo per actionem caloris nimii vel per excessivum usum spirituosorum exorta saepe sanatur perfusione cum aqua frigida. Vertigo chronica, per plures annos aegrum affligens, nonnisi cura longiori tempore removeri potest, evitando causas omnes congestionem sanguinis in encephalum producere valentes, observando diu vitae regimen anti-phlogisticum, sanguinis evacuationes saepius instituendo, simul frequenter adhibendo pediluvia tepida, et eodem tempore caput fomentando aqua

frigida, saepe exhibendo purgantia mitiora, ut carbonatem magnesiae, cremorem tartari, arcanum duplicatum, salem amarum, salem mirabilem Glauberi, aquam Seidschützensem, Sedliczensem, Pilnaensem.

Nec tamen vertigo omnis methodo laudatae cedit, nam saepe ea est tantum symptoma alterius status morbosi, contra quem cura dirigi debet; non raro saburra in tubo alimentari haerens excitat et sustentat vertiginem, evacuatio ejusdem necessaria est; emeticum raro et summa cum cautela exhibemus, ne congestionem in encephalon augeamus, saepius purgantia indicata sunt, mitioribus haud sufficientibus subinde fortiora, sennam, rheum, jalappam, calomelam commendamus; dum vertigo inducitur per evacuationes habituales suppressas, per morbos cutis evanidos, tunc revocatio eorum, irritatio cutis per balnea et epispastica votis respondent; contra vertiginem ab arthritide commendatur inprimis guajacum, contra vertiginem a syphilide mercurius, contra vertiginem a scorbuto acida mineralia.

Dum vertigo habitualis inducitur et sustentatur per solam debilitatem, in tenerioribus, hystericis et hypochondriacis, tunc requiritur methodus stimulans, roborans, iusculum animale, aromate grato conditum, jusculum vinosum, vel infusum blande aromaticum e floribus chamomillae, tiliae, vel aurantiorum, vel lavendulae, vel ex herba melissae, menthae crispae, piperitae, e foliis aurantiorum. Subinde stimuli magis volatiles necessarii sunt, ut liquores aetherei, spiritus cornu corvi, tinctura castorei. Superato insultu, ad reversionem ejus impediendam vitae regimen roborans longiori tempore continuandum est, saepe etiam pharmaca in auxilium vocanda, ut amara stomachica, martialia, subinde cortex cinchonae, saepe docentibus observationibus a Herz adlatis virtutem maxime salutarem exerit radix valerianae sylvestris. Contra talem vertiginem asthenicam virtutem salutarem exerunt etiam lotiones corporis vinosae, vel spirituosae et balnea roborantia.

SOPOR.

§. 168.

Sopor vocatur etiam propensio ad somnum morbosa, cataphora, ille status morbosus, sub quo aeger tempore diverso inconsueto somno obruitur, jam brevi-ori jam longiori tempore, ut saepe difficulter excitari et ad sui conscientiam revocari possit. Ut varietates ejus distinguuntur: coma vigil seu coma agrypnodes, dum aeger propensione summa ad somnum instructus, oculis clausis jacet instar dormientis, licet dormire haud potest, et facile excitatur, sed iterum in statum semi-soporosum conjicitur; cum talis status cum delirio nexus est, vocatur typhomania. Coma somnolentum dicitur sopor altus, ex quo aeger tantum difficulter excitatur, quin conscientiam plenam recuperet, mox iterum in soporem labitur. Carus vocatur, dum somnus ita profundus est, ut aeger nequidem clamore fortiori excitari possit, respirationem habens simul stertorosam. Lethargus vocatur somnolentia constans cum debilitate magna, delirio tacito, oblivione magna et febre. Subinde tales lethargi per longius tempus excurrunt; Bischoff refert casum morbi per octodecim menses durantis, Müller historiam morbi per quatuor annos, tres menses et sedecim dies durantis. Attentio semper magna necessaria est, ne in diagnosi error committatur, cum morbus non raro simulatur.

J. G. Brendel, Diss. de affectibus soporosis. Göttingae. 1747. — Diss. de lethargo. Göttingae. 1752.

J. R. Bischoff, Darstellung der Heilungsmethode in der medicinischen Klinik an der k. k. mediz. chir. Josephs-Academie in den Jahren 1826 und 1827. Wien, 1829. S. 204.

F. Müller, Hufelands Journal der prakt. Heilkunde. 1829. Febr. S. 3.

§. 169.

Status soporosi inducuntur saepe per causas cerebrum comprimentes, ut plethoram, congestionem sanguinis to-

picam, calorem excessivum, ictum solis, balneum calidum, frigus nimium, per effusionem sanguinis, seri vel puris in cranium, per hydrocephalum internum, suppressionem haemorrhagiarum, aliarum evacuationum, vel aliorum morborum, per commotionem cerebri violentam, per impressiones, tumores, excrescentias in superficie interna ossium cranii, per tumores, indurationes meningum, per spirituosa, vinum, crematum et narcotica, nicotianam, belladonnam, opium, etc. vel causae excitantes sunt debilitantes, ut evacuationes nimiae, sanguis valde tenuis, aquosus in hydropicis et chloroticis, subtractio stimulorum ad vitam necessariorum, vigiliae diu protractae, adstrictio nimia corporis et mentis, paroxysmi febris intermittentis vehementes, insultus epileptici violenti.

§. 170.

Pro diversitate momentorum enumeratorum diversum nanciscitur morbus exitum, et diversam requirit therapiam, quae determinatur per indolem causarum excitantium. Ita plethoram et congestionem sanguinis majorem in encephalum imminuimus per sanguinis evacuationes universales et topicas; per fomenta frigida, subinde perfusione cum aqua frigida, per pediluvia et clysmata derivantia, subinde per cutis irritamenta ope frictionis, sinapismi, vesicantis, ustionis, urticationis. Liquida in cavum cranii effusa evacuamus per trepanationem. Contra debilitatem adhibemus stimulantia, jam mitiora jam fortiora, interna et externa. Quantitatem humorum imminutam augemus, crasimque eorum corrigimus per conditionem organorum digestionis emendatam et per victum congruum.

APOPLEXIA.

§. 171.

Apoplexia vocatur etiam sideratio, percussio, morbus attonitus, paralysis capitalis, estque

lle morbus peculiaris, in quo functio sensorii communis, cerebri, ita suppressa est, ut exercitium vitae animalis, nempe sensuum externorum et internorum, et motuum voluntariorum suspensum sit, functionibus vitae organicae, inprimis circulatione et respiratione superstitibus, sed etiam morbose alteratis.

J. J. Wepfer, Historiae apoplecticorum, observationibus et scholiis anatomico-medicis illustratae. Amstelodami, 1681. Venetiis. 1762.

F. N. Marquet, Traité d'apopléxie, paralysie et autres affections soporeuses. Paris. 1770.

G. Ponsard, Traité de l'apopléxie et de ses différentes espèces. Paris. 1782.

B. Chandler, Inquiry into the various theories and methods of cure in apoplexies and palsies. London. 1785.

— Untersuchung über die verschiedenen Theorien und Heilmethoden der Schlagflüsse und Lähmungen. Stendal u. Leipzig. 1787.

K. Bellani, de apoplexia tractatus medico-practicus. Romae. 1790.

T. Kirkland, a commentary on apoplectic and paralytical affections. London. 1792.

— Commentar über den Schlagfluss und die Lähmung. Leipzig. 1794.

K. C. Bethke, Über Schlagflüsse und Lähmungen, oder Geschichte der Apoplexie, Paraplegie und Hemiplegie, aus ältern und neuern Wahrnehmungen. Leipzig. 1797.

J. L. Ottensee, von der Erkenntniss und Heilung des Schlagflusses und der Lähmung. Berlin. 1805.

K. F. Burdach, die Lehre vom Schlagflusse, seiner Natur, Erkenntniss und Heilart, nach neuen Ansichten bearbeitet. Leipzig. 1806.

F. E. Fodéré, de apoplexia disquisitio. Avenioni. 1808.

A. Portal, Mémoire sur la nature et le traitement de l'apoplexie, et sur les moyens de la prévenir. Paris. 1811.

P. Richelmi, Essai sur l' apoplexie. Marseille. 1811.

F. A. Montain, Traité de l'apoplexie. Paris. 1811.

— Versuch einer Abhandlung über die Apoplexie. Berlin. 1821.

J. Cheyne, Cases of apoplexy, with observations upon the comatose diseases. London. 1812.

Riobé, L'apopléxie. Paris. 1813.

J. A. Rochoux, Recherches sur l'apoplexie. Paris. 1814. 1833.

C. G. Hopf, Versuch eines Umrisses der Hauptgattungen des Schlagflusses und ihrer Behandlung. Stuttgart. 1817.

E. Moulin, Traité de l'apoplexie ou hémorrhagie cérébrale. Paris. 1819.

J. Cooke, a treatise on nervous diseases, Vol. I., on apoplexy. London. 1820.

§ 172.

Ut apoplexiam cognoscere et a morbis analogis distinguere valeamus, oportet attentionem dirigere ad symptomata omnia, quae in diversis aegris partim praecedunt, partim comitantur, partim sequuntur insultum apoplecticum. Saepe conqueritur aeger apparenter sanus jam breviori vel longiori tempore de dolore capitis premente, subinde ad partem minorem, subinde per caput universum extenso, et per vices recurrente, de ardore capitis; saepe corripitur vertigine, facies evadit turgida, rubore insolito tincta, saepe persentit oculorum dolores, scintillas, muscas volitantes ante oculos, non raro visus est debilior, subinde duplicatus, auditus difficilis, saepe tinnitus, susurrus, strepitus in auribus, gustus et olfactus evadunt obtusiores; non raro observatur gravitas major palpebrarum, subinde convulsiones leves in palpebris, genis et labiis oris, saepe difficultas in motu linguae ita, ut aeger balbutiat, non raro deglutitio impedita est, licet nulla signa inflammationis, aut obstaculi mechanici in organis deglutitionis detegi possint; non raro adest dyspnoea cum aliquo dolore, tussis sicca, subinde singultus, cordis dolor et palpitatio, in cavo abdominis gastralgia, enteralgia, nausea, vomituritio, vomitus; saepe alvi et urinae evacuatio est difficilis, subinde observatur evacuatio urinae aegro inscio; saepe accusat aeger sensum formicationis, stuporis in extremitatibus lassitudinem magnam post motum, saepe dolores in nucha, et in multis casibus humerus unus prae alio magis elevatus est ita, ut spina dorsi magis versus unum latus torqueatur, et

in incessu curvatura ejus aliqua conspiciatur; in plurimis adest propensio major ad somnum ita, ut facile obdormiant, somnum tamen habeant inquietum; multi experiantur difficultatem in exercitio functionum intellectualium, inprimis labefactationem memoriae, aliqui evadunt jucundiores, plurimi tamen tristiores. Symptomata enumerata non excipit semper insultus apoplecticus, subinde comparet morbus alter, ut febris intensior; non raro causis excitantibus remotis etiam symptomata morbum gravem futurum annunciantia dissipantur; saepe sine ullis prodromis in homine apparenter sano subito comparet apoplexia, cujus intensitatis tres gradus distingui possunt.

In omni insultu apoplectico persentit aeger subito compressionem capitis et cerebri ipsius, conscientia sui imminuitur, sensus externi omnes, inprimis visus et auditus obfuscantur, potentia corpus movendi decrescit, motus linguae molestus evadit; dum aeger vitalitatem suam ita limitatam observat, terrefit, exclamat, saepe clamare non valet, corpus movere intendit, cum difficultate aliquot gressus facit, subinde considens una cum sella motu automatico se rotat, mox conscientiam amittit, et nisi ab aliis sustentatur, concidit. Saepe tamen haec conscientiae amissio durat tantum per pauca minuta, per quadrantem horae, mox iterum revertitur, aeger oculos aperit, visum tamen habet obscurum, ut homines vix distinguat, auditus est difficilis, voces profert paucas cum adstrictione magna, corpus movet cum magna difficultate, et haec debilitas sensuum in- et externorum, musculorum voluntariorum et organorum vocis remanet per plures horas, imo dies, sed dein disparet ita, ut a morbo tolerato nullum symptoma remaneat, vocatur apoplexia imperfecta, incompleta, parapoplexia.

Dum morbus in gradu majori evolvitur, aeger conscientiam sui omnem amittit, instar trunci concidit, sensuum omnium internorum et externorum exercitium est suspensum; aeger nihil audit, nihil videt, nullum olfactum, nullum saporem, nullum tactum habet ita, ut pungi, scindi,

uri possit, quin aliquid sentiat, motus voluntarii nulli sint, quaecunque pars corporis elevetur, proprio pondere decidat, functiones tamen vitae organicae, in specie circulatio sanguinis et respiratio continuent, et per hoc differt apoplexia ab asphyxia. Sed etiam functiones vitae organicae deflectunt a statu normali, et quidem duplici modo, quae differentia in singulo casu individuali scrupulose adnotari debet. Saepe in apoplectico calor corporis est exaltatus, color cutis, inprimis facici intense ruber, subinde in livescentem vergens, facies est turgida, tumidiuscula, bulborum ex orbitis quasi protrusorum conjunctiva est rubicunda, labia oris livida, lingua tumidior, praerubra, saepe livescens; intra labia oris conspicitur spuma sanguine aliquantum tincta; pulsus arteriarum est in genere tardus, sed fortis, plenus et durus, inprimis conspicitur vibratio major carotidum et arteriarum temporalium; respiratio est difficilis et stertorosa. Nec tamen habitus nunc descriptus in omni casu observatur, non raro cutis universa est pallida, facies jam collapsa, jam oëdematosa, et labia oris et lingua pallent, ut post haemorrhagias magnas, pulsus arteriarum est parvus, tardus, mollis, debilis, inaequalis, non raro intermittens, extremitates frigidae, respiratio difficilis, strepitosa, stertorosa; non raro sub tali insultu adest involuntaria evacuatio alvi et urinae. Insultus talis gravior vocatur apoplexia perfecta, completa, duratque per horam, per plures horas, subinde etiam per plures dies; successive tantum revertitur conscientia sui, sed longo tempore valde imperfecta ita, ut aegri per plures septimanas, imo per plures menses objecta haud distinguant, sensus externos diu obfuscatos habeant, loquela diu imperfecta maneat, motus voluntarius longo tempore impeditus sit ita, ut paralysis jam paucarum, jam plurium partium longo tempore perduret.

Maximus gradus morbi vocatur apoplexia fulminans, in qua aeger conscientia sui amissa, exercitio sensuum internorum et externorum et motuum voluntariorum ita privatur, ut ea amplius nulla arte revocari possint, circulatio tamen et respiratio continuent per paucas vel plu-

res horas, semper tamen insultus talis morte terminatur, atque diagnosis talis apoplexiae fulminantis est facilis; sed diagnosis apoplexiae in gradu minore subinde est dubia, dantur enim morbi aliqui, ut catalepsis, tetanus, epilepsia sub stadio ejus soporoso, carus a potibus spirituosis inductus, in quibus etiam exercitium functionum vitae animalis impeditum est; sed in catalepsi respiratio in genere est pacata, et flexibilitas partium corporis singularis cerea; in tetano rigiditas observatur tanta, ut corpus potius frangi, quam flecti possit; epilepsiae stadium soporosum praecedunt semper convulsiones, et post soporem nulla remanet paralysis; a caro per potum excessivum spirituosorum inducto distinguitur morbus, quod in ebriis respiratio sit saepe pacatior, nisi homo consuetudinem habeat rhonchos trahendi, per agitationem et clamorem majorem excitatur, murmurat, mox iterum obdormit, in extremitatibus elevatis observatur aliqua mobilitas, halitus oris redolet potum spirituosum, et vigilia post plures horas subsecuta dubium omne dissipat.

§. 173.

E symptomatibus omnibus attenta mente collectis et inter se combinatis praesentem apoplexiam summa cum probabilitate cognoscimus, naturam tamen ejus definire non valebimus, nisi etiam causas eruerimus. Requiritur ad apoplexiam dispositio peculiaris, quae saepe congenita, haereditate acquisita, se manifestat per habitum corporis apoplecticum, staturam in genere minorem, sed corpus magis obesum, collum crassum et breve ita, ut videatur subinde caput trunco appositum esse, subinde numerus vertebrarum colli est minor, per J. P. Frank repertae sunt sex, in uno aegro tantum quinque. Caput in genere est majus, facies turgida, rubra, vasa minima faciei sanguine ita replentur, ac si minio injecta essent. Nec tamen omnis habitum corporis descriptum exhibens in apoplexiam incidit, non raro causis evitatis aetatem seram attingit, dum alter macilentus potentiis nocentibus violentis expositus apoplexiae succumbit. Observatur morbus in sexu utroque, frequentior

tamen in viris; Falret sollicite collegit numerum apoplecticorum Parisiis ab anno 1794 usque 1823, ex 2297 erant viri 1670, mulieres 627. Relate ad aetatem observatur quidem morbus etiam in infantibus neonatis et in senibus decrepitis, frequentissime tamen invadit aetatem virilem provectam et senilem incipientem, frequentissime evolvitur intra annos aetatis 55 usque 65, raro occurrit morbus ante 35 annum aetatis. Ad dispositionem producendam confert etiam atmosphaerae constitutio, ideo in nonnullis locis et certis temporibus major est numerus apoplecticorum; in genere frequentior observatur hyeme quam vere et aestate.

Dispositione praesente provocatur morbus per diversas causas excitantes, subinde per violentias mechanicas cranio illatas, apoplexia traumatica, qualis subinde in neonatis per partum difficilem, per applicationem rudiorem forcipis, vectis occurrit. Subinde excitatur per actionem caloris externi intensioris, per radios solis urentes in messoribus, in vinearum cultoribus, in militibus, per sic dictum ictum solis; frequentius adhuc causam excitantem morbi constituit actio frigoris intensi, in ipsis congelatis detegimus signa apoplexiae praegressae. Non raro excitatur morbus per alimenta nimia quantitate ingesta, eo facilius, si fuerint stimulantia, frequentius per potulenta spirituosa excessive hausta, subinde per pharmaca stimulantia, frequentius per narcotica, inprimis per opium. Excitatur subinde per vestimenta partem aliquam corporis, inprimis collum, abdomen, pectus arcte constringentia, per motus corporis vehementes, per saltum, luctam, ponderum gravium elevationem, vomitum vehementem, tussim violentam, nixum sub partu, subinde per vociferationem, ita subinde oratores durante sermone apoplectici corruerunt, quod non a sola vocis intensione, sed ab animi affectu dependet, per talem enim apoplexia non raro excitata est, subinde per gaudium excessivum, frequentius per iram vehementem. Subinde provocatur morbus per evacuationes habituales, inprimis cruentas suppressas, rarius

per suppressionem sudoris habitualis vel urinae; subinde per evacuationes nimias sanguinis, vel liquidorum secretorum, inprimis autem succi genitalis, exempla plura adnotata sunt virorum post coitum illico exstinctorum. Non raro apoplexia est symptomatica, ut febris intermittentis, quae tunc vocatur apoplectica, subinde encephalitidis, hydrocephali, parotitidis, isthmitidis, tracheitidis, inflammationis viscerum cavi pectoris, per quas impeditur circulatio cerebralis, subinde variolarum, scarlatinae vel morbillorum. Subinde est apoplexia antagonistica, dum post rheumatismum vel arthritidem vel morbos cutis evanidos evolvitur; subinde neuroses aliae, ut tusses convulsivae, epilepsiae, maniae in apoplexiam terminantur.

C. Blagden, Diss. de causis apoplexiae, Edinburgi. 1768.

§. 174.

Ut naturam apoplexiae per influxum diversarum potentiarum nocentium inductae cognoscere valeamus, debemus etiam mutationes illas sollicite colligere, quae deteguntur in cadaveribus. Subinde ossa cranii fracta, depressa, attenuata, carie exesa, vel tumoribus obsita sunt; subinde dura mater ossibus cranii fortius adhaerens incrassata, dilacerata, inflammata conspicitur; subinde substantia cerebri, ut Rostan demonstravit, morbose emollita, rarius durior deprehenditur; saepe in vasis cerebri tam arteriosis, quam venosis, in sinubus sanguis est copiose accumulatus, niger, non raro inspissatus, polyposus; saepe detecta sunt extravasata in cavo cranii, frequentissime sanguis jam liquidus, jam coagulatus, jam intra meninges, jam in basi cranii, jam in ventriculis cerebri, subinde in substantia cerebri, cystide inclusus; subinde serum, subinde pus effusum fuit. In casibus nonnullis in cavo cranii nulla mutatio abnormis detegi poterat, sed similes mutationes observatae sunt in specu vertebrarum; subinde animadvertentibus inprimis Kreysig et Laënnec, vitia organica detegebantur potius in cavo pectoris, ut dilatatio morbosa cordis, aneurysma aortae, ossificationes in valvulis cordis,

in arteriis coronariis, in trunco aortae, tubercula, vomicae in pulmonibus, subinde extravasatum in pericardio, in sacco pleurae. Saepe reperti sunt status morbosi in cavo abdominis, quod adnotavit Walther, ut inflammatio peritonaei, secretio morbosa seri vel puris, morbi diversi viscerum abdominalium, saburra, vermes in tubo intestinali.

J. Wepfer, Observationes anatomicae ex cadaveribus eorum, quos sustulit apoplexia. Amstelodami. 1681.

P. G. Schröder, Analecta de apoplexiae ex praecordiorum vitiis origine. Göttingae. 1767.

Walther, de morbis peritonaei et apoplexiae. Berolini. 1785.

Romberg, über den Schlagfluss, in pathologisch-anatomischer Hinsicht, aus den neuern Untersuchungen der Herrn Cheyne, Rochoux, Riobé und Bricheteau. (Horn's Archiv für Mediz. Erfahrung. 1819, 1820).

J. Cruvelhier, Anatomie pathologique du corps humain, avec figures. Art. Apoplexie. Paris. 1829.

§. 175.

Pro diversitate momentorum huc usque enumeratorum distinguuntur plures species apoplexiae. Frequentissima est apoplexia sanguinea, quae inducitur per sanguinem majori quantitate in encephalo accumulatum ita, ut vasa cerebri sint valde extensa, imo saepe rupta. Talis status inducitur in iis, qui habitu apoplectico praediti post actionem caloris vel frigoris intensioris, post usum excessivum spirituosorum vel narcoticorum, post motum vehementem animi vel corporis, symptomata apoplexiae experiuntur, atque in cadavere sanguis extravasatus jam minori, jam majori quantitate reperitur, propterea vocatur haemorrhagia cerebralis. Subinde in vicem sanguinis reperitur in cavo cranii serum, in hominibus habitu oëdematoso, pastaceo praeditis, in hydropicis, et tunc vocatur apoplexia serosa vel mucosa. Subinde nec serum, nec sanguis reperitur, et tunc vocatur apoplexia nervosa seu spasmodica in sensu strictiori; nam in sensu latiori apoplexia omnis est nervosa, quia

in omni functio nervosi systematis relate ad exercitium vitae animalis suppressa est, sed suppressio haec inducitur per diversas causas.

Status morbosus exercitium vitae animalis impediens, frequentissime reperitur in cavo cranii, propterea refertur apoplexia ab omnibus auctoribus ad morbos cranii, sed et hic differentia momentosa est per Serres adnotata; saepe status morbosus limitatus est tantum ad meninges cerebri, apoplexia meningea, in qua cum symptomatibus apoplexiae reliquis paralysis exoritur tantum in gradu minori, et post insultum apoplecticum cito disparet; dum autem status morbosus in ipso cerebro vel cerebello residet, apoplexia cerebralis vel cerebellaris, paralysis est in gradu majori, et quidem frequentissime in parte opposita illi, in qua extravasatum haeret. Apoplexia per statum morbosum cavi cranii inducta, est frequentissima et dicitur idiopathica. Subinde status morbosus, exercitium vitae animalis impediens, non detegitur in cavo cranii, sed vel in specu vertebrarum, apoplexia spinalis, vel in cavo abdominis, vel in cavo pectoris, quia ad exercitium vitae animalis requiritur etiam status normalis viscerum cavo abdominis et pectoris inclusorum, ideo causae cunctae respirationem impedientes, ut strangulatio, submersio, inspiratio aëris mephitici, fumi carbonum, vaporis musti fermentantis inducunt apoplexiam.

Praeter differentias enumeratas dirigimus attentionem nostram in conditionem energiae vitalis totius organismi, inprimis autem cordis et arteriarum. Saepe energia vitalis cordis et arteriarum est morbose exaltata, et tunc partim ob dispositionem peculiarem, partim quod circulatio in alia parte corporis impedita est, producitur congestio sanguinis major in encephalon, et inde apoplexia energica seu sthenica, quem characterem dynamicum subinde morbus etiam longiori tempore retinet. Per morbum tamen increscentem vires exhauriuntur, et tunc evadit apoplexia asthenica, quem characterem dynamicum subinde sta-

tim ab exordio habet in aegris exhaustis, cachecticis, per evacuationes nimias in hunc morbum conjectis.

F. Zuliani, de apoplexia, praesertim nervosa commentarius. Brixae. 1789. Lipsiae. 1790.

C. G. T. Kortum, Diss. de apoplexia nervosa. Göttingae. 1785.

Hasler, über die verschiedenen Arten und Ursachen des Schlagflusses. München. 1791.

A. Serres, Nouvelle division des apoplexies, (Annuaire médico-chirurgical des hopitaux civils de Paris. Paris. 1819.

§. 176.

Momentis cunctis ad diagnosim apoplexiae individualis spectantibus sollicite collectis, possumus etiam prognosim probabilem pronunciare. In genere pertinet apoplexia inter morbos periculosissimos, fulminans aegrum enecat intra pauca minuta, intra paucas horas; sed etiam non illico letalis periculo plena est, licet symptomata gravia remittant, et conscientia sui revertatur cum usu sensuum externorum et motuum voluntariorum, metus tamen semper justus est insultus iterum revertentis, et quo frequentius id contingit, eo periculosior redditur status aegri. Si dispositione congenita praesente morbus provocatus fuit per causas violentas, si sub insultu spuma cruenta intra labia oris observata est, si conscientiae amissio diutius durat, status paralyticus in pluribus partibus evolutus est, si aeger inscius alvum urinamque evacuat, tunc semper in periculo magno vita versatur. Nec tamen apoplexia omnis morte terminatur, mitior breviori tempore durans non raro intra paucas horas ita disparet, ut nulla symptomata morbi tolerati remaneant, tunc summa cum probabilitate apoplexia fuit tantum meningea a congestione inducta. In apoplexia perfecta, dum vita conservatur, ea longo tempore imperfecta manet, exercitium enim functionum intellectualium, memoriae, judicii, ratiocinii labefactationes longo tempore durant, licet functiones vitae organicae vigorem suum retineant, aeger appetitu bono gaudeat, pinguescat

ita, ut per reproductionem exaltatam causa nova generetur apoplexiae. Subinde post insultum apoplecticum nulla plane debilitas observatur in exercitio functionum intellectualium, sed in motu musculari et in functionibus vitae organicae contingit perturbatio major, atque tunc sedes apoplexiae inprimis in medulla spinali detegitur. In casibus tamen longe pluribus observatur status imperfectus plurimarum functionum organismi, ita sensus externi evadunt abnormes, visus debilior, obfuscatus, non raro amaurosis, auditus obtusus, olfactus et gustus imminutio, subinde talis hebetatio, ut aeger nullum odorem, nullum saporem distinguat; tactus jam tantum in una, jam in utraque manu, jam tantum in una parte cutis, jam in universa est imminutus, obtusus; saepe etiam sensus coenaesthesis obtunditur, aeger nec famem, nec sitim sentit, cibum et potum ori ingerit sine omni gustu, nec percipit necessitatem alvum urinamque evacuandi; in plurimis post apoplexiam impeditum est exercitium motus muscularis ita, ut paralysis adsit in parte corporis jam majori, jam minori, nec tantum in musculis voluntariis, sed participant e statu torpido etiam musculi involuntarii pharyngis, ventriculi, tubi intestinalis, ideo digestio evadit tarda, flatus evolvuntur copiosi, inde gastralgiae et enteralgiae aegrum affligunt; saepe musculi intestini recti et vesicae urinariae redduntur semi-paralytici, ideo excretio alvi et urinae est saepe impedita, morbo increscente saepe involuntaria, inscia. Status hi imperfecti, per affectionem systematis nervosi inducti, subinde per autocratiam naturae solam feliciter dissipantur, evacuationibus utplurimum criticis comparentibus per sudorem, urinam, alvum, vomitum, salivam, haemorrhagiam, furunculos in cuti. Dum vero energia vitae languida, prostrata est, morbi sibi relicti vel male curati symptomata magis increscunt, et tunc post apoplexiam evolvuntur morbi alii: tabes, febris hectica, hydrops, vesania, frequentissime supervenit nova apoplexia, finem vitae imponens; subinde comparent symptomata febris nervosae cum erethismo, cito transeuntis in

statum torpidum. Exitus hi funesti saepe averti possunt per therapiam rationalem.

§. 177.

In apoplexia exquisita, completa, fulminante contingit semper extravasatum, frequentissime cruentum, rarius serosum, quantitate magna, supprimiturque functio cerebri omnis ita, ut therapia omnis effectu destituatur. In hoc casu cura prophylactica est summi momenti, ut nempe insultus apoplecticus praecaveatur, quod saepe obtineri potest. Commendata fuerunt in hunc scopum varia remedia, stimulantia, aetherea, spirituosa, praeparata antimonii etc. quae tantum in casibus paucissimis utilia, in pluribus noxia fuerunt. Minus noxium est remedium a recentioribus nonnullis commendatum, nempe magnes artificialis collo suspensus, dummodo non negliguntur alia remedia prophylactica rationalia, quae diversa sunt pro diversitate momentorum, insultum apoplecticum excitantium. Si violentiae externae praegressae fuerunt, fracturam, extravasatum vel depressionem ossium cranii inducentes, tunc trepanatio aut ossis depressi elevatio necessaria est; si profluvia habitualia suppressa, vel potius nimia, vel morbi viscerum cavo pectoris aut abdominis inclusorum prodroma apoplexiae induxerunt, tunc indicationem desumimus a natura morbi protopathici. Non raro adsunt signa saburrae, ideo commendantur scopo prophylactico emetica. Verum quidem est, per saburram excitari cephalaeam, sensuum obnubilationem et alia symptomata, similia prodromis apoplexiae, quae emesi provocata dissipantur; sed error in diagnosi valde facile committitur, nam ipsa affectio morbosa encephali, influxu diversarum causarum excitata, saepe per consensum secretionem bilis reddit morbosam, et provocat symptomata gastrica, atque tunc facile per emeticum congestio in encephalon augetur, et apoplexia, studio eam praecavendi, citius evolvitur; ideo Quarin, J. P. Frank et recentiores observatores Angli et Galli usum emeticorum in ipsis prodromis apoplexiae dissuadent. Emesi sponte sub-

secuta, exhibemus tantum infusum tenue florum chamomillae vulgaris; si post congestionem in encephalon, usu therapiae adaequatae sublatam, adhuc perdurant signa saburrae sursum versus turgescentis, tunc emeticum proficuum est; in plurimis tamen casibus saburra praesens magis congrue evacuatur usu purgantium. Si apoplexia constituit symptoma febris intermittentis, tunc cortex cinchonae pharmacum maxime indicatum est.

In casibus longe plurimis prodroma apoplexiae producuntur per congestionem sanguinis majorem in encephalon, ad quam imminuendam aeger vitare debet calorem externum excessivum, et solis et furni; vitet etiam frigus intensum, inprimis dum corpus incaluit, maxime convenit aër moderate calidus; abjiciat vestimenta partem unam corporis constringentia, ut collipendia, thoracula; utatur victu tantum tenui et blando, potibus spirituosis et calefacientibus renunciet, sola aqua et lacte utatur, nec multum et diu dormiat, etiamsi propensionem majorem in somnum expertus fuerit, se excitari curet, et vigilans motus corporis moderatos suscipiat, facultates etiam intellectuales moderate exerceat, motum excessivum corporis omnem, adstrictionem mentis majorem, animi affectus, inprimis iram dissuademus, ut omnia adhibeantur ad animum hilarem et tranquillum conservandum, aegrum admonemus. Quotiescunque capitis dolor premens, vertigo, turgor et rubor faciei, susurrus aurium, obfuscatio visus, vibratio major carotidum indicant congestionem sanguinis majorem in encephalon, quae ad vitae regimen anti-phlogisticum solum non remittit, tunc commendamus sanguinis evacuationem jam universalem, jam tantum topicam, qua sola haud sufficiente, saepe necessaria sunt purgantia mitiora anti-phlogistica, ut cremor tartari, arcanum duplicatum, sal amarus, sal mirabilis Glauberi, aqua Seidschützensis, Sedliczensis, Pilnaensis. Saepe utilia sunt pediluvia tepida cum cineribus, sale communi vel farina seminum sinapis; tempus maxime congruum est horis matutinis per mediam horam, eodem tempore fomenta frigida capiti applicentur. Etiam sine pe-

diluvio tepido remedium prophylacticum eximium est lotio corporis cum aqua frigida ope spongiae quotidie mane instituenda, aestate vero balneum frigidum in fluvio vel lacu adhibeatur.

§. 178.

Dum cura prophylactica rationalis neglecta est, per influxum potentiarum nocentium in homine praedisposito evolvitur insultus apoplecticus subito, tunc in plurimis casibus congestio sanguinis major in encephalon locum habet, ideo formamus indicationem generalem ad congestionem eam imminuendam; vestimenta forte arctius adhaerentia, ut collipendia et thoracula solvimus, temperaturam externam moderate calidam ad gradum therm. Reaum. 10—12 procuramus, quidquid aërem corrumpere et exhalationibus noxiis replere valet, sollicite removemus, aegrumque in talem situm collocamus, ut capite sursum versus elevato, pedes dependeant. Dum haec coordinamus, historiam morbi brevem excipimus, symptomata colligimus et reflectendo naturam individualem apoplexiae definimus. Quia in plurimis casibus producitur morbus a congestione sanguinis, imo saepe ab extravasato in encephalon, ideo in plurimis casibus indicata est sanguinis evacuatio, quam per incisionem venae jugularis vel arteriae temporalis propterea non suscipimus, quod deligatio et compressio vasorum nominatorum difficilior est, et quia venae-sectio in brachio aut pede instituta effectum non minus salutarem exerit. Quantitas sanguinis diversa est pro diversa aetate et constitutione individuali aegri, ut justa definiri possit, medico praesente instituatur evacuatio, subinde enim sufficit tres quatuor-ve uncias evacuasse, subinde ad libram unam, imo ad libras etiam plures evacuatio suscipi debet. Non raro accidit in morbo mitiori, ut facta sanguinis evacuatione justa, statim revertatur conscientia sui, et praeter sensum debilitatis reliqua symptomata morbosa disparcant. Frequenter tamen accidit, ut post venae-sectionem factam adhuc symptomata pressionis cerebri continuent ita, ut sanguinis evacuatio

post aliquot horas iterum repeti debeat, et quidem saepius tantum topica, hirudinum vel cucurbitularum cruentarum ope, quae applicantur regioni jam temporali, jam occipitali, jam secundum longitudinem spinae dorsi. Simul commendamus vitae regimen strictum, anti-phlogisticum, quietem corporis et animi, pro potu aquam puram vel decoctum emolliens vel emulsionem tenuem vel potum acidiusculum; alvo obstipa existente, proficua sunt purgantia, clysmata ex decocto furfurum cum aqua et aceto, dum aeger deglutire valet, purgantia salina praescribimus: arcanum duplicatum, salem amarum, salem mirabilem Glauberi, inprimis calomelam. Simul capiti applicamus fomenta frigida, ex aqua vel ex aqua et aceto. Subinde signa compressi cerebri remanent longiori tempore, extravasatum in cerebro vel cerebello lentissime vel plane non resorbetur, in tali casu methodus anti-phlogistica mitior diu adhiberi debet.

Licet methodus anti-phlogistica laudata per experientiam felicem maxime commendatur, utilis tamen haud est contra omnem apoplexiam. Dum aeger jam ante insultum debilis et enervatus fuit, et dum insultus per causas debilitantes, per profluvia provocatus est, tunc contra debilitatem veram methodus stimulans indicata est, frictio moderata in cuti universa ope panni asperi vel setacei, odoramenta incitantia, ut acetum vini bonum, acetum aromaticum cum camphora, aether aceti, aether vitrioli, spiritus cornu cervi, radix armoraciae rasa admoventur naribus, illiniuntur fronti, regionibus temporalibus, pectori, regioni epigastricae; corpus abluitur spiritu vini camphorato, spiritu aromatico; extremitatibus applicantur sinapismi, emplastrum cantharidum; tubo intestinali injicimus clysmata ex infusis aromaticis, ex infuso radicis arnicae cum asa foetida, spiritu cornu cervi. Dum aeger deglutire potest, porrigimus illi aetheris aceti vel aetheris vitrioli, spiritus cornu cervi succinati vel spiritus salis ammoniaci anisati, lavendulati, vinosi guttas tres usque decem in aqua aromatica, quibus jungimus infusum radicis arnicae vel decoctum florum arnicae, subinde camphoram, castoreum, moschum.

Symptomatibus morbi cessantibus cura nedum est absoluta, remanet dispositio in morbum, qui citius vel tardius revertitur semper periculosior. Ad recidivam talem impediendam requiritur, ut causae excitantes morbi sollicite vitentur, et si character dynamicus apoplexiae praegressae fuit energicus, tunc vitae regimen anti-phlogisticum longiori tempore continuandum est, et saepe ad congestionem cerebralem praecavendam purgantia mitiora, pediluvia acriora, lotiones capitis cum aqua frigida, ulcera artificialia brachiis vel nuchae applicanda sunt summe utilia. In rarioribus casibus character apoplexiae est asthenicus, et tunc etiam scopo prophylactico methodus roborans caute adhibenda est maxime rationalis.

Non raro post apoplexiam praegressam evolvuntur in organismo morbi diversi, quorum seminia jam adfuerunt, tunc pro natura eorum individuali therapiam coordinamus; frequentissime post apoplexiam remanet paralysis.

PARALYSIS.

§. 179.

Paralysis vocatur a Celso *resolutio*, a nonnullis *apoplexia partialis*, estque ille status morbosus, sub quo partis unius corporis humani functio vitae animalis, scilicet sensatio vel sola, vel motus voluntarius solus, vel utraque functio impedita est, dum functio vitae organicae adhuc continuat. Dum functiones vitae animalis tantum imminutae sunt ita, ut nonnisi ad applicationem stimulorum fortiorum exerceantur, et tunc etiam cum energia valde prostrata, dicitur paralysis imperfecta, paresis; ubi vero functio vitae animalis ita suppressa est, ut nec ad applicationem stimulorum fortiorum provocari possit, tunc vocatur paralysis perfecta. Evolvitur hic status morbosus in diversis partibus corporis humani; subinde dimidium latus totius corporis afficit, etiamsi non omnes, sal-

tem partes plures dimidii lateris paralysi laborant, dicitur hemiplegia; subinde partes corporis infra caput constitutae et quidem jam extremitates superiores ambae, frequentius extremitates inferiores paralyticae evadunt, vocatur paraplegia superior vel inferior. Rarissime accidit, ut omnes quatuor extremitates paralyticae evadant, sed observatur subinde paralysis cruciata, ubi extremitas una superior et extremitas inferior lateris oppositi paralyticae fuerunt. Saepe paralysis restricta est tantum ad partem minorem corporis, ut subinde ad nervum opticum, ad retinam, in amaurosi, subinde ad nervum acusticum in cophosi, subinde ad nervum olfactorium in anosmia, subinde ad nervum gustatorium in ageusia, subinde ad nervos organi tactus — anaesthesia, subinde ad musculos palpebrarum, inprimis superiorum — blepharoplegia, subinde ad musculos faciei — prosoplegia, subinde ad musculos linguae — glossoplegia, subinde ad musculos pharyngis et oesophagi — dysphagia paralytica, subinde ad musculos penis — cauloplegia, subinde ad sphincteres vesicae urinariae, intestini recti, subinde ad membranam muscularem ventriculi, tubi intestinalis, diaphragma, cor ipsum.

J. S. Carmichael, Diss. de paralysi. Edinburgi. 1764.

S. Aurivillius, Diss, de paralysi. Upsala. 1765.

C. Pereboom, Diss. de paralysi, inprimis nervea. Horn. 1773.

Garioch, Diss. de paralysi. Lugd. Batav. 1771.

Mackenzie, Diss. de paralysi idiopathica. Edinburgi. 1778.

J. Jebb, Select cases of the disorder termed paralysis of the lower extremities. London. 1782.

van Rossum, Diss. de paralysi. Lovan. 1784.

A. F. Lallier, Essai sur la paralysie. Paris. 1806.

A. Beaudenom de lamaze, Diss. sur la paralysie des extrémités inférieures. Paris. 1817.

J. Cooke, the history and method of cure of the various species of palsy. London. 1821.

§. 180.

Quotiescunque paralysis in partibus externis occurrit, tunc diagnosis ejus facilior est, nisi homo morbum simulet, talis enim astutus facile medicum in errorem inducere potest, quem evitamus per observationem aegri longiori tempore institutam, et investigationem ejus saepe inopinate susceptam. Secus per attentionem in evolutionem morbi successivam directam in plurimis casibus cognoscimus paralysim, quae non raro habet prodroma; aeger nempe persentit in parte una corporis subinde dolores intensos, ardorem, sensum formicationis; non raro observatur in parte illa tremor, spasmus, convulsio; saepe longiori tempore praecedunt signa debilitatis ita, ut aeger conqueratur de partis affectae sensibilitate, mobilitate, calore, nutritione imminutis ita, ut pars affecta manifeste macilenta evadat. Post haec prodroma jam breviori jam longiori tempore durantia, saepe sine illis, subito comparet paralysis, et pars privatur sensu vel motu, vel utraque facultate animali; saepe tamen mobilitate suppressa remanet sensibilitas, imo morbose exaltatur ita, ut pars paralytica doloribus excrucietur, aut vicissim parte insensibili reddita remaneat mobilitas, imo subinde convulsiones locum habeant. Saepe in parte paralytica praeter suppressam vitam animalem longiori tempore nulla alia symptomata morbosa observantur, functiones vitae organicae omnes rite perficiuntur, morbo tamen increscente redduntur et eae imperfectiores, circulatio sanguinis evadit languidior, ideo in parte paralytica venae conspiciuntur turgidiores, absorptio minus alacriter perficitur; ideo pars morbosa oëdematose intumescit, saepe decrescit nutritio partis, calor animalis imminuitur, ideo pars paralytica friget.

§. 181.

Ex symptomatibus omnibus inter se combinatis paralysim praesentem summa cum probabilitate cognoscimus, sed necessaria est etiam cognitio causarum, ut therapia ra-

tionalis institui possit. Causa proxima haeret semper in parte aliqua systematis nervosi, cujus status dynamico-organicus ita mutatus est, ut exercitium vitae animalis in parte illa suppressum sit. Relate ad partem systematis nervosi, in qua causa proxima paralysis recondita est, distinguimus paralysim cerebralem, spinalem, nerveam et muscularem. Saepe paralysis sensuum externorum, musculorum faciei, subinde etiam musculorum reliqui corporis causam suam habet in cranio, quod pars aliqua cerebri in exercitio libero functionis suae impedita est, quod ossa cranii depressa, fracta, vel per rhachitidem, scorbutum, scrofulas, arthritidem, syphilidem, morbose tumida, cerebrum comprimunt; vel quod meninges cerebri inflammatae vel induratae sunt; vel quod substantia cerebri jam morbose emollita, jam indurata est; vel quod extravasatum per diversas causas productum est, et quidem frequentissime extravasatum tale invenitur in parte cerebri opposita lateri paralytico. Subinde causa proxima paralysis haeret in cerebro, ut post commotionem capitis violentam, post fulminis ictum, post animi affectum vehementem, post venenorum narcoticorum, inprimis opii usum, et tamen in cadavere mutatio morbosa nulla detegitur. Quotiescunque sedes causae proximae paralysis in encephalo locum habet, tunc in genere in exercitio functionum intellectualium impedimentum jam minus jam majus experitur aeger. Exercitio functionum intellectualium libero existente, summa cum probabilitate concludimus, causam proximam paralysis non in cavo cranii, sed forte in specu vertebrarum haerere. Non raro per vertebras fractas, luxatas, morbose tumidas, carie affectas, medulla spinalis in exercitio functionum vitae animalis impeditur, subinde meninges medullae spinalis sunt tumidae, vasa earum varicose extensae; subinde extravasatum cruentum, vel serosum, vel purulentum adest, subinde ipsa medulla spinalis in substantia sua morbose emollita vel indurata, in parte aliqua morbose tumida reperitur ita, ut in medio tumoris jam sanguis, jam serum, jam pus contineatur. Subinde probabilitate magna concludimus, causam paralysis re-

sidere in medulla spinali, et tamen in cadavere nihil morbosi reperimus, dum post commotionem vehementem, post fulminis ictum, vel post actionem venenorum narcoticorum et metallicorum excitatur paralysis. In specie post actionem plumbi exoritur initio enteralgia, quam excipiunt dolores intensi, per spinam dorsi et extremitates excurrentes, quibus silentibus comparet jam hemiplegia, jam paraplegia. Similis status inducitur per evacuationes nimias, apud mulieres subinde post metrorrhagias profusas, post partus plures sese cito excipientes, inprimis post abortus frequentius repetitos, apud juvenes viros post seminis profusionem nimiam. Sicut status morbosus medullae spinalis ad partem majorem vel minorem extensus est, ita etiam symptomata paralysis varia observantur; subinde tantum accusat aeger difficultatem in deglutiendo, et in motu colli, saepe autem morbo latius extenso observantur dysphagiae, dyspnoea, respiratio difficilis, per vices recurrentes, appetitus cibi deletus, digestio et chylificatio languidae, alvi et urinae evacuationes impeditae, paresis vel paralysis in extremitatibus, animi deliquia facile recurrentia.

Saepe omnia symptomata in aegroto collecta nos convincunt, causam proximam paralysis nec in cerebro, nec in medulla spinali, sed in nervo partis paralyticae residere; talis paralysis inducitur per ligaturam solam injectam, per compressionem a tumore vicino cujuscunque generis, per compressionem partis medullaris nervi, a nevrihymene in statum morbosum conjecto, forte quod status inflammatorius, vel congestio morbosa, vel secretio morbosa sanguinis, seri, puris locum habet, vel ipsa substantia medullaris nervi morbose emollita vel indurata vel per processum vegetativum, ut post actionem venenorum peculiariter immutata est. Subinde causa paralysis residet in musculo, qui per adstrictionem, per extensionem nimiam contractilitatem vitalem amittit, non secus processu vitae organicae abnormi reddito, quod emollitio, vel induratio, vel transmutatio musculi in substantiam peculiarem adipo-ceream contingit, paralysis comparet.

Quotiescunque causae excitantes immediate in cerebrum aut medullam spinalem aut nervos aut musculos agentes provocant paralysim, tunc dicitur idiopathica, ut distinguatur a paralysi symptomatica, quae provocatur per status morbosos aliarum partium, jam viscerum cavo pectoris inclusorum, pulmonum vel cordis, jam viscerum cavo abdominis contentorum, ut a morbis hepatis, lienis, ventriculi, intestinorum, renum, uteri, ab infarctibus abdominalibus, a saburra in tubo alimentari haerente, inprimis a saburra verminosa.

Dum causas morbi exquirere studemus, attendimus simul ad decursum ejus, quo respectu paralysis jam est continua, jam remittens, jam intermittens, attendimus ad conditionem energiae vitalis in toto organismo, ut determinemus, sit-ne paralysis energica, qualis subinde observatur; longe frequentius tamen est paralysis asthenica, adynamica, cum energia vitae imminuta.

Hufeland, Über eine eigenthümliche, jetzt häufiger werdende Art von Lähmung. (Journ. der prakt. Heilk. 1826, Febr. S. 115.)

§. 182.

Momentis cunctis nosographicis et nosogeneticis attenta mente collectis, possumus prognosim paralysis probabilem pronunciare. Morbus quidem saepe vitae parcit, sed eam molestam reddit, per menses imo annos excurrit, et non raro conatus artis omnes eludit. Nec tamen omnis paralysis ita pertinax est; non raro causis excitantibus remotis per solam autocratiam naturae feliciter sanatur, et quidem subinde nulla crisis observatur, sed sicut morbus subito evolutus est, ita etiam disparet; saepe tamen observantur evacuationes criticae, haemorrhagiae, sudor universalis, urina sedimento largo instructa, vomitus, alvus frequentior, ptyalismus, subinde morbis aliis erumpentibus disparet paralysis. Exitu tali felici haud subsecuto, symptomata paralysis manent perennia, imo augentur, et non tantum vitae animalis exercitium suppressum retinetur, sed etiam functiones vitae organicae semper magis imminuuntur, ideo pars paralytica

evadit debilis, macilenta, atque non raro tabes, hydrops et febris hectica evolvuntur.

Ut prognosim cum probabilitate majori pronunciare possimus, attentionem nostram dirigimus in momenta plura, et quidem:

1mo. In durationem morbi, in paralysi enim recenti major est spes restituendi sanitatem.

2do. Consideramus constitutionem individualem aegri, in homine enim sano et robusto prognosis est semper laetior.

3tio. Relate ad sedem et extensionem, paralysis externa est in genere minus periculosa.

4to. Relate ad characterem dynamicum morbi, energicus, inflammatorius in gradu mitiori prognosim habet laetiorem, quam si fuerit character asthenicus.

5to. Peculiariter perpendimus causas morbum excitantes et sustentantes; ita paralysis excitata per refrigerium vel saburram vel evacuationem habitualem suppressam, est ceteris paribus minus periculosa; quae excitatur per vitium organicum cordis, ut aneurysma, est periculosissima; ita etiam quae evolvitur post maniam est in genere incurabilis; indicat enim vitium organicum cerebri grave. Saepe tamen per therapiam rationalem paralysis sanari potest.

§. 183.

Therapia rationalis requirit, ut causae paralysim excitantes et sustentantes removeantur, ideo si adfuerint causae mechanicae cerebrum vel medullam spinalem vel nervum aliquem comprimentes, tunc pressio tolli debet; si saburra in tubo alimentari haerens symptomata paralysis induxerit, tunc medicina jam emetica, jam purgans, jam anthelminthica indicatur: si evacuationes habituales suppressae vel nimis profusae causam constituerint morbi, tunc ad eas moderandas cura dirigenda est. Subinde morbi alii, ut syphilis, scorbutus, scrofulae, rhachitis, arthritis, partim quod status morbosos partium solidarum ut tumores, partim quod secretiones morbosas liquidorum generant, partem aliquam systematis nervosi comprimunt, et tunc para-

lysis talis saepe per curam anti-syphiliticam, anti-scorbuticam etc. sanatur. Si paralysis fuerit symptoma febris intermittentis, tunc cortex cinchonae maximam exerit efficaciam.

Saepe causis excitantibus jam remotis, paralysis ut effectus earum perdurat, tunc indicationem curae desumimus a conditione energiae vitalis. Subinde et momenta pathogenetica et symptomata morbi nos convincunt, paralysim induci per congestionem sanguinis majorem in partem aliquam systematis nervosi, tunc sanguinis evacuatio subinde universalis, saepius topica necessaria est; ita amauroses, dysphagiae, paralyses extremitatum non raro cito tolluntur per sanguinis evacuationem; subinde methodus anti-phlogistica, ut vitae regimen, purgantia mitiora, non raro calomela longiori tempore continuari debent. Subinde symptomata paralysis remanent, quia in parte aliqua systematis nervosi contingit secretio morbosa jam sanguinis, jam seri, et tunc indicata sunt remedia, processum absorptionis excitare valentia, ut calomela, quae jam sola, jam digitali purpureae juncta sumitur, jam forma unguenti hydrargyri cinerei externe illinitur. Saepe tunc proficua sunt remedia antagonistica, quae provocando irritationem vel secretionem in una parte organismi, eam in alia parte molestam tollunt; ita saepe proficua sunt purgantia, recentiores laudant hoc scopo tincturam colocynthidis; subinde eadem ratione proficua sunt diuretica, ut scilla, proficua sunt emetica, inprimis tartarus emeticus, quem inprimis contra amaurosim commendavit Richter. Majorem efficaciam praestant epispastica, sinapismi, vesicantia, emplastrum et unguentum antimoniale, fonticuli, inprimis a Pott contra hemiplegiam et paraplegiam laudati, subinde plus praestant quam moxa et ferrum candens.

L. G. S. Fournier, Diss. sur l'application du vésicatoire, sur la tête dans quelque cas de paralysie. Paris. 1803.

§. 184.

Methodus anti-phlogistica in casibus tantum pauciori-bus proficua est; in longe pluribus, ob characterem totius

morbi asthenicum remedia stimulantia jam mitiora, jam fortiora necessaria sunt; ita exhibemus infusa herbae menthae crispae, piperitae, florum lavendulae, radicis acori, angelicae, imperatoriae, valerianae sylvestris, inprimis autem radicis et florum arnicae, quibus jungimus saepe liquores aethereos, inprimis aetherem vitrioli, subinde camphoram, castoreum, ammoniam, spiritum cornu cervi simplicem vel succinatum, spiritum salis ammoniaci vinosum, anisatum, lavendulatum, subinde phosphorum in aethere vitrioli concentrato solutum. Recentioribus temporibus laudatur rhus radicans et toxicodendron, cujus radix vel pulvis vel extractum a grano uno usque grana duo, vel aquae destillatae drachma una usque unciam semis pro nycthemero exhibetur; in schola tamen clinica efficaciam ejus observare haud valuimus. Majorem virtutem exerit nux vomica, cujus efficaciam inprimis laudant Fouquier et Magendie, exhibeturque extractum illius cum spiritu vini factum ad granum unum usque duo pro nycthemero, vel exhibetur principium efficax nucis vomicae, strychninum, initio una decima sexta pars grani, successive augetur dosis ad unam quartam partem grani, atque in paralysi per statum morbosum medullae spinalis inducta post pharmaci hujus usum initio excitantur tremores, dolores, dein convulsiones extremitatum, paralysi brevi evanida.

J. Alderson, Versuch über das Rhus toxicodendron, übersetzt von Froriep. Jena. 1799.

§. 185.

Non raro in curanda paralysi virtutem majorem exerunt remedia externa, quae tamen minus caute adhibita facile noxia evadunt; ideo inchoamus usum mitiorum, et successive tantum ad fortiora transimus. Saepe sufficit frictio sola manu suscepta, ea haud sufficiente pannus asperior, dein setaceum, initio mollius adhibetur, et non raro per talem frictionem calor, turgor, rubor partis excitantur; subinde suademus linimenta et unguenta stimulantia, ut spiritum vini, spiritum aromaticum, spiritum camphoratum,

spiritum formicarum, lumbricorum, anthos, lavendulae, menthae, subinde linimentum volatile, linimentum saponato-camphoratum, unguentum nervinum, addito subinde aethere vitrioli, spiritu salis ammoniaci caustico, oleo destillato terebinthinae, tinctura cantharidum. Subinde fomenta calida jam sicca, jam humida, magis adhuc cataplasmata aromatica energiam vitae languentem excitant. Magnam laudem in curandis paralysibus sibi meruerunt thermae naturales, referunturque observationes multae de paralysibus feliciter sanatis in thermis diversis, partim alcalinis, partim sulfureis, partim martialibus; inprimis proficuae sunt thermae contra paralyses inductas per refrigerium, per evacuationem habitualem suppressam, per rheumatismum, arthritidem vel morbos cutaneos evanidos, per actionem venenorum metallicorum. In defectu thermarum naturalium adhibemus artificiales, jam sulfureas, jam martiales, jam aluminosas. Subinde effectum majorem exerunt balnea ex herbis aromaticis parata, quibus ad virtutem exaltandam additur vinum vel spiritus vini. Subinde energia vitae languens excitata fuit per balneum formicarum, per balneum stillatitium, dum aqua ex altitudine majori instar pluviae, vel rivi jam tenuioris, jam crassioris demittitur in partem paralyticam. Subinde magis salutare fuit balneum vaporis; vapor solius aquae bullientis in partes paralyticas derivatus excitantem virtutem exerit, quae exaltatur, si aqua bulliens superfunditur herbis aromaticis, si miscetur vino vel spiritu vini. Saepe paralysis tollitur per sinapismos, emplastrum cantharidum, unguentum vel emplastrum antimoniale, caesionem cum urticis, moxam, ferrum candens. Saepe mitiora remedia majorem utilitatem praestant, ut electricitas, galvanismus, magnes mineralis, magnetismus animalis.

Postquam paralysis in quacunque parte corporis per therapiam individualem sublata est, ad recidivam morbi impediendam causae nocentes individuales longiori tempore vitari, et pro charactere dynamico morbi praegressi metho-

dus jam mitior anti-phlogistica, jam mitior roborans continuari debent.

ANIMI DELIQUIA.

§. 186.

Animi deliquium, lipothymia, vocatur ille status peculiaris morbosus, in quo functiones et vitae animalis, et organicae ita imminutae sunt, ut homo cum conscientiae suae decremento, respirationem et circulationem valde debiles exhibeat, et saepe pallidus corruat. Subinde functiones vitae animalis penitus suspensae sunt, functiones tamen vitae organicae, licet languidiores, perdurant, tunc vocatur lipopsychia; gradus morbi major, in quo motus cordis cum conscientia sui suppressa silere videtur, vocatur syncope.

Winter, de syncope ejusque origine, judiciis et curatione. Rintein. 1716.

Vater, Diss. de affectu magno, mortique proximo, syncope, ejusque causis et cura. Vittenbergae. 1723.

Heister, Diss. de animi defectione. Helmstädt. 1726.

Milscher, nouvelle théorie de la syncope. Paris. 1802.

§. 187.

Saepe animi deliquium hominem invadit subito, saepe tamen praecedunt prodroma tam subjectiva quam objectiva, e quibus et aeger in se attentus, et alter observator animi deliquium instans cognoscere possunt. Aeger persentit debilitatem muscularem cito increscentem, ut nec pedibus debite insistere, nec truncum in situ erecto bene conservare possit; persentit capitis constrictionem et gravitatem ita, ut cogitatio evadat difficilis; persentit sensuum externorum obfuscationem inprimis visus, acsi oculi nebulis obtegerentur, subinde scintillant, subinde plane nihil videt;

aures tinniunt, auditus fit obtusus, pectus constringitur, cor anxie palpitat, facies evadit pallida, extremitates frigent, subinde sudor frigidus in capite et collo prorumpit, subinde nausea, vomituritio, vomitus adest, subinde convellitur, et postea in morbo eminentiori conscientiam sui amittit, in gradu morbi minori conscientia tantum imminuitur, aeger videt, sed non distincte, audit, sed conscientiam sui exercere non valet, non valet loqui, non habet liberum motum muscularem. Simul circulatio et respiratio sunt valde impeditae, pulsus est valde debilis et parvus, respiratio lenta vix observabilis, et per haec phaenomena differt morbus ab apoplexia, quacum convenit per defectum conscientiae, sed in apoplexia respiratio est difficilis, stertorosa, praeterea post apoplexiam praegressam remanet semper paralysis, quod post animi deliquium haud observatur. Imminutio conscientiae, respirationis et circulationis durat saepe tantum per pauca minuta, non raro tamen excurrit per quadrantem horae, per horas etiam plures. Saepe subito cessat, aeger quasi e somno expergefit, iterumque sui conscius redditur; subinde tamen animi deliquium lentius disparet, pallor imminuitur, rubor aliquis in facie conspicitur, oscitatio, pandiculatio observatur, pulsus arteriarum et motus cordis augentur, respiratio magis perceptibilis evadit, subinde observantur secessus flatuum, subinde vomitus et diarrhoea, et inter haec symptomata usus sensuum externorum, motus voluntarius et conscientia sui revertuntur; non raro tamen post animi deliquium remanet sensus debilitatis.

§. 188.

Ex symptomatibus descriptis facile cognoscimus animi deliquium, ad cujus naturam determinandam etiam causas ejus exquirere oportet. Aliqui homines dispositionem peculiarem habent in hunc statum morbosum; quorum systema nervosum magis tenerum est, aetas tenerior, sexus sequior, hystericae, hypochondriaci, reconvalescentes e morbo gravi, facile in animi deliquium incidunt. Praesente tali

dispositione, excitatur animi deliquium saepe per causas leviores, per odoramenta fortiora, non raro per idiosyncrasiam peculiarem, per conspectum felis catti, vel muris gliris, vel sanguinis recentis, per nuncium haud exspectatum, per adventum hominis inopinatum, per metum et terrorem, subinde sola narratione provocatum, per dolorem quacunque ratione excitatum, per impositionem sinapismi vel emplastri cantharidum, per adstrictionem sive corporis sive mentis, per evacuationes saepe etiam minores, ut per haemorrhagiam parvam, per vomitum, diarrhoeam, partum, subinde per evacuationem seri morbose accumulati, per aperturam abscessus vel vesicularum ab emplastro cantharidum provocatarum. In omni tali casu systema nervosum, inprimis cerebrum, peculiari modo afficitur, energia vitalis ejus valde imminuitur, ideo etiam conscientia sui plurimum decrescit. Nec tamen omne animi deliquium excitatur per suppressam energiam vitalem systematis cerebralis; subinde contingit suppressio vitae prius in corde, aut in pulmonibus et inde propagatur suppressio energiae vitalis cerebri, ideo homines vitio organico cordis, dilatatione ejus morbosa, ossificationibus valvularum cordis, vel arteriarum coronariarum, vel polypo cordis, vel hydrope pericardii, vel aneurysmate aortae laborantes, facile in syncopen incidunt. Quidquid circulationem sanguinis impedire valet, ut carditis, tumores varii in pectore et abdomine vasa comprimentes, ventriculus et tubus intestinalis saburris repletus, uterus gravidus, excitant non raro animi deliquia, non secus impedita respiratio per pulmones, quod pulmones teneri, tuberculis forte obsiti sunt, quod per aërem corruptum, mephiticum, fumum carbonum, strangulationem, submersionem, circulatio sanguinis per pulmones impeditur, animi deliquia excitantur, quae subinde symptomatice provocantur per alios morbos, per febrim cum charactere nervoso, per febrim intermittentem, quae syncopalis dicitur, subinde per cachexias, ut phthisim pulmonalem, hydropem, etc.

§. 189.

Pro diversitate momentorum nosogeneticorum, diversa est prognosis lipothymiae, in hystericis ac hypochondriacis constituit morbum leviorem, saepe morbi alterius gravis, vel vitii organici symptoma periculosum, saepe apoplexiae vel asphyxiae prodromum est.

In therapia indicationem desumimus a causis morbum excitantibus et sustentantibus, ita syncopen carditidem concomitantem removemus sanguinis evacuationibus largioribus; dum symptoma constituit febris intermittentis perniciosae, tunc cortice cinchonae et opio curatur. Frequentissime excitatur in subjectis teneris, hystericis, hypochondriacis lipothymia per suppressionem functionis cerebri, quam excipit suppressio functionis cordis, atque in talibus procuratur aegro aër purus, liber, vestimenta arctiora solvuntur, facies aqua recenti conspergitur, naribus admoventur odoramenta blande excitantia, ut acetum, rasura cochleariae armoraciae, aether aceti, pluma accensa, spiritus cornu cervi; his haud sufficientibus, instituimus frictiones moderatas extremitatum manu, panno asperiore; acetum, vinum vel spiritum vini vel spiritum aromaticum illinimus fronti, regionibus temporalibus, antibrachiis; ori instillamus guttas aliquot liquoris anodyni mineralis, vel aetheris aceti, vel spiritus cornu cervi, vel tincturae castorei; his haud sufficientibus, commendamus clysmata ex infuso florum chamomillae vulgaris, vel herbae alterius aromaticae cum asa foetida vel spiritu cornu cervi, rarissime applicamus sinapismos, aut emplastrum cantharidum. Si syncope excitata fuerit per venena narcotica, tunc acida, et inprimis acetum indicata sunt, si causa fuerit profluvium nimium, tunc huic imminuendo cura impendenda est.

ASPHYXIA.

§. 190.

Asphyxia, secundum etymologiam vocis significat defectum pulsus, sed in asphycticis etiam respiratio silet, quod vocatur apnoea, ideo vocatur hic status morbosus aliis apnoea asphyxia, sed silent etiam functiones omnes systematis nervosi ita, ut talis status sit simillimus morti, nam exercitium omne functionum vitae animalis et organicae silet, propterea vocatur mors apparens, putativa, deceptiva vel dubia, quae a morte vera per id differt, quod in vere mortuo functiones vitae nulla amplius arte revocari possint, in asphyctico autem vita tantum suppressa sit, in exercitio sui impedita, et per artis auxilia congrua iterum resuscitari possit.

In omni casu individuali oportet definire differentiam inter mortem veram et asphyxiam, ne forte asphycticus pro vere mortuo declaretur, et denegato auxilio conveniente vivus sepeliatur, ut exempla referuntur horribilia talium miserorum in tumbis suis resuscitatorum, et ne vere mortuo auxilia incassum applicentur.

Criteria communia, e quibus concludimus ad praesentiam mortis, sunt: 1mo defectus sensuum omnium externorum et internorum; hoc tamen signum minime sufficiens est, nam etiam apud hominem sanum in somno profundo constitutum, et in statu morboso multiplici, ut in apoplexia, epilepsia et catalepsia, suppressa est functio omnium sensuum.

2do. Defectus motus muscularis; in cadavere frequentissime artus omnes sunt rigidi, tantum putredine locum habente flexibilitas comparet; subinde tamen etiam in phthisicis, in suffocatis per fumum carbonis, in cadaveribus veneno narcotico interemtorum remanet flexibilitas artuum, et immobilitas, rigiditas observatur etiam in vivo, in paralysi, tetano, rheumatismo universali.

3tio. Defectus circulationis sanguinis et respirationis, considerantur ut praecipua criteria mortis. Ob circulationem sanguinis silentem, nullus observatur motus cordis, nullus pulsus in arteriis, turgor vitalis disparet, cutis tota pallet, et frigus marmoreum mortuorum comparet. Ob defectum respirationis vox est nulla, nullus motus pectoris, nullus labiorum oris, nullus halitus, ideo metallum politum vel speculum ante os servatum non privatur nitore suo, pluma vel flamma ante os servata non movetur, poculum aqua repletum pectori impositum manet immobile. Ob cessantes functiones omnes vitae animalis et organicae musculi redduntur paralytici, quod observatur in sphincteribus ani; propterea palpebrae oculorum manent apertae, pupilla immobilis, maxilla inferior dependet ore hiante. Phaenomena enumerata in omni cadavere occurrunt, nec tamen semper praesentiam mortis verae indicant; nam in apnoea asphyxia aeger pallidus, saepe lividus, frigidus, immobilis, rigidus, omni sensu externo et interno destitutus, sine respiratione, sine cordis et arteriarum motu jacet, et tamen mortuus non est, resuscitari adhuc potest, incitabilitas, energia vitae adhuc in illo praesens est, tantum non se exerit. Ad detegendam praesentiam incitabilitatis hujus adhibita fuit electricitas et galvanismus, et quidem Creve commendavit, in regione musculi deltoidei incisionem cutis, et dein catenam galvanicam applicare, motu nullo subsecuto mortem veram adesse. Secundum experimenta a Heidmann instituta, irritabilitas diutissime remanet in musculis faciei et labiorum oris; ideo is commendat, polum unum columnae Voltaianae applicare intra labia oris, alterum vero intra palpebras, motu nullo secuto, dubium nullum superesse de morte vera. Nec tamen hoc criterium pro distinguenda vera morte ab asphyxia commendari potest, nam possibile est, ut musculi, quibus galvanismus applicatur, paralytici sint, tunc motus nullus producitur, incitabilitas tamen in partibus internis potest praesens esse et vita latere. Unicum criterium infallibile mortis verae est putredo, se manifestans foetore peculiari cadaveroso, ma-

culis lividis in dorso comparentibus, abdomine inflato; ideo quotiescunque homo causis asphyxiam excitare valentibus expositus fuit, donec signa putredinis manifesta non sunt, illuc usque sepultura ejus impedienda est, et remedia ad asphyxiam tollendam indicata adhibenda sunt.

J. J. Bruhier, Diss. sur l' incertitude des signes de la mort, et l' abus des enterremens précipités. Paris. 1742, 1752.

— Abhandlung von der Ungewissheit der Kennzeichen des Todes. Koppenhagen. 1754.

A. Louis, six lettres, sur la certitude des signes de la mort. Paris. 1752.

Struve, das grosse Unglück einer zu frühen Beerdigung, aus ältern und neuern Geschichten deutlich bewiesen. Leipzig. 1785.

Hufeland, die Ungewissheit des Todes, und das einzige untrügliche Mittel, sich von seiner Wirklichkeit zu überzeugen. Weimar. 1791. Halle. 1824.

C. Creve, der Metallreiz, als Prüfungsmittel des wahren Todes. Mainz. 1796.

J. G. Taberger, der Scheintod, in seinen Beziehungen auf das Erwachen im Grabe. Hannover. 1829.

F. L. Pichard, de la léthargie, et des signes, qui distinguent la mort réelle de la mort apparente. Paris. 1830.

§. 191.

Causae excitantes asphyxiae sunt diversae, subinde suppressio functionis cerebri et reliqui systematis nervosi in hystericis et hypochondriacis, saepe subtractio stimulorum ad vitam necessariorum, ut alimenti omnis, caloris, profluvia nimia, subtractio aëris, ut in submersis et suffocatis; subinde excitatur asphyxia per actionem stimulorum vehementissimorum, energiam vitae consumentium, ut per actionem fulminis, venenorum narcoticorum, animi affectus vehementes, atque per causas has inducitur in organismo diversus status dynamicus, causam proximam asphyxiae constituens, propterea etiam therapia diversa indicata est. Ars quidem resuscitandi asphycticos jam antiquis nota fuit, ut referuntur historiae in Sacris Paginis. Plinius adnotat

de Asclepiade, qui virum Consularem jam ad rogum deportatum resuscitavit. Pars tamen haec medicinae practicae imperfecta fuit, et nonnisi seculo XVIII. magis exculta est; postquam per conatus medicorum societates erectae fuerunt in scopum resuscitandi asphycticos; talis prima coaluit in Hollandia 1762 Amstelodami, quam secutae sunt plures aliae, ut Parisina, Hamburgensis etc. Celeberrima tamen et utilissima fuit societas humana Londinensis (*the Royal human Society*), anno 1774 fundata per medicos Cogan et Hawes, cujus protector est Rex Magnae Britanniae, membra vero constituunt praeter medicos viri omnes Magni Imperii Britannici, atque conatu societatis hujus et multa millia hominum a morte liberata sunt, et praemiis per eam propositis doctrina de asphycticis maxime exculta est

P. G. Hensler, Anzeige der hauptsächlichsten Rettungsmittel derer, die auf plötzliche Unglücksfälle leblos geworden sind, oder in wahrer Lebensgefahr schweben. Altona. 1770. Umgearbeitet von Scharf. Leipzig. 1780, 1787.

A. Johnson, Collection of authentic cases, proving the practicability of recovering persons visibly dead by drowning, suffocations etc. London. 1773.

J. J. de Gardanne, Catéchisme sur les morts apparentes dites asphyxies. Paris. 1774, 1781. Dijon. 1783.

W. Hawes, Address on the recovery of suspended animation. London. 1782.

— the Transactions of the Royal human Society, From 1774 to 1784. London. 1795. Continuation London. 1798.

— Abhandlung der Londner k. Gesellschaft zur Rettung Verunglückter und Scheintodter, übersetzt von Struve. Breslau. 1798.

C. Kite, an essay on the recovery of apparently dead. London. 1788.

— Über die Wiederherstellung scheinbar todter Menschen. Leipzig. 1790.

E. Goodwyn, the connection of life with respiration, or an experimental inquiry into the effects of submersion, strangulation, etc. London. 1789.

R. Goodwyn, Erfahrungsmässige Untersuchung der Wirkungen des Ertrinkens, Erdrosselns und durch schädliche Luftarten erfolgten Erstickens. Leipzig. 1790.

L. G. Berchtold, kurzgefasste Methode, alle Arten von scheinbar Todten wieder zu beleben. Wien. 1791.

A. Portal, Observations sur les effets des vapeurs méphitiques dans l'homme, sur les noyés, sur les enfants, qui paroissent morts en naissant. Paris. 1791, 1799, 1805, 1811.

— Unterricht, über die Behandlungsart der Erstickten, Ertrunkenen, u. s. w. Wien. 1798.

E. Coleman, a dissertation on suspended respiration, from drowning, hanging and suffocation, London. 1791.

— Abhandlung über das durch Ertrinken, Erdrosseln, und Ersticken gehemmte Athemholen. Leipzig. 1793.

A. V. Zarda, alphabetisches Taschenbuch der hauptsächlichsten Rettungsmittel für todt-scheinende und in plötzliche Lebensgefahr gerathene Menschen. Prag. 1796.

A. Fothergill, Preservativ plan, or hints, for the preservations of persons, exposed to those accidents, which suddenly suspend, or extinguish vital action. London. 1798. Germanice a Struve. Breslau. 1800.

Struve, Versuch über die Kunst Scheintodte zu beleben. Hannover. 1797.

W. R. C. Wiedemann, Anweisung zur Rettung der Ertrunkenen, Erstickten, Erhängten, vom Blitze Erschlagnen, u. s. w. Braunschweig. 1797, 1804.

J. F. Ackermann, der Scheintod und das Rettungsverfahren. Frankfurt a. M. 1804.

A. Collorini, Sulle varie morti apparenti, e sui pronti e piu validi soccorsi, che amministrar debbonsi ai apparenti morti. Pavia. 1813.

M. J. B. Orfila, Secours à donner aux personnes empoisonnées ou asphyxiées. Paris. 1818, 1821, 1824, 1831.

— Rettungsverfahren bey Vergiftung, und dem Scheintode, von J. Schuster. Pesth. 1819.

J. Bernt, Vorlesungen über die Rettungsmittel beim Scheintode und in plötzlichen Lebensgefahren. Wien. 1819.

ASPHYXIA PER SUBMERSIONEM.

§. 192.

Natura individualis asphyxiae per submersionem inductae variat pro diversa constitutione individui; qui enim habitu apoplectico praeditus est, facile submergendo incidet in apoplexiam, qui vero constitutionem habet debilem nervosam, conjicietur in statum debilitatis nimiae. Differentiam etiam inducit qualitas liquidi, in quo submersio locum habuit, prout liquidum fuerit aqua, vel mustum fermentans, vel vinum, prout temperatura ejus fuerit calida vel frigida, ita modificatur natura morbi, quam ut definire valeamus, attendimus ad phaenomena cuncta, quae tempore submersionis, perdurante asphyxia, et morte subsecuta in cadavere observantur. Dum experimenta instituimus cum animalibus, ea submergendo in vase vitreo, et dum observamus homines sub momento submersionis, tunc videmus, quod per autocratiam naturae submersus se elevet supra aquam, sed si natare nescit, mox iterum decidat, artus motitet, aliquo tempore aërem, forma bullarum ascendentem, exspiret, mox evadat corpus immobile, et decidat in fundum aquae; si tunc statim extrahitur, tunc corpus totum est frigidum, subinde adhuc flexibile, sed saepius rigidum, cutis universa, inprimis labia oris et lingua ita pallida sunt, acsi mors ex haemorrhagia contigisset, nulla respiratio, nullus pulsus arteriarum, nullus motus cordis percipiuntur. Si mora sub aqua longiori tempore fuit continuata, tunc habitus est a priori distinctus, facies redditur turgidior, color cutis livescens, inprimis in labiis oris, ante os et nares conspicitur saliva vel mucus spumescens, sanguine tinctus. Si mora adhuc diutius protrahitur, tunc evolvuntur symptomata putredinis, a gase per putrefactionem generato intumescit monstrose totum corpus, inprimis abdomen et facies, ideo lineamenta ita delentur, ut homo vix cognosci possit, cadaver redditur specifice levius, ideo per

aquam fluentem deportatur ad distantiam magnam, donec in ripam ejicitur.

§. 193.

Ut submersis auxilium adaequatum praestare valeamus, causam proximam hujus speciei asphyxiae definire debemus. Antiquissima fuit opinio, et hodie adhuc vulgaris est, asphyxiam induci per liquidum copiosum partim in ventriculum deglutitum, partim in tracheam et bronchia receptum, propterea viguit consuetudo antiqua, submersos per pedes suspendendi. Liquidum defferri et in ventriculum et aliqua quantitate etiam in tracheam, bronchia negari haud potest, sed experimenta numerosa instituta per de Haen, Kite Goodwyn et Coleman docent, saepe in ventriculo parum, in trachea et bronchiis adhuc minus liquidi detegi, per irritabilitatem enim tracheae et inprimis laryngis, per minimam quantitatem liquidi in laryngem delati excitatur tussis vehemens, et sic ingressus liquidi ulterior impeditur. Multi, ut de Haen, Wepfer, Louis, Boerhave, Kite defendebant, causam proximam asphyxiae in submersis esse apoplexiam cerebralem, sanguineam, quia in submersis multis observatur facies turgida et livida, lingua tumida intra labia oris protrusa, et spuma cruenta tecta, conjunctiva oculorum rubicunda. Negari haud potest, in submersis subinde locum habere apoplexiam, quae tamen in pluribus casibus haud evolvitur, nam sanguinis evacuatio raro tantum successu desiderato instituitur; plures submersi resuscitantur per remedia stimulantia rite administrata, et quidem ita, ut nulla paralysis remaneat, quae in apoplexia sanguinea semper observatur; in cadavere submersorum rarissime detegitur in cavo cranii extravasatum cruentum; ideo causa asphyxiae alia esse debet, quae per investigationes a Coleman, Goodwyn, Fothergill, et Bichat factas, summe probabilis est. Si animal post submersionem statim extrahitur, tunc cutis universa est pallida, tantum hinc inde observantur maculae lividae, sanguis in pluribus casibus est liquidus, tantum raro coagula-

tus; in cavo cranii reperiuntur vasa cerebri sanguine atro repleta, nullum tamen extravasatum detegitur; in cavo abdominis viscera omnia statum normalem exhibent, nisi per aliam causam morbosa fuerint, tantum in ventriculo et tubo intestinali continetur quantitas diversa liquidi, in quo submersio locum habuit. Maximae mutationes deteguntur in cavo pectoris, scilicet venae cavae, sinus et ventriculus cordis dexter sunt repleti sanguine atro venoso, qualis etiam in arteriis pulmonalibus continetur; in sinu et ventriculo cordis sinistro reperitur sanguis minore quantitate, et is etiam venosus; ex his concludimus, per submersionem impediri processum dynamico-chemicum respirationis; sanguis adducitur aliquo tempore ad partem cordis dextram, inde in pulmones, sed in iis ob respirationem impeditam mutatio sanguinis venosi in arteriosum non perficitur; circulatione tamen aliquo tempore adhuc perdurante, sanguis venosus defertur in partem cordis sinistram, et inde in reliquum organismum, in cerebrum ipsum, sed quia sanguis talis ad vitalitatem cerebri provocandam idoneus non est, ideo functio cerebri supprimitur, et sic phaenomena asphyxiae evolvuntur.

X. Bichat, Recherches physiologiques sur la vie et la mort. Paris. 1822.

§. 194.

Si talis asphycticus submersus cito ex aqua extrahitur, tunc non raro et sponte resuscitatur, longe frequentius si artis auxilia fuerint debite administrata, in quorum defectu mors vera succedit. Saepe nec per artem potest exitus funestus impediri, si tempus submersionis nimis longum fuerit. Exempla quidem habemus, ubi submersio per mediam horam, imo per horas complures duravit, et resuscitatio tamen adhuc successit; sed non raro dum submersio tantum quadrantem horae excedit, jam artis conamina omnia inania sunt, inprimis si asphycticus jam antea fuit exhaustus, aut ebrius, aut dispositione peculiari apoplectica praeditus.

Quousque signa putredinis evoluta non sunt, resuscitatio semper tentari debet.

Indicatio curae prima est, ut submersus quo citius fieri potest, ex aqua extrahatur, nam mora protracta prognosis omni momento evadit magis ominosa. Dum submersio contigit in fluvio vel lacu majori, tunc prius exquiri debet corpus asphycticum, quod optime praestari potest per homines, qui longiori tempore infra aquam morari possunt, in defectu eorum exquiritur corpus submersum vel per rete piscatorum vel per instrumentum idoneum, quali Societas Hamburgensis utitur, et quod repraesentatur a Günther et Bernt. Corpus detectum, si manibus comprehendi non potest, ope instrumenti idonei per Günther delineati, multum similis forcipi obstetricum, comprehenditur infra axillas, et ex aqua extrahitur ita, ut caput superiora versus sit directum. Quamprimum manibus comprehendi potest, iis infra axillas applicitis, aut in navim, aut ad ripam deponitur, et statim tunc prima auxilia administrari debent, liquidum aut lutum, quibus os et nares obstruuntur, eluuntur aqua pura, ope digitorum linteolo puro madefacto involutorum os totum abstergitur, submersus caute in sinu hominis sani sedentis convertitur supra abdomen et pectus, ut abdomen leniter comprimatur, caput vero aliquantum deorsum versus inclinatum sit, sic liquidum forte in ventriculum deglutitum, et in tracheam ac bronchia receptum evacuatur. Fine eodem propositae sunt antliae a Goodwyn, Ploucquet, van Marum et Kopp, quarum tamen usus minus commendari potest, fundate enim animadvertit J. P. Frank ope antliae talis non tantum liquidum forte in trachea haerens evacuari, sed etiam aërem in pulmonibus valde rarefieri, et sic congestionem majorem ominosam in pulmonibus contingere. Si aër atmosphaericus purus siccus et moderate calidus est, et si apparatus pro resuscitatione necessarius statim haberi potest, tunc resuscitatio ulterior statim in ripa suscipi debet; sed si atmosphaera fuerit humida, frigida, tunc submersus ad locum idoneum, apparatu omni necessario instructum, aut in defectu ejus ad pro-

ximam domum deportari debet. Sub transportatione cautela illa observanda est, ut caput asphyctici sit semper altius locatum, pedibus declivioribus, et corpore aliquantum versus latus dextrum converso. Deportatur autem submersus vel linteamini forti involutus per duos homines, brachiis oppositis imponitur, dum brachiis aliis duobus dorsum ejus suffulcitur, vel imponitur corbi oblongae ad normam Hamburgensium constructae. Cubile pro resuscitatione instituenda idoneum debet esse amplum, lucidum, aërem purum, siccum et moderate calidum habens, a quo superflui spectatores et aërem corrumpentes et auxilii necessarii administrationem impedientes removeri debent. Asphycticus collocatur aut in lectum, aut in mensam oblongam, supra saccum stramine aut pilis equinis repletum ita, ut caput sit aliquantum elevatum, corpus autem aliquantum in latus dextrum inclinatum; dein statim vestimenta illius humida detrahuntur, subinde forficis vel cultri ope transcinduntur, nam humiditas inprimis frigida resuscitationem submersorum valde impedit, subinde submersi ex aqua extracti in auram calidam ad ripam depositi per radios solis vivificantes iterum resuscitantur; ideo vestimentis humidis detractis corpus totum submersi panno moderate calido siccamus; dum haec fiunt, excipimus brevem historiam morbi, an forte jam ante submersionem in aegrum egerint potentiae nocentes, speciem asphyxiae modificantes, examinamus totum corpus, et subinde detegimus, adesse symptomata apoplexiae sanguineae cerebralis, faciem turgidiorem, colorem praerubrum, subinde livescentem, linguam lividam intra labia oris haerentem, saliva vel muco cruento tectam, conjunctivas oculorum sanguine suffusas; in tali casu instituimus statim venae-sectionem in brachio vel vena jugulari turgida, vel applicamus hirudines aut cucurbitulas cruentas ad regiones temporales retro aures, et in nonnullis casibus accidit, ut pressione cerebri per evacuationes has imminuta, conscientia sui statim revertatur, et phaenomena asphyxiae dispareant.

Casus tamen tales rariores sunt, e vena incisa nec gutta sanguinis effluit, hirudines nihil sugunt, quia vasa cutanea sunt quasi sanguine vacua, et referente Fothergill saepe post sanguinis evacuationem instituntam resuscitatio submersorum impossibilis reddita est. Asphyxia nempe in submersis raro tantum inducitur a compressione cerebri per sanguinem congestum, sed potius per sanguinem venosum, in pulmonibus haud mutatum, functio cerebri impeditur, et inde etiam functiones vitae animalis et organicae supprimuntur. Ad vitam latentem excitandam oportet functiones systematis nervosi, circulationis et respirationis revocare, quem in finem eodem tempore plura applicamus remedia, neque tamen tumultuarie, ne scintillam latentem exstinguamus.

Primum et maxime indicatum remedium est calor externus, quem applicamus ope pannorum calefactorum, vel arena, cineres, tegulae calefactae, vel lagenae, urceoli, vesicae aqua calida repletae applicantur partibus cutis tenerioribus, magis sensibilibus, infra axillas, intra femora. Hamburgenses hoc scopo habent lectum idoneum, e lamina metallica duplicata confectum, cujus parietibus infunditur aqua calida, ut sic totus lectus calorem moderatum habeat; huic lecto imponitur submersus, obtegitur linteo calido ita, ut remedia etiam alia resuscitantia applicari possint.

Secundum remedium indicatum est frictio moderata, cujus ope elicimus calorem, ignem, electricitatem, provocamus etiam vitam latentem in omni specie asphyxiae, inprimis autem in submersis; frictio suscipitur in extremitatibus inferioribus, inde continuatur dein versus truncum; optime eam perficit homo sanus, robustus, cujus tamen vola manus non debet esse callosa, dura; adhibetur cum utilitate pannus modice asperior *(flanel)*, quo manus instar manicae obtegitur, hoc haud sufficiente adhibemus setacea molliora, ubi autem cutis crassior est etiam setacea rigidiora.

Remedia bina laudata saepe sola ad scopum desideratum deducunt, sed saepe nullum effectum exerunt, nisi ter-

tium remedium in auxilium vocetur, scilicet applicatio aëris in laryngem et tracheam scopo resuscitandi respirationem. Hoc optime perficitur per hominem sanum, qui labiis suis contingit labia oris submersi, naribus clausis, et aërem inflat, vel frequentius adhibetur tubulus parvus, ex osse paratus, vel in defectu ejus alter tubulus ex arundine vel penna; extremitas ejus involvitur linteo molli madefacto lingua submersi aliquantum depressa imponitur cavo oris, vel naso, labiis oris et pinnis narium moderate compressis aër inflatur, dein digitis ab ore et naribus remotis pectus leniter deorsum versus comprimitur. Licet aër exspiratus hominis etiam sani haud sit purus, tamen pro pulmonibus submersi est stimulus maxime conveniens. Frequentius tamen adhibetur pro respiratione resuscitanda follis simplex, cujus ope aër atmosphaericus aut per cavum oris, aut per nasum inflatur; inflationibus aliquot factis labia oris et pinnae narium relaxantur, et frictio moderata pectoris ac abdominis instituitur, ut sic iterum aër e pulmonibus exprimatur. Commendantur ab auctoribus follis duplicata Gorcii, quam Günther et Bernt delinearunt; Kopp commendat instrumentum respiratorium seu antliam, quorum ope aër corruptus ex trachea extrahi, et aër atmosphaericus purus inflari potest. Dum aër atmosphaericus respirationem excitare non valet, commendatur aër oxygenius, quae tamen artis adminicula nisi caute adhibita fuerint, facile nocent.

Dum post usum remediorum laudatorum signa revertentis vitae adhuc nulla conspiciuntur, tunc applicatur remedium quartum, nempe commotio moderata corporis, dum homo fortis corpus submersi comprehendit infra scapulam et axillas, alter vero in pedibus, et moderate commovent.

Remediis enumeratis haud sufficientibus ad sensibilitatem et irritabilitatem latentem excitandam applicamus stimulos varios sensibus externis, oculis lucem majorem, adhibendo auribus sonum majorem inclamando, inprimis autem exstimulamus nervos olfactorios, naribus admovendo acetum forte, cochleariam armoraciam, cepam, allium, spiritum salis

ammoniaci causticum, spiritum cornu cervi; nervos gustatorios vellicamus linguae instillando aliquot guttas aetheris vitrioli vel spiritus salis ammoniaci caustici; nervos cutaneos irritamus per frictionem, per inunctionem olei camphorati, unguenti ammoniati, vel secundum Ackermann unguenti oxygenati. Commendatur etiam verberatio cutis baccillis tenuibus, urticatio, instillatio picis vel cerae Hispanicae fusae ad cutis partes diversas, punctura acus candentis infra ungues; quae tamen remedia valde dolorifica rarissime proficua, tantum in casibus summe desperatis tentari possunt.

Longe praestantiora his sunt remedia, quae applicantur tubo intestinali, cujus sensibilitas et irritabilitas saepe longo tempore remanet, et stimulo convenienti applicito energia vitae suppressa resuscitari potest, quem in finem e herbis aromaticis, ut chamomilla, melissa, mentha, radice angelicae, valerianae vel arnicae infusum ex uncia semis, uncia una ad colaturam librae unius ut clysma tepidum injicitur, virtusque ejus exaltatur addito vino, vel spiritu vini, vel liquore aethereo, camphora, vel spiritu salis ammoniaci caustico. Si remediis per horam unam alteram-ve continuatis adhuc nulli effectus observati fuerint tunc clysma maxime irritans praeparatur ex foliis nicotianae tabaci, adhibendo unciam unam ad libram unam decocti, quod remedium acre, stimulans ad exordium curae nunquam adhibendum est, tunc enim facile nocet, et si applicatio decocti effectu desiderato destitutitur, tunc recurrimus ad fumum nicotianae, qui instrumenti idonei ope in tubum intestinalem deducitur.

Dum per irritationem tubi intestinalis energia vitae latens excitari haud potest, tunc indicata est irritatio ventriculi, quod aliquantum difficilius perficitur, nam liquida stimulantia ori submersi infundi non possunt, quousque asphyxia durat, deglutitio nulla contingit, ideo per liquida ori infusa tantum suffocatio augetur; propterea tubus oblongus e resina elastica confectus per cavum oris aut per cavum narium imponitur in oesophagum ipsum, et dein ope

syringae parvae e resina elastica confectae, ut Coleman proposuit, vel ope syringae alterius injicitur liquidum stimulans, optime infusum aromaticum vino mixtum, cujus unciis tribus usque sex admiscentur aetheris vitrioli, spiritus cornu cervi ana guttae decem usque viginti.

Subinde nec haec remedia producunt effectum desideratum, tunc supersunt adhuc bina. quae ratio non minus quam experientia commendat, electricitas nempe et galvanismus, quae in submersis jam fuerunt aliquoties successu optimo adhibita. Electricitas applicatur ita, ut conductore uno contingatur latus dextrum pectoris circa costam secundam et tertiam veram, conductore altero contingatur latus sinistrum circa costam quintam et sextam veram, ut scintilla electrica per cor traducatur. Eadem ratione applicatur et galvanismus, vel effectu meliori docentibus experimentis ab Aldini et Humboldt institutis polus unus columnae Voltaianae applicatur ori, alter vero intestino recto, tunc galvanismus irritat et medullam spinalem, et systema gangliosum, producitque initio tremores, dein convulsiones extremitatum.

Remedia huc usque enumerata caute, successive, sed diligenter per tres, quatuor, quinque usque sex horas adhibita non paucos submersos in vitam revocarunt. Sub applicatione remediorum attendimus ad phaenomena vitae revertentis, observatur nempe motus aliquis in musculis, et quidem initio in labiis oris, quae incipiunt tremere, mox tremor similis animadvertitur in musculis faciei, subinde etiam in extremitatibus, postea comparet spuma parva intra labia oris, palpebrae oculorum motitantur, dein observatur in facie calor aliquis animalis cum rubore exiguo, postea sequitur suspirium, motus exiguus pectoris, pulsus percipitur aliquis in arteriis. Dum haec phaenomena revertentis vitae observantur, applicatio remediorum seponi haud debet, sed continuantur frictio moderata, applicatio caloris externi, clysmatis leniter irritantis, et quamprimum resuscitatus deglutire valet, tunc ori ingerenda sunt stimulantia blandiora parvis cochlearibus, ut vinum bonum

modice calefactum, vel infusum aromaticum cum guttis aliquot liquoris aethereis, donec signa omnia vitae et animalis et organicae manifesta fuerint.

Frequenter submersus post resuscitationem incidit in somnum tranquillum, ex quo excitari haud debet, nam somnus talis ad vires restaurandas plurimum confert. Non pauci post somnum aliquot horarum sudore moderato perfusi excitantur perfecte sani. In nonnullis tamen post excitationem adsunt calores majores, cephalaea, sitis, inquietudo, pulsus frequentior, subinde dyspnoea et cordis palpitatio, quae indicant circulationem sanguinis acceleratam, forte ob stimulos ultra justos limites adhibitos, tunc indicata est quies summa cum vitae regimine anti-phlogistico, decoctum hordei cum oxymelle simplici, vel emulsio amygdalarum dulcium tenuis cum nitro et saccharo, vel cremor tartari, vel succus citri cum aqua et saccharo. Dum haec non sufficiunt, quod evoluta sunt signa congestionis majoris, subinde apoplexiae sanguineae, subinde peripneumoniae, ibi sanguinis evacuatio jam universalis, jam topica necessaria est. Saepe nulla signa congestionis talis cruentae deteguntur, sed per liquidum deglutitum, subinde aquam luto mixtam, provocantur nausea, vomituritio, tunc exhibemus aegro aquam tepidam, vel infusum tepidum florum chamomillae vulgaris, vomitu haud subsecuto adhibemus tartarum emeticum, donec vomitus unus alter-ve provocatus fuerit.

Postquam remedia laudata per quatuor usque sex horas indefesse adhibita fuerunt, quin signa ulla vitae provocari potuissent, ibi spes felicis successus minima est, exempla tamen aliqua, licet rarissima adsunt etiam talium submersorum jam derelictorum feliciter resuscitatorum per solum calorem externum; ideo tunc talem submersum aut fimo calido, aut arena calida, aut cineribus calidis usque ad collum obtegimus, ita tamen ut semper aliquis praesens sit, qui signis vitae comparentibus auxilium ulterius administrare valeat. Calor etiam hominis sani, dum submersus cum eo in

eodem lecto, sub iisdem stragulis jacuit, aliquando resuscitavit.

J. A. Günther, Geschichte und jetzige Einrichtung der Hamburger Rettungs-Anstalten, für im Wasser verunglückte Menschen. Hamburg. 1794, 1808.

ASPHYXIA AB AËRE MEPHITICO.

§. 195.

Aër ad vitam alendam necessarius saepe ita immutatur ut ad respirationem non sit idoneus; ita per exhalationes vegetabilium narcoticorum, valde aromaticorum, vel intenebris conservatorum, aut putrefactorum, per exhalationes animalium, hominum tam sanorum, quam infirmorum, per combustionem, per carbones candentes in loco clauso conservatos, per exhalationes musti, vini, cerevisiae fermentantis, per exhalationes cadaverum et hominum et animalium, et excrementorum eorum, per exhalationes ipsius terrae in foveis subterraneis diu clausis, eo magis in fodinis, in puteis, aër ita corrumpitur, ut homo sanus post ejus inspirationem incidat in asphyxiam, quae pro diversitate corruptionis diversis stipatur symptomatibus, et diversam requirit therapiam.

Si asphyxia excitatur per fumum carbonum candentium in loco clauso, quod tempore hyemis non raro accidit, tunc aër corrumpitur partim, quod oxygenium absorbetur et ad combustionem consumitur, et sic azotum relative praedominans redditur, partim quod simul gas acidum carbonicum majori quantitate evolvitur. Homo aërem talem inspirans persentit capitis temulentiam, calorem majorem, oculorum ardorem et scintillationem, pectoris anxietatem, capitis constrictionem violentam, et si diutius cogitur respirare illum aërem, metu angitur suffocationis, conatum omnem adhibet se liberandi e loco periculoso, quod dum non valet,

corruit, atque pro diversa constitutione individuali citius vel tardius incidit in asphyxiam, quae in defectu auxilii prompti transit in mortem veram, cujus naturam individualem indicant phaenomena tam in asphyctico, quam in cadavere conspicua; cutis nempe tota, inprimis in facie est livescens, vasa, inprimis colli et faciei conspiciuntur sanguine turgida, conjunctiva oculorum est sanguine suffusa, intra labia livida prominet utplurimum lingua tumida et livida, spuma rubescente obtecta, calor corporis et flexibilitas artuum diutius remanet in cadavere. Sectione instituta inveniuntur in oesophago, subinde in ventriculo, trachea et bronchiis mucus aliquantum atro colore tinctus, a fumo carbonum deglutito; in cavo pectoris deteguntur signa suffocationis, respirationis violenter impeditae ita, ut in parte cordis dextra sanguis venosus nigricans majori quantitate reperiatur, simili sanguine venoso repleti sint pulmones, in parte cordis sinistra parum sanguinis et ille venosus contineatur. In cavo cranii inveniuntur vasa sanguine turgida, saepe extravasatum minori vel majori quantitate, vel saltem serum cruentum in ventriculis cerebri.

Ex phaenomenis tam in vivo adhuc, quam cadavere observatis concludimus, causam proximam asphyxiae hujus esse duplicem: 1mo quod per aërem inspiratum cordis energia magis excitetur, et ideo congestio major locum habeat in caput, et sic evolvantur symptomata apoplexiae cerebralis, sed 2do simul aër pro respiratione ineptus inducit phaenomena suffocationis.

Similis est natura asphyxiae inductae per aërem corruptum a fermentatione musti, cerevisiae, ab acidulis, et ab exstinctione calcis vivae.

§. 196.

Prognosis asphyxiae per fumum carbonum inductae est in genere infausta, nam experimenta in cadaveribus facta docuerunt, irritabilitatem cordis in hac specie asphyxiae ita consumi, ut ad applicationem stimulorum etiam fortissimorum, electricitatis et galvanismi, motus nullus produci po-

tuerit, et saepe non tantum congestio sanguinis major in encephalon, sed etiam extravasatum locum habet, quo in majori gradu praesente resuscitatio impossibilis est. Interim si aeger non habuit constitutionem apoplecticam, si non concurrerunt causae aliae, apoplexiam cerebralem producere valentes, si aegro in hunc statum conjecto auxilium rationale fuit prompte administratum, tunc asphyxia talis saepe feliciter sanatur.

Indicatio curae prima est, ut causa excitans asphyxiae tollatur, ergo ut asphycticus e loco illo periculoso, gase acido carbonico impraegnato extrahatur quanto ocyus, cautela utique necessaria adhibita, ne auxilium adferre valens ipse suffocetur; ut resciatur, sit-ne aër respirabilis, adhibetur candela ardens, quae si exstinguatur in aëre, indicat eum pro respiratione minus idoneum esse; ut is emendetur, portae fenestraeque aperiantur, dum hoc non sufficit, excitatur ignis per explosionem sclopi, vel per stramen accensum injectum, ut aër rarefiat, et sic renovatio illius facilius locum habeat, vel in locum gase acido carbonico scatentem infunditur aqua recens, quae absorbet gas acidum carbonicum, quod efficacia majori praestat aqua calcis; asphyctico succurrens causa securitatis ante os et nares habeat alligatam spongiam, vel linteum, aqua madefactum et inspersum vel solutione kali caustici, vel spiritu salis ammoniaci caustici, extrahaturque asphycticus cautela tali, ut capite sursum versus directo, infra axillas comprehensus, deducatur in aërem liberum, ibique collocetur vestibus constringentibus solutis et remotis in situm sedentem. Sub gradu asphyxiae minori jam remedia haec pauca sufficiunt, sed symptomatibus asphyxiae evolutis, efficacior therapia necessaria est. Saepe asphyxia per fumum carbonum inducitur tempore hyemis, tunc aeger deportari debet in aërem frigidum, et vestimentis detractis imponatur nivibus, iisque capite excepto totum corpus obtegatur, et frictio moderata instituatur; si post frictionem longiori tempore continuatam phaenomena vitae adhuc siluerint, tunc simul in auxilium vocamus inflationem aëris in pulmones, quam perficit aut

homo sanus ope tubuli idonei, vel adhibetur follis simplex, vel duplicata Gorcii, et scopo nedum assecuto inflatio instituitur gasis oxygenii. Nivibus haud praesentibus, sive inducatur asphyxia per fumum carbonum candentium, sive per mustum aut cerevisiam fermentantem, aeger denudatus collocatur in sella in situm sedentem, dein perfunditur aqua frigida frequenter, et symptomatibus perdurantibus suscipitur inflatio aëris. Si observata fuerint symptomata congestionis sanguineae in encephalon, quod frequenter locum habet, tunc sine mora sanguinis evacuatio suscipi debet, et quidem optime sectio venae jugularis, vel applicantur hirudines, vel cucurbitulae cruentae, retro aures, ad occiput, nucham. Saepe non obstante applicatione remediorum laudatorum symptomata asphyxiae perdurant, tunc continuari debet perfusio cum aqua frigida, instituenda lotio capitis et totius corporis cum aqua et aceto, vel secundum observationes recentissimas cum solutione chloratis calcis aut natri; iisque haud sufficientibus, applicantur clysmata cum aqua et aceto, et usus horum remediorum continuatur per tres quatuor-ve horas. Remedia stimulantia contra asphyxiam a submersione laudata in hac specie asphyxiae a gase acido carbonico inductae sunt in plurimis casibus noxia. Nonnisi postquam remedia ob apoplexiam cerebralem indicata per plures horas sine omni effectu adhibita sunt, supponere possumus, forte asphyxiam perdurare ob suffocationem a debilitate, quod per sanguinem venosum congestum energia cerebri impedita est, tunc corpus asphycticum calefacimus, moderate fricamus, stimulos ad cutim, intestinum rectum et ventriculum applicamus, iisque haud sufficientibus ad electricitatem et galvanismum recurrimus, et postquam per horas sex nulla indicia vitae producere potuimus, asphycticum imponimus balneo sicco e cineribus, arena vel fimo calidis parato. Quamprimum observamus signa vitae revertentis, scilicet circulationis, respirationis et motus muscularis, tunc ab applicatione nivium et a perfusione aquae frigidae ulteriori abstinemus, corpus siccamus et lecto moderate calido imponimus, aërem liberum ope venti

tilabri admovemus, attentionemque nostram in phaenomena ulteriora dirigimus. Subinde in resuscitato respiratio est stertorosa, caput magis premens, calidum, temulentum, tunc applicamus capiti fomenta ex aqua frigida cum aceto, exhibemusque potus acidiusculos ex aceto cum aqua, vel succum citri, vel acidum tartari cum aqua, dumque iis non obstantibus signa congestionis majoris sanguinis perdurant, evacuatio cruenta iterum suscipi debet. Subinde sine ullis signis congestionis cruentae in encephalon aeger experitur nauseam, vomituritionem a muco fumo carbonum inquinato, tunc ad eum evacuandum sufficit potus aquae tepidae, emetica medicina contra-indicata est, ob apoplexiam cerebralem in hac specie asphyxiae valde frequentem, ideo scopo evacuante potius adhibentur purgantia mitiora, ut sal amarus, sal mirabilis Glauberi, vel arcanum duplicatum.

§. 197.

Non raro inducitur asphyxia per alias corruptelas aëris, ita dum multi homines in loco angustiori congregati sunt, partim gas oxygenium absorbetur et azoticum praedominans redditur, partim etiam per respirationem et exspirationem gas acidum carbonicum accumulatur, ideo aeger praedispositus incidit in animi deliquium, quod sub defectu auxilii congrui transit in asphyxiam. Talis defertur ad aërem liberum, facies ejus perfunditur aqua frigida, vestibus solutis, naribus admoventur odoramenta, acetum simplex vel aromaticum, cepa, allium, cochlearia armoracia, spiritus salis ammoniaci causticus, iisque haud sufficientibus, frictio cutis, inflatio aëris in pulmones, et reliqua stimulantia contra asphyxiam a submersione laudata adhiberi debeat.

Peculiaris est species asphyxiae, quae inducitur per exhalationes foecum, cui expositi sunt cloacarum purgatores in urbibus nonnullis, estque character dynamicus asphyxiae varius, pro diverso statu foecum et pro diversa constitutione individuali hominum. Dum excrementa sunt recentia, tunc exhalatio est acris, inprimis ammonia scatens, ideo per exhalationes eorum excitantur facile coryza

et ophthalmia. Sed simul exhalationes tales continent principium narcoticum ita, ut cloacarum purgatores experiantur temulentiam, vertiginem, capitis calorem majorem, incidantque in lipothymiam, quae cito transit in asphyxiam, sub qua observantur eadem phaenomena, quae producuntur per fumum carbonum, vel per vapores musti fermentantis; excrementa quippe recentia subeunt fermentationem vinosae analogam, ideo asphycticarum talium facies est turgida, livescens, oculi prominentes sanguine suffusi, labia oris livida. Alia observantur phaenomena, dum excrementa jam antiqua sunt, et fermentationem putridam subiverunt, tunc vapor eorum continet inprimis azotum et hydrogenium, estque adeo noxius, ut momento, quo recipitur in tracheam, jam respiratio supprimatur; in talibus non observantur symptomata apoplexiae, sed potius sunt pallidi, cum facie collapsa, sanguine venoso, in parte cordis dextra et pulmonibus accumulato.

Ad evitandam causam asphyxiae hujus necesse est, ut latrinae rite exstruantur, nequaquam clausae, pro ventilatione necessaria caminis instructae sint; cloacarum purgatores ad vaporem noxium corrigendum adhibeant solutionem chloratis calcis vel natri, eluant os et nares aceto, ante os et nares habeant spongiam, aqua et aceto vel solutione chloratis calcis vel natri impraegnatam. Si tamen asphyxia locum habuerit, tunc infelix quo citius fieri potest, extrahendus, in aërem purum deportandus, vestimentis detractis, capite sursum versus elevato collocandus est, aqua frigida perfundendus, dein corpus totum abluatur aceto, capiti applicentur fomenta ex aceto, clysmata quoque ex aqua et aceto adhibeantur. Dum sub gradu asphyxiae majori signa apoplexiae cerebralis evoluta sunt, tunc sanguinis evacuatio suscipi debet per venae-sectionem aut per cucurbitularum cruentarum vel hirudinum applicationem. Dum signa apoplexiae nulla observantur, sed potius facies pallida et collapsa est, tunc a sanguinis evacuatione abstinemus, lotionem tamen corporis cum aqua et aceto, vel solutione chloratis calcis instituimus, pulmonum actionem per inflationem

aëris puri resuscitare conamur, et his per horam sine effectu desiderato adhibitis, in auxilium vocamus successive stimulantia reliqua, ut calefactionem, frictionem, clysmata irritantia, electricitatem et galvanismum.

ASPHYXIA PER STRANGULATIONEM.

§. 198.

Strangulatio perficitur frequentissime per funem collo injectum ex mandato judicum, et tunc infelices tales non constituunt objectum medicinae practicae, licet exempla aliqua adnotata sint etiam talium feliciter resuscitatorum. Sed etiam homines innocentes, subinde infirmi, melancholia gravi correpti semet ipsos suspendunt, vel ab aliis malevolis strangulantur, talibus therapia rationalis promptissime administrari debet, et non raro successus felix obtinetur.

Causa asphyxiae per strangulationem inductae non est semper eadem, propterea nec eadem phaenomena observantur, nec eadem therapia indicatur semper. Subinde causa asphyxiae est tantum constrictio aut compressio tracheae aut laryngis, inprimis apud teneriores, quorum trachea et larynx adhuc mollior est, sic apud infantes per solam pressionem continuatam digiti ope, in adultis dum funis nodo instructus ita applicatur, ut nodus tracheam comprimat, inducitur asphyxia per suffocationem; tunc in collo observantur vestigia compressionis vel constrictionis per sugillationem, corpus universum est pallidum, ipsa labia oris et lingua sunt pallida. In cadavere deteguntur eadem phaenomena, quae in submersis, tantum deest liquidum spumescens, in trachea et bronchiis. Saepe alia causa asphyxiae est, trachea non comprimitur ita, ut omnis respiratio intercipiatur, sed per vinculum collo injectum comprimantur venae jugulares ita, ut refluxus sanguinis a capite impeditus sit; carotides profundius sitae non comprimuntur, ideo sangui-

nis affluxus in encephalon continuat, et sic producuntur signa omnia apoplexiae cerebralis sanguineae. Qui se ipsos ope strophii suspendunt, frequentissime in hanc speciem asphyxiae incidunt, propterea facies illorum turget, livet, oculi ex orbitis protrusi rubent, labia oris et lingua tumida livent, spuma cruenta ante os haeret. In cadavere non tantum vasa cerebri turgida, sed saepe etiam extravasatum reperitur. Dum suspensio perficitur per artis peritos, tunc causa utraque asphyxiae locum habet, subinde etiam tertia accedit, luxatio nempe cum fractura vertebrae colli unius alterius-ve. Mors in suspensis non subsequitur illico, non raro motus extremitatum observatur adhuc per aliquot minuta, subinde erectio penis, inscia evacuatio alvi, urinae et seminis contingunt. Resuscitati referunt, praecedere compressionem capitis, scintillationem oculorum, constrictionem pectoris, et mox conscientiam sui silere.

§. 199.

In casu asphyxiae talis auxilium primum eo convertendum est, ut causa excitans quanto ocyus tollatur; ideo vinculum collum constringens quanto ocyus solvendum est, cautela tali ne infelix lapsu contusionem letalem perpetiatur. Postquam vestimentis omnibus solutis sub situ idoneo adhuc observantur signa aliqua vitae perdurantis, ut respiratio parva stertorosa, pulsus arteriarum minimus, tunc aqua frigida profundimus, et aërem in pulmones inspiramus. Si vero signa adfuerint simul apoplexiae cerebralis, tunc illico sanguinis evacuatio suspicienda est, aut in brachio, aut in pede, aut in vena jugulari, et non raro sub ipsa sanguinis evacuatione, pressione cerebri imminuta, se exerunt vitae suppressae phaenomena; quod si non fiat, vel si apoplexiae signa nulla evoluta fuerint sed potius corpus totum pallidum et frigidum fuerit ita, ut asphyxia tantum propter respirationem suppressam inducta fuerit, tunc sanguinis evacuatione haud necessaria existente, adhiberi debent remedia, per quae respiratio resuscitatur, ut causa suffocationis tollatur, aut aër hominis sani, aut

aër atmosphaericus simplex, aut tardius, ubi fieri potest, aër oxygenius in tracheam impelli debet. Simul dum hoc remedium principale applicatur, etiam reliqua energiam vitae suppressam excitare valentia, ut frictio, calefactio, sensuum externorum, tubi alimentaris irritatio in auxilium vocari debent, iisque haud sufficientibus electricitas et galvanismus indicatus est ita, ut polus unus columnae Voltaianae intra labia oris, alter vero intestino recto imponatur. Deglutitione dein possibili reddita, stimulantia blandissima exhiberi debent.

§. 200.

Similis asphyxia est, dum corporibus peregrinis corpus obruitur, dum infantes per nutricem dormientem comprimuntur, dum pulvinaribus obteguntur, dum homines in fossis, fodinis, aedificiis obruuntur. In omni tali casu causae pectus et tracheam comprimentes quanto ocyus removeri debent, atque methodus resuscitandi eadem adhibenda, quam contra strangulationem commendavimus.

Subinde per corpora peregrina in oesophago haerentia, vel in tracheam delapsa inducitur asphyxia, tunc corpora peregrina ex oesophago excipiuntur aut digiti, aut volselae, forcipis, vel fili metallici in uncum incurvati ope, vel motus anti-peristalticus excitatur, pugno nucham percutiendo, vel titillando fauces penna, digito, vel exhibendo emeticum; si deglutitio impedita sit, tunc solutio tartari emetici injicitur in venam brachialem. Non raro per emesim corpus peregrinum etiam e trachea ejicitur, quod ni fiat, tracheotomia instituenda est.

ASPHYXIA PER CONGELATIONEM.

§. 201.

Species asphyxiae hujus excitatur per frigus ultra modum auctum et diutius in hominem agens. Homo quidem

frigori diu resistere potest, inprimis si robustus est, frigori perferendo jam a teneris assuetus; vestimentis idoneis obtectus, si partes frigori expositas oleo vel sebo inungit, si in frigore non otiosus jacet vel sedet, sed corpus universum motu exercet, si potum spirituosum, crematum parva quantitate, non usque ad ebrietatem sumit, si in ore exiguam quantitatem camphorae tenet. Dum tamen actio frigoris intensi longiori tempore durat, tunc experitur homo in toto corpore sensum ingratum, in partibus frigori expositis dolorem et ardorem, qui teneriores ad fletum acerbum movent, partes corporis externae, ut nasus, auriculae, digiti pedum et manuum, dein facies rubent, non raro livent, sub continuata actione frigoris evadunt insensiles, quasi paralyticae, homo redditur pacatior, pronus in somnum, tandem obdormit profunde, qui status transit in asphyxiam, et in defectu congrui auxilii in mortem veram. Status talis asphycticus perdurat per plures horas, subinde per plures dies, quin vita exstinguatur, ita ut in multis casibus resuscitatio perfici possit. Ob imminutam energiam systematis nervosi per actionem frigoris, imminuitur etiam genesis caloris animalis, ideo organismo communicatur gradus caloris atmosphaerae, initio tantum liquida infra cutim congelantur, ideo corpus evadit rigidum, in partibus internis remanet adhuc calor animalis, et circulatio licet lenta continuat, sed actione frigoris intensiori existente, etiam liquida profundius sita in glaciem mutantur, tunc non raro ruptura vasorum subsequitur, resuscitationem impossibilem reddens.

Causa proxima asphyxiae per congelationem est duplex: prima est defectus stimuli externi, caloris nempe ad vitam necessarii; altera vero est, quod per actionem frigoris circulatio sanguinis in externa superficie corporis impediatur, ideo contingat major congestio in partes internas inprimis in encephalon et medullam spinalem; propterea deteguntur in cadaveribus congelatorum signa apoplexiae praegressae, vasa nempe encephali sanguine turgida, imo non raro rupta.

§. 202.

Indicatio curae congelatorum prima est, ut stimulus subtractus, calor nempe, iterum administretur, ut functio systematis nervosi suppressa iterum revocetur; sed administratio caloris externi debet cautissime suscipi, si pars congelata statim calori majori exponitur, tunc citissime gangraena et sphacelus evolvitur, eadem ratione si totum corpus congelatum cito calori majori exponitur, non resuscitatur, sed in mortem veram, in putredinem transit. Calefactio corporis suscipienda est lentissime, sic dum congelatio partialis est, pernio, tunc parti congelatae applicamus nives, et frictionem instituimus cum nivibus illucusque, donec sensatio partis reversa fuerit, in defectu nivium, imponimus parti congelatae fomenta ex aqua frigidissima frequenter renovata. Dum congelatus invenitur in campo libero, in itinere, et statim ad locum idoneum transferri non potest, interim nivibus praesentibus, facie excepta, totum corpus obtegi debet, dein hominibus sufficientibus advocatis imponitur currui vel trahae vel corbi oblongae, capite sursum versus directo, attentione semper adhibita, ne membra rigida frangantur. Deportatus in locum idoneum, infra tectum vel ad cubile frigidum denudatur, vestimenta, si facile detrahi non possint, caute transcindendo. E nivibus praesentibus paratur lectus, ad altitudinem unius aut duorum peduin, huicque imponitur congelatus nudus, capite aliquantum elevato, totum corpus facie excepta obtegitur nivibus ad altitudinem circiter medii pedis, nives bene apprimuntur cuti, et renovantur tam diu, donec flexibilitas aliqua observatur, tunc instituenda est frictio moderata, nivibus semper recentioribus adlatis; in defectu nivium imponitur aeger aquae frigidae, etiam glacie mixtae, in defectu vasis idonei pro balneo, saltem linteamina aquae frigidae immersa applicantur tam diu, donec flexibilitas aliqua observata fuerit, et tunc ope spongiae aquae frigidae immersae instituitur frictio totius corporis, non raro per solam frigoris applicationem et frictionem moderatam sym-

ptomata asphyxiae dissipantur; dum post applicationem remediorum laudatorum ultra horam continuat asphyxia, tunc inspiratio in pulmones simul suscipi debet per follem simplicem, atque haec pauca remedia continuari debent per tres, quatuor usque sex horas, donec motus labiorum, suspiria, rubor et calor aliquis cutis, arteriarum pulsus vitam reverti docuerint, tunc caloris externi gradus modice augendus est, cutis universa a nivibus siccanda, corpus involvendum linteo sicco frigido, et imponendum lecto frigido, et obtegendum tegmine levi, frictio continuatur et successive linteamina modice calefiunt. Si aeger balneo frigido impositus fuit, tunc signis vitae se manifestantibus, aqua modice calida admiscenda est, continuata frictione et aëris inspiratione, vitae phaenomenis aliquantum magis revertentibus, congelatus lecto imponitur, corpus ejus siccatur, et tegmine parum calefacto obtegitur. Deglutitione possibili reddita, exhibetur infusum tenue vel florum sambuci, vel tiliae, vel chamomillae. Remedia stimulantia contra alias asphyxias commendata in congelato sunt semper noxia. Subinde accidit, ut in congelato resuscitato evolvantur signa febris mitioris inflammatoriae, quae tollitur per methodum anti-phlogisticam mitiorem. Tantum in casibus rarioribus evolvuntur symptomata peripneumoniae, vel encephalitidis vel apoplexiae cerebralis, atque tunc necessaria est sanguinis evacuatio, frequentius observantur in resuscitatis congelatis exulcerationes in diversis partibus, ad quas curandas initio adhibemus emollientia, dein stimulantia, ut terebinthinam, camphoram forma unguenti, vel solutionem chloratis calcis vel natri.

ASPHYXIA A FULMINE.

§. 203.

Fulmen, productum electricitatis atmosphaericae, non raro hominem inopinate aggreditur, atque in statum asphyc-

ticum diversae naturae conjicit. Subinde, quin hominem contingat, per terrorem incussum inducit lipothymiam, tunc facile tollendam. Subinde partes corporis externas lambit, vestimenta lacerat, metalla fors praesentia fundit, cuti maculas diversae figurae inurit, partem unam corporis paralyticam reddit, subinde dislacerat; rarissime corpus totum comburitur, in casu nempe ubi dispositio peculiaris adest ad combustionem spontaneam, qualis producitur per usum spirituosorum excessivum, apud nos haud observata, sed in Gallia, Anglia et Germania adnotata. Subinde fulmen nullo vestigio laesionis praesente hominem conjicit in statum morti simillimum, qui frequenter sub exordio tantum asphyticus est, non raro cito in veram mortem transit. Si fulminis ictus contingit in cubili angusto undique clauso, tunc saepe persentitur odor sulfureus vel phosphoreus suffocans ita, ut exoriatur peculiaris corruptio atmosphaerae haud idoneae pro respiratione, et inde suffocatio locum habeat. Dum fulminis ictus contingit in cubili amplo vel campo libero, ibi corruptio talis aëris haud evenit, sed in plurimis casibus causa asphyxiae est concussio violenta totum corpus pervadens; per talem concussionem electricam saepe saepius energia cordis pro momento exaltatur ita, ut congestio major sanguinis in encephalon fiat, et hinc excitentur symptomata apoplexiae cerebralis; simul per concussionem hanc systema nervosum mutationem subit ita, ut irritabilitas et sensibilitas supprimantur, non raro ex integro exstinguantur, morte vera inducta. Ideo prognosis hujus asphyxiae est infausta, in cadavere reperiuntur vasa cerebri rupta, sanguis extravasatus frequentius in cavo cranii, subinde in specu vertebrarum, subinde in cavo pectoris; in non paucis tamen casibus ruptura haud contingit, tunc mors tantum apparens est, et vita per therapiam rationalem revocari potest.

§. 204.

Speciem hanc asphyxiae nimis periculosam praestat evitare, quem in finem remedium optimum possidemus in

conductoribus a Franklin propositis, quibus aedificia periculis fulminis exposita instrui debent. Utilitatem minorem habent conductores portatiles pro peregrinatoribus propositi. Tempore tempestatis evitari debent loca fulminis actioni magis exposita, ita in cubili non stemus aut sedeamus penes parietem, non prope ad metalla, non infra candelabra metallica dependentia, non infra turrim; praestat in cubili amplo versari in medio, metallis a se remotis, vel insulae electricae insidere; in platea non et prope ad domos ambulandum est, inprimis vitentur canales metallici pluviam excipientes, maxime securum est in medio plateae incedere. In campo libero periculosum est se recipere infra arborem, vel in vicinia aquae commorari. Equo insidenti suademus, ut descendat et in terram decumbat.

Dum cautelis necessariis neglectis fulmine tactum reperimus signis putredinis nedum evolutis, concludimus ad statum asphycticum, ad quem tollendum therapiam rationalem sine mora administramus. Si contingit talis asphyxia in loco angusto, undique clauso, aëre sulfur et phosphorum redolente, tunc potuit suffocatio locum habuisse atque tunc secundum eadem principia, quae nos dirigunt in resuscitandis suffocatis coordinamus therapiam. Si vero infelix talis inveniatur in campo libero, tunc denudatus asphycticus fossae terrae oblongae recenti imponitur, terra corpus totum obtegitur facie excepta, suntque exempla asphycticorum sideratorum in tali balneo terrestri resuscitatorum. Quamprimum plures praesentes sunt ad auxilium ferendum, sideratus transportatur in locum idoneum. Si contingit asphyxia in cubili amplo, tunc statim ibi therapia omnis administranda est. Quia in multis casibus per concussionem electricam inducuntur symptomata omnia apoplexiae cerebralis, ideo tunc sanguinis evacuatio universalis per venaesectionem vel hirudines vel cucurbitulas cruentas instituenda est; simul perfunditur, abluitur, fomentatur corpus aqua frigida, clysmata adhibentur e decocto furfurum cum aqua et aceto, interne exhibetur decoctum hordei cum nitro.

Subinde tamen nulla evolvuntur signa apoplexiae cerebralis sanguineae, sed potius per concussionem systematis nervosi inducitur debilitas, se manifestans per pallorem, faciem collapsam, atque in tali casu stimulantia circumspecte adhibita indicantur, ut frictio, calefactio, inflatio aëris et subinde applicatio electricitatis ac galvanismi.

ASPHYXIA NEONATORUM.

§. 205.

Non raro accidit, ut foetus in utero matris motu vitam suam manifestet, partu autem absoluto, motus nullus, nulla respiratio, nulla circulatio sanguinis observentur, neque tamen neonatus talis vere mortuus, sed in multis casibus tantum asphycticus sit.

Natura individualis asphyxiae hujus variat, ideo etiam diversam therapiam requirit. Subinde causa asphyxiae hujus est tantum mechanica, respirationem impediens, dum infans parvus nascitur adhuc membranae amnios inclusus, tunc membrana haec aperienda est. In nonnullis casibus sub partu funiculus umbilicalis collo circumvolutus tracheam constringit, tunc solutio ejus necessaria est. Subinde os et nares neonati replentur aqua amnios et muco copioso, sicque respiratio impeditur, tunc partes illae mundari debent, digitus linteo madido obvolutus ori imponitur pro muco excipiendo, fauces irritando liquidum evacuatur et respiratio inchoat, quod ni fiat, inflatio aëris suscipienda est illico per hominem sanum, os suum ori infantis admovendo, vel ope tubuli ossei.

Herbold, de vita foetus humani ejusque morte sub partu. Hafniae. 1808.

§. 206.

In non paucis casibus inducitur asphyxia per sanguinem majori quantitate congestum in encephalon ita, ut signa apoplexiae cerebralis locum habeant. Corpus talis neonati est torosum, cutis universa, inprimis faciei praerubra, livescens, vasa colli et capitis turgida, induciturque talis species asphyxiae, si mater fuerit plethorica, partus diuturnus, caput compressum per forcipem vel vectem, si circulatio fuit impedita per funiculum umbilicalem longum, forte nodosum, collo circumvolutum, vel sub partu paenes caput foetus in vaginam prolapsum. In tali casu funiculus umbilicalis transcissus non debet illico ligari, ligatus debet aperiri, et sanguinis quantitas exigua, uncia semis usque unciam unam evacuatur, atque sub ipsa sanguinis evacuatione vitae phaenomena se manifestant.

§. 207.

Nec tamen omnis species asphyxiae a statu plethorico dependet, non raro ob debilitatem parentum, ob morbos matris tempore graviditatis toleratos, ob haemorrhagiam profusam tempore partus contingentem, ob partum diuturnum et difficilem infans nascitur debilis, pallidus, flaccidus et macilentus; tunc ad resuscitationem perficiendam indicata sunt remedia stimulantia caute applicanda. Quamprimum infans natus est, dum adhuc intra femora matris haeret, connexus cum placenta, funiculus umbilicalis deligari non debet, donec signa vitae observata non fuerint, et auxilia congrua statim applicari debent, fomenta calida partim sicca, partim vinosa, frictio moderata, irritatio faucium ope digiti in os impositi scopo mucum extrahendi; etiamsi placenta ex utero evacuata est, funiculus tamen umbilicalis transscindi non debet, sed neonatus una cum placenta balneo tepido ex herbis aromaticis parato imponendus est; tale balneum et funiculo deligato maxime indicatum est, in ipso balneo instituitur frictio moderata, et docente Wie-

gand scopo commotionis moderatae excitandae infans in balneo saepius toto corpore elevatur et iterum demergitur, eodem tempore ad excitandam actionem pulmonum aër inspiratur, post moram aliquam neonatus e balneo excipitur, linteis calidis siccis involvitur, naribus ejus admoventur acetum forte, aether aceti, spiritus cornu cervi, regioni epigastricae, abdomini instillatur ex aliqua altitudine aqua frigida, spina dorsi et extremitates lavantur vino calido vel spiritu aromatico, intestino recto injiciuntur clysmata blande stimulantia ex infuso florum chamomillae vulgaris vel herbae melissae, menthae, cui admiscetur jam vinum, jam spiritus vini, jam spiritus cornu cervi; remediis his minime tumultuarie, sed sine intermissione adhibitis per duas usque quatuor horas, asphyxiae phaenomenis adhuc perdurantibus, remedium efficacissime tentari debet, electricitas nempe aut galvanismus.

G. Ehrhart, Diss. de asphyxia neophytorum. Memmingen. 1789.

Reynier, Diss. de asphyxia neonatorum. Königsberg. 1789.

F. L. Froriep, de methodo neonatis asphycticis succurrendi. Jenae. 1801.

Frétau, Essai sur l'asphyxie de l'enfant nouveau-né. Paris. 1804.

J. M. Forster, Diss. sistens methodum recens notis apparenter mortuis succurrendi. Pragae. 1814.

Guvinsky, de asphyxia neonatorum. Wilna. 1823.

VESANIAE.

§. 208.

Vesania in genere dicitur ille status morbosus hominis, quo praesente exercitium facultatum animae ita perturbatum est, ut in actionibus suis per rationem sanam liberam non determinetur. Occurrunt status tales transitorii in ebrietate, in animi affectu vehementi, in febribus validis, quin hoc nomine insigniantur, tantum dum status talis permanens longiori tempore durat, tunc vocatur vesania, ab aliis insania, delirium, dementia, morbus animae, morbus psychicus, mentalis, paranoia, alienatio mentalis. Morbus hic et antiquis notus jam per Hippocratem, Celsum, Aretaeum, Coelium Aurelianum, Oribasium, Aëtium, a Tralles descriptus, nonnisi seculo XVIII. et XIX. per conatus medicorum indefessos relate ad naturam et therapiam ita illustratus est, ut psychi-jatria partem medicinae extensam constituat.

C. R. de Payva, Epicrisis de affectu atrabilario, seu de morbis cerebri et mentis, qui extra cerebrum originem ducunt. Romae. 1751.

C. A. Kloekhof, Diss. de morbis animi ab infirmato tenore medullae cerebri. Trajecti ad Rhenum. 1753.

de Marcq, Diss. de melancholia. Lugd. Batav. 1754.

W. Battie, a treatise on madness. London. 1758.

A. Arrigoni, della mania, della frenesia e della rabbia. Verona. 1758.

P. Cornachini, Diss. della pazzia. Siena. 1758.

A. C. Lorry, de melancholia et morbis melancholicis. Parisiis. 1765.

B. Fawcett, Observations on the nature, causes and cure of melancholy. Shrewsbury. 1780.

T. Arnold, Observations on the nature, kinds, causes, and prevention of insanity, lunacy or madness. Leicester. 1782, 1786. London. 1806.

T. Arnold, Beobachtungen über die Natur, Arten, Ursachen und Verhütung des Wahnsinns. Leipzig. 1784, 1788.

F. Duncan, Tentamen medicum de insania. Edinburgi. 1787.

— Auserlesene Fälle von verschiedenen Arten des Wahnsinns, nebst ihren Heilarten. Leipzig. 1789.

— Annals of insanity. London. 1803.

— Annalen einer Anstalt für Wahnsinnige. Hannover. 1804.

A. Harper, a treatise on the real cause and cure of insanity. London. 1789.

— Abhandlung über die wahre Ursache und Heilung des Wahnsinns. Marburg. 1794.

P. Pinel, Traité medico-philosophique sur l' aliénation mentale. Paris. 1791, 1801, 1809.

— Philosophisch-medizinische Abhandlung über Geistesverirrungen oder Manie. Wien. 1801.

W. Pargeter, Observations on maniacal disorders. London. 1792.

— Theoretisch-praktische Abhandlung über den Wahnsinn. Leipzig. 1793.

V. Chiarugi, Trattato della pazzia in genere ed in specie. Firenze. 1793. Torino. 1808.

— Abhandlung über den Wahnsinn überhaupt und insbesondere. Leipzig. 1795.

J. H. Masius, Commentarius medico-psychologicus de insania in genere, praesertim de insania universali. Göttingae. 1796.

J. G. Langermann, de methodo cognoscendi curandique animi morbos stabilienda. Jenae. 1797.

A. Crichton, Inquiry into the nature and origin of mental derangement. London. 1798.

— Über die Natur und den Ursprung der Geisteszerrüttung. Leipzig. 1798, 1810.

J. Haslam, Observations on insanity, with practical remarks on that disease. London. 1798.

— Beobachtungen über den Wahnsinn. Stendal. 1800.

M. A. Weickard, Philosophische Arzneikunst, oder von den Gebrechen der Sensationen, des Verstandes und des Willens. Frankfurt. 1799.

J. C. Hoffbauer, Untersuchungen über die Krankheiten der Seele. Halle. 1802, 1803, 1807.

J. M. Cox, Practical observations on the insanity and considerations on the manner of treating diseases of the human mind. London. 1804, 1808, 1813.

— Praktische Bemerkungen über Geisteszerrüttung. Halle. 1811.

A. Winckelmann, Archiv für Gemüths- und Nervenkrankheiten. Berlin. 1805.

J. C. Reil, Rhapsodien über die Anwendung der psychischen Kurmethode auf Geisteszerrüttungen. Halle. 1803.

Reil und Kayssler, Magazin für die psychische Heilkunde. Berlin. 1805.

Reil und Hoffbauer, Beiträge zur Beförderung einer Kurmethode auf psychischen Wege. Halle. 1807—1810.

Autenrieth, Diss. de natura maniae. Tübingae. 1806.

A. Heindorf, Versuch einer Pathologie und Therapie des Geistes- und Gemüthskrankheiten. Heidelberg. 1811.

F. E. Fodéré, traité du délire, appliqué à la médecine, à la morale et à la législation. Paris. 1816.

J. G. Spurzheim, Observations on the deranged manifestations *of the mind, or the insanity.* London. 1817.

— Beobachtungen über den Wahnsinn und die damit verwandten Gemüths-krankheiten. Hamburg. 1818.

J. C. A. Heinroth, Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens, und ihrer Behandlung. Leipzig. 1818.

A. M. Vering, von den psychischen Krankheiten und ihrer Heilart. Leipzig. 1821.

M. Georget, de la folie. Paris. 1820.

— Über die Verrücktheit. Leipzig. 1821.

K. G. Neumann, die Krankheiten des Vorstellungvermögens, systematisch bearbeitet. Leipzig. 1822.

F. Nasse, Zeitschrift für psychishe Ärzte. Leipzig. 1818—1826.

M. Jacobi, Sammlung für die Heilkunde der Gemüthskrankheiten. Elberfeld. 1822, 1825.

J. Frank, Praxeos medicae universae praecepta Partis II. vol. I. pag. 690.

Esquirol, allgemeine und specielle Pathologie und Therapie der Seelenstörungen, frei bearbeitet nach den betreffenden Artikeln im *Dictionnaire des sciences médicales* von K. C. Hille. Leipzig. 1827.

G. M. Burrows, Commentaries on the causes, forms, symptoms and treatment moral and medical of insanity. London. 1828.

L. Buzorini, Grundzüge einer Pathologie und Therapie der psychischen Krankheiten. Stuttgart und Tübingen. 1832.

J. B. Friedreich, Synopsis librorum de pathologia et therapia morborum psychicorum. Heidelbergae et Lipsiae. 1830.

— Allgemeine Diagnostik der psychischen Krankheiten. Würzburg. 1832.

— Systematische Literatur der ärztlichen und gerichtlichen Psychologie. Berlin. 1833.

F. Amelung, u. F. Bird, Beiträge zur Lehre von den Geisteskrankheiten. Darmstadt u. Leipzig. 1832.

§. 209.

Ut naturam vesaniae cognoscere valeamus, oportet ante omnia symptomata morbi mente attenta colligere. In omni vesania character generalis est exercitium facultatum animae abnorme, aberratio ab usu rationis recto, ideo vocatur delirium, id est a lira seu sulco seu linea recta aberratio. Frequenter observamus facultatem repraesentativam esse in statu abnormi, saepe est valde imminuta, suppressa, quasi paralytica ita, ut aeger nullas repraesentationes, nullas ideas sibi formare valeat, ideo attentio, memoria, imaginatio, judicium, ratiocinatio nulla vel in gradu valde exili praesentia se manifestent, quod in fatuis, stupidis, idiotis, cretinis animadvertitur.

Saepe facultas repraesentativa praesens quidem est, sed exercetur perverse, objecta imaginationis exaltatae habentur pro realibus, et propterea repraesentationes, ideae objectis minime respondent, judicia, et ratiocinia sunt plus minus-ve erronea, ita talis vesanus saepe amicum optimum considerat ut inimicum, benefactorem ut persecutorem, sacerdotem in vestitu nigro ut diabolum, domum propriam non cognoscit, sed putat esse jam palatium jam carcerem. Multi judicium erroneum ferunt de sua personalitate et somatica et morali, ita referunt observatores de vesanis, qui putabant corpus suum constare e luto, ideo non sunt ausi

bibere, alii putabant se esse e butyro; unus persuasus fuit se habere nasum tam longum ut elephas, ideo non est ausus exire ne conculcaretur; alter eruditus opinabatur se habere crura vitrea, ideo non est ausus surgere, ne confringantur; unus non est ausus urinam mittere, ne diluvium exoriatur. Aliqui vesani putant, se in abdomine habere ranas vel serpentes, alii defendunt, se dignitatibus magnis ornatos, Imperatores, Reges, Cardinales esse, alii fortunae donis circumdati de paupertate nimia conqueruntur, alii defendunt, se videre Deum, Virginem sanctam, Angelos et cum illis colloquuntur etc. Sub primo exordio morbi percipiunt aegri mentis vacillationem et dicunt, se anxios esse, ne stulti evadant, morbo vero increscente, nullus eorum agnoscit judicium suum erroneum, nec argumentis ullis persuaderi possunt. Plurimi aliorum vesaniam cognoscunt, propriam nullo modo; ita refert Pinel de uno, qui in Bicètre peregrinos circumduxit, iisque ut homo sanae mentis vesanias sociorum exposuit, donec ad unum venisset, indicans eum esse maximum stultum, cum se putaret esse Ludovicum XVI, qui tamen ipse solus esset.

Saepe accidit, ut objectum vesaniae, de quo judicium erroneum fertur, et quod etiam ad actiones erroneas determinat, tantum sit unicum; dum de aliis objectis cunctis judicium profertur rectum, dicitur monomania. In multis vero objectum vesaniae minime fixum, sed vagum est ita, ut continuo aliis aliisque objectis occupentur, et ideo nulla constantia in sermonibus, nulla in actionibus, sed volubilitas continua locum habeat. Memoria plurimorum est ita abnormis, ut eorum, quae ante morbum acciderunt, plane non meminerint, nec illos, quos tenere amabant cognoscant, tantum memoriam habeant eorum, quae tempore morbi accidunt; morbo superato revertitur memoria prior ita, ut vita psychica vesani sit ex toto distincta a vita sani. Non pauci retinent recordationem eorum, quae tempore vesaniae ipsi egerunt, et quae cum ipsis acta sunt, quae recordatio valde ingrata est. Subinde tempore vesaniae facultates mentis ita exaltatae sunt, ut aegri orationes, poë-

mata conscripserint, combinationes novas detexerint, quae sani praestare haud poterant.

Dum ita facultas repraesentandi vario modo a statu normali recedit, observamus etiam facultatem sensitivam plus minus-ve deflectere; aliqui sunt summe indifferentes; alii in suo infortunio se existimant felices, sunt continuo laeti, etiamsi tristissima audiant vel videant, continuo rident, cantant, tales vocantur stulti jucundi. Alii continuo moerore afficiuntur, continuo flent, suspirant, vocantur melancholici.

Simul facultas appetendi, voluntas, est vario modo abnormis; aliqui nullam voluntatem habent, ad nullam actionem se determinare possunt, nisi admoneantur nihil faciunt, continuo eundem situm retinent; alii habent voluntatem valde pronam, sed quae non determinatur per rationem sanam, sed per sensationem, per animi affectus, saepe per iram, atque tales perficiunt actiones vehementes, continuo vociferantur, blasphemant, omnia destruere, vincula lacerare, aliis violentas manus inferre, subinde in semet ipsos saevire conantur, dicuntur furiosi, talisque insultus per plures horas, subinde septimanas, imo menses excurrit, exeruntque tunc fortitudinem nimiam. Simul tamen anxietatem habent singularem ita, ut dum conspiciunt medicum vel praefectum instituti vel plures homines fortes, vel si audiunt strepitum catenarum, statim terrefiant; quia observant, ab omnibus hominibus, quibuscum vivunt, impedimenta poni ad plana eorum exequenda, ideo sunt valde diffidentes. Multi in statu sano homines mansuetissimi, mania correpti evadunt crudelissimi, parentes, conjuges, proles, quas antea tenerrime amarunt, crudelissime trucidant. Subinde maniam occultant, quin observentur, clam et saepe diu praeparant omnia ad propositum suum exequendum. Saepe homines in statu sano castissimi, morbo hoo correpti, omnem sensum decoris et castitatis amittunt, corpus denudant, genitalia contrectant, et nisi summa adhibeatur attentio, pollutionem perficiunt, qua morbum multum exasperant.

§. 210.

Accidit subinde ut in vesanis praeter perturbationem in exercitio facultatum animae conspicuam, in organismo reliquo nullus prorsus status abnormis detegatur ita, ut in corpore apparenter sano mens sit insana; longe saepius tamen ob nexum intimum, quem psyche cum corpore alit, inprimis ope systematis nervosi, evolvuntur diversa phaenomena somatica pro diversitate vesaniarum, et quidem sensus externi sunt saepe ita stupidi, obtusi, ut per stimulos etiam majores diversis sensuum organis applicitos nulla sensatio excitetur, quod observatur in fatuis, idiotis, cretinis; subinde locum habet idem status in melancholicis et maniacis, in quibus attentio omnis concentratur tantum ad unum vel ad pauca objecta delirii. Saepe in talibus inprimis obtusus est sensus coenaesthesis ita, ut de statu corporis sui nullam vel valde debilem sensationem habeant, propterea nec famem, nec sitim sentiant, nisi alimenta et potulenta eis ingerantur, ab iisdem diutissime abstineant; nec tamen hoc phaenomenon semper symptoma est torporis, sed potius animi obstinati, quod fame se enecare velint, ut exempla plura collegerunt Pinel et Esquirol. Apud multos magna est insensilitas cutis, propterea saepe corpus suum crudeliter dilaniant, perferunt applicationem causticorum, epispasticorum, cantharidum, ferri candentis, quin doloris sensationem vel minimam prodant. Saepe imminuta est sensibilitas erga actionem pharmacorum, in specie emetica et purgantia drastica, subinde dosi enormi exhibita effectum nullum exerunt. Similem insensibilitatem ostendunt erga temperaturam externam; multis frigus externum gravissimum est; hyeme gelidissima se denudant, nudipedes cum solatio summo in nivibus deambulant, aqua gelida corpus suum abluunt, et aquam frigidissimam hauriunt. Nec tamen amor talis frigoris omnibus vesanis proprius est, tantum sub insultu maniaco graviori, dum ardore interno torquentur, tunc experiuntur sensationem gratam et utilitatem a frigore; insultu maniaco remittente, ardore interno

exstincto, sequitur desiderium et necessitas caloris externi; Pinel refert, vesanos non paucos tempore hyemis tantum ob defectum caloris necessarii exstinctos fuisse; multi tempore hyemis advolant ad fornacem calefactum, et nisi cautela debita adhibeatur, se facile amburunt. Sensibilitas corporis minime semper imminuta, imo saepe potius exaltata est, ita vesani saepe experiuntur dolores capitis intensos, jam longiori etiam tempore ante vesaniae evolutionem manifestam; multi conqueruntur de sensu ardoris in regione epigastrica et hypogastrica, unde nonnulli sedem vesaniae quaesiverunt in abdomine. Non raro sensus famis et sitis morbose exaltatus est, ita, ut quidquid vesani habere possint, illud avide ingerant, nonnulli etiam excrementa propria deglutiant; non pauci singulari desiderio feruntur in potus spirituosos, multi in nicotianam tabacum; ideo in girgatis a peregrinis vesani pulverem eum, aut pro eo emendo pecuniam expetunt. Non raro sensibilitas organorum visus, auditus, olfactus, gustus ita exaltata est, ut a luce vel strepitu, vel stimulis aliis majoribus non tantum sensationes dolorificae excitentur, sed subinde ipsa vesania silens provocetur. Functiones musculorum vario modo sunt abnormes, in nonnullis adest tremor jam unius jam plurium partium, in multis propensio continua musculos voluntarios exercendi, ideo inquieti se continuo motitant, non raro convulsiones vel spasmi tonici comparent; subinde torpor potius adest muscularis ita, ut difficulter ad motum excitentur, et partis jam unius, jam plurium paralysim exhibent, functiones vitae organicae plus minus-ve abnormem statum manifestant, saepe masticatio est imperfecta, quidquid vesani ori ingerunt, quin masticent, statim avidissime deglutiunt, ideo in multis digestio est minus perfecta, gastralgia, vomituritio, vomitus, lingua impura, flatulentiae, enteralgiae, alvus obstipa, quod praeprimis observatur in melancholicis, quorum alvus subinde per plures septimanas obstipa est. Urina variat et quantitate et qualitate, saepe pellucida, excolor, aquosa, saepe turbida et sedimento vario instructa; varia est etiam perspiratio

cutis, quae jam sicca tangitur, jam sudore copioso perfunditur, estque non raro odor materiae perspirabilis vesani peculiaris; foetor tamen ab auctoribus diversis adnotatus maxime tribui debet defectui munditiei, inprimis in gyrgathis, in quibus aegri vesani non pauci alvum urinamque ubique deponunt. Dum munditiei cura scrupulosa habetur, ut in gyrgathis plurimis Angliae, ibi odor ingratus vix observatur. Somnus in multis vesanis pacatus diu protrahitur, saepe somno privantur omni per septimanas, menses, aut saltem somnum brevem et illum inquietum habent. Habitus externus in vesanis nonnullis, ut in fatuis et stupidis, nutritione corporis perdurante, satis laudabilis est, apud plures tamen nutritio corporis deterior redditur, corpus emaciatur, color cutis pallidus, tumore simul oëdematoso praesente statum cachecticum indicat. Physiognomia vesanorum ab ea sanorum ita distincta est, ut ex lineamentis faciei distingui possint species diversae vesaniae. Neque tamen natura individualis cognoscetur, nisi etiam causae vesaniae erutae fuerint.

§. 211.

Producuntur vesaniae per causas multiplices; observatio tamen docet, homines non paucos, quibuscunque potentiis nocentibus expositos vesanos nunquam evadere, dum alii post influxum causarum etiam leviorum cito rationis usu libero privantur; unde sequitur, dispositionem peculiarem in hunc morbum non raro locum habere. Dispositio talis non raro a parentibus haereditate propagatur in soboles, nam observationes complures a Perfect, Haslam, Pinel et Esquirol adnotatae testantur, morbum hunc familiis non paucis ita proprium fuisse, ut in prolibus eodem fere aetatis anno eadem species vesaniae evoluta fuerit, qua pater vel mater, subinde avus vel avia affecti fuerunt. Esquirol adducit anno 1811 et 1812 in Salpétrière e mulieribus pauperioribus vesanis 858 in morbum hunc incidisse 105 propter dispositionem haereditariam. In proprio instituto vesanis ditioribus curandis destinato inter 574

dispositio haereditaria comprobata fuit in 150. Unde recte concluditur, dispositionem haereditariam ad vesaniam frequentiorem esse inter opulentos, quam inter pauperes. Gall conservavit casum memorabilem a Gaubio observatum viri unius, qui laboravit desiderio invincibili carnes humanas comedendi, et ideo multas caedes perpetravit; filia ejus unica adhuc tenella a patre separata, et sub adjunctis rerum longe diversis educata, tamen in eandem incidit vesaniam.

Saepe in parentibus nulla signa vesaniae observantur, proles tamen generantur cum dispositione tali, quae evolvitur in utero matris per causas diversas, evolutionem organismi foetus in utero peculiariter abnormem reddentes, sic subinde ebrietas parentum tempore ipsius conceptionis, morbi graves matris tempore graviditatis tolerati, violentiae mechanicae abdomini matris illatae, inprimis animi affectus ingrati influxum exerunt noxium, propterea tempore revolutionis Gallicae proles multae generatae sunt cum dispositione ad vesaniam.

Saepe nascitur homo cum dispositione ad sanitatem hominis totius tam somaticam, quam psychicam, sed per educationem primam tam physicam quam psychicam inducitur dispositio ad morbos varios, subinde ad vesanias, dum per educationem minus rationalem evolutio corporis debita impeditur, torpor, debilitas vel sensibilitas morbosa excitantur, dum educatio moralis omnis negligitur, intellectus totus incultus relinquitur vel perverse exercetur, dum in infantibus jam animi affectus varii excitantur, ut ira, vindictae studium, cupiditas nimia opum vel honorum, ambitio, superbia, invidia, cupiditas nimia aliis complacendi, dum teneris conceditur omne, quidquid sensus eorum appetunt, et non assuefiunt ad desideria sua rationi subjuganda, tunc et aetate adultiore jugum rationis facile excutitur, et per animi affectus vesania excitatur.

Dispositionem congenitam promovet evolutio corporis successiva; in aetate tenera infantili ac puerili praeter fatuitatem, idiotismum, cretinismum, rarissime observantur vesaniae. J. Frank anno 1802 invenit in nosocomio S.

Lucae puerum mania jam per duos annos affectum, Esquirol tres casus habuit, scilicet pueri unius octo, alterius novem et tertii undecim annorum mania correptorum. Aetas maxime favens vesaniis est a tempore pubertatis usque incipientem senectutem; ea nempe vitae periodo homo plurimis exagitatur animi affectibus. Qui aetatem senilem attigerunt mente sana, dispositionem minorem habent in vesaniam, animi affectus sunt minus vehementes, ratio per experientiam vitae anteactae firmior evadit. Interim occurrunt et senes stulti, plures evadunt fatui, sed non pauci etiam in melancholiam, monomaniam vel maniam incidunt, nam et senes subinde torquentur animi pathematibus, ambitione, superbia, avaritia, amore, etc. Ita in Salpétrière curata fuit vetula maniaca una octuaginta, altera octuaginta unius annorum. Quod sexum concernit, secundum observationes in Anglia et Germania factas, differentia relate ad numerum vesanorum vix observatur, in Gallia tamen numerus mulierum vesanarum semper major est quam virorum, cujus causa probabilis est, quod organismus muliebris sit magis sensibilis et irritabilis, ob teneritudinem majorem systematis nervosi, propterea etiam phantasia mulierum est magis exaltata, affectuum potentia major, rationis vero minor. Nec sexus foemineus omni tempore aequalem dispositionem habet in hunc morbum: major est ea tempore fluxus catamenialis, ut exemplum memorabile refert Esquirol de puella sana, quae dum in horto sedebat tempore fluxus catamenialis, fulminis ictu in vicinia contingentis maxime territa, fluxusque catamenialis illico suppressus fuit, et statim mania gravissima locum habuit, quae per plures menses duravit, fluxu catameniorum revertente disparuit; sic major est dispositio tempore graviditatis, ut exempla multa collegerunt Perfect, Pinel et Esquirol. Aliquae mulieres statim post conceptionem vesanae evadunt, duratque status hic morbosus subinde tantum per paucas septimanas, subinde per plures menses, subinde usque partum, quo subsecuto vesania cessat. Casus rariores sunt, ubi mulier tempore graviditatis et lactationis mentem

exhibet sanam, et peracta ablactatione insanit. Non raro tempore puerperii et lactationis per causam qualemcunque fluxum lochiorum aut lactis impedientem exoritur vesania puerperarum et lactantium, de qua observationes plures communicavit Esquirol. Dum fluxus catameniorum cessat, incipiente aetate senili, non raro evolvitur vesania, inprimis in illis, quae antea formosae adoratoribus circumdatae fuerunt, dum se minus venerari experiuntur, tristes et melancholicae evadunt, nonnullae tunc per pietatem excessivam in superstitionem et fanatismum incidunt.

Inter causas praedisponentes pertinet etiam clima et anni tempus; observatores plurimi consentiunt, vesanias frequentissime occurrere sub zona temperata, rariores sub zona gelida et torrida, in quibus temperatura externa magis aequabilis etiam temperaturam animi magis aequabilem conservat. Sub zona temperata plurimae vesaniae evolvuntur aestate, licet nulla sit pars anni, in qua morbus non comparuisset. Subinde constitutio atmosphaerae est peculiaris epidemica, quae producit saltem dispositionem late extensam in vesanias, nam subinde integra loca, integrae provinciae, integrae gentes specie una vesaniae corripiuntur, quod observamus tempore revolutionum magnarum, quas hominum genus subit. Ita numerus vesanorum major in Anglia repetitur a climate, ab aëre nebuloso et humido. Nec tamen haec causa sola accusari potest, sed cultura major in artibus et scientiis, quo majorem enim gens aliqua gradum culturae attigit, eo plures numerat vesanos. Minime quidem ipsa cultura artium et scientiarum vesaniam excitat, sed per eam recte institutam potius evolutio morbi gravissimi impeditur, tantum dum cultura erronea est, facultatibus individui minime respondens, tunc desideria hominum augentur, necessitates vitae multiplicantur ita, ut expleri saepe non possint, affectus animi reddantur intensiores, qua ratione in urbibus populosis cum luxu increscente et numerus vesanorum increscit.

Esquirol, de l'aliénation mentale des nouvelles acconchées et des nourrices (Annuaire médico-chirurgicale des hopitaux de Paris 1819, pag. 600).

§. 212.

Dispositione praesente causae excitantes diversae provocant vesanias, non raro aër atmosphaericus, et quidem subinde temperatura ejus exaltata per radios solis urentes caput aestate fervida ferientes, subinde etiam per calorem furni, longe frequentius tamen per frigus intensum excitata fuit vesania: Esquirol et Fodéré referunt, multos Gallos anno 1812 ab expeditione infelici e Russia reversos vesanos redditos fuisse, acsi cerebrum eorum congelatum fuisset. Subinde alimenta qualitate peccantia, dum panis paratur e farina corrupta, plantis venenatis, secali cornuto, lolio temulento, raphano raphanistro inquinata, vel dum cibis aliis per ignorantiam aut malevolentiam immiscentur venena varia, arsenicum, plumbum, cuprum, vel fungi venenati, herbae venenatae, cicuta, hyoscyamus, belladonna, opium, vel si potulenta spirituosa dosi excessiva fuerint ingesta, quod inprimis de cremato adnotatum est, post cujus usum excessivum evolvitur delirium tremens seu insania potatorum. Subinde provocatur morbus per violentias mechanicas capiti illatas, per motum corporis nimium, frequentius tamen per otium, inprimis in illis, qui prius laboribus assueti fuerunt, ita refert Perfect historiam mercatoris Angli, qui a tenera aetate continuo laboribus perficiendis assuetus itinera multa per maria suscepit, tandem post quadragesimum annum aetatis opibus abundans in dulci otio vitae delicias quaesivit, sed jam post quatuor menses incepit persentire inquietudines, anxietates, calores, cephalaeas, insomnia terrifica, atque intra breve tempus incidit in maniam furiosam. Ita Pinel et Esquirol conservarunt historias plurium militum Gallorum, qui expeditiones in provincias diversissimas cum summis molestiis connexas perfecerunt ita, ut cum sanitate firma et gloriam bellicam et opes sibi meruerint; postquam spoliis onusti in patriam reversi in otio frui intendebant fructibus laborum suorum, per solum hoc otium non pauci vesani evaserunt.

Frequenter causae excitantes vesaniae sunt status morbosi diversi in organismo, per quascunque causas producti; ita inflammationes meningum cerebri vel organorum sensuum externorum, morbi graves cordis, pulmonum, frequentius adhuc morbi viscerum abdominalium causam excitantem vesaniae constituunt, propterea jam antiqui, ut Hippocrates, Aretaeus, Galenus causam proximam vesaniarum assignarunt esse in abdomine et quidem in atra bile. Recentissime Pinel docuit, sedem morbi principalem esse in cavo abdominis, et quidem in plexu solari. Illud saltem certum est, causam excitantem morbi saepe in abdomine residere, per morbos diversos ventriculi et tubi intestinalis, per saburras, vermes intestinales, per morbos hepatis, lienis, systematis venae portarum, renum, vesicae urinariae, inprimis per morbos organorum genitalium frequenter provocantur vesaniae; non raro idem efficitur subinde per febres tam continuas, quam intermittentes, charactere nervoso praeditas, per typhum contagiosum, per efflorescentias cutaneas tam acutas quam chronicas, ut scarlatinam, morbillos, erysipelas, tineam, scabiem, lepram, plicam Polonicam, pellagram, inprimis dum tales efflorescentiae ante morbi resolutionem e cuti evanescunt, ita etiam post ulcera habitualia exsiccata, post secretiones et excretiones habituales, ut catamenia, lochia, haemorrhoides, lac, sudorem habitualem suppressos evolvitur non raro vesania; subinde evacuationes nimiae, ut haemorrhagiae, sudor excessivus, inprimis autem profusio succi genitalis in sexu utroque pertinet ad causas frequentiores vesaniae. Subinde syphilis, nevroses diversae, inprimis apoplexia et epilepsia terminantur in vesaniam.

Dum causas enumeratas somaticas in casu individuali exquirimus, attente procedere debemus, ne judicium erroneum feramus, ut distinguamus rite effectum a causa; scilicet saepe status morbosi in organismo observati non sunt causa sed effectus vesaniae, ita alvus obstipa, cutis sicca, pervigilium sunt frequenter effectus vesaniae, sed non raro status morbosus in organismo existens a vesania distinctus

per causam aliam inducitur et sustentatur, ut febris, inflammatio, vel alter morbus.

Licet per observationes complures extra dubium positum sit, vesanias non raro induci actione causarum *physicarum enumeratarum*, eaedem tamen observationes docent, causas psychicas longe efficaciores esse ita, ut in genere duae tertiae partes vesaniarum per causas psychicas provocentur. Subinde adstrictio mentis nimia, vires individui superans vel in objectum unum longiori tempore directa vesaniam excitat, ut observamus in iis, qui nova moliuntur, vel aliquid inauditi detegere satagunt. Pinel refert casum memorabilem horopoei, mechanici insignis, qui dum insudavit mobile perpetuum detegendo, vesanus redditus est; persuasus nempe fuit, se tempore revolutionis Gallicae innocentem fuisse in vincula conjectum, et cum pluribus aliis ad mortem condemnatum, postquam caput ejus per guilotinam abscissum fuisset, tunc judices cognovisse innocentiam ejus, et carnifici demandasse, ut caput ejus apponeret iterum trunco, per errorem caput alterius fuisse trunco impositum, et illico concretum, quae idea vivide revertens semper insaniam furiosam provocavit. Rarius incidunt in vesaniam, qui occupantur objectis ut plurimum tantum rationem exercentibus, ut mathematici, naturae curiosi, medici; frequentius observatur morbus in iis, qui imaginationem, phantasiam magis exercent, ut sunt poëtae, pictores, musici, comici. Frequentissime excitatur vesania per animi affectus, rarius per gratos, adferuntur quidem exempla vesaniarum per gaudium magnum excitatorum, sed tunc in pluribus casibus simul alter animi affectus ingratus evolutus est, causam probabiliorem morbi constituens; ita Esquirol refert historiam viri juvenis, qui mensae assidens inopinate a ministro avunculo suo accipit nuncium de officio splendido et utili collato, illico persentit cephalaeam intensam pectoris anxietatem magnam, et cito vesania evoluta est, non ob gaudium, sed ob tristitiam magnam, quia obtento hoc officio amicam carissimam deserere debuisset. Alter antea pauper, dum subi-

o magnam summam pecuniae accepit vesanus evasit, on ob gaudium, sed ob timorem et sollicitudinem nimi- m, ne fures auferant pecuniam. Ita tristitia e diversis ausis orta, amor infelix, metus, terror, desperatio, ira, iscordiae domesticae, revolutiones tam politicae quam re- igiosae vesanias excitant. Subinde ipsa conversatio cum esanis instar contagii psychici eundem morbum producit; ic Sauvagés refert exemplum monasterii in Gallia, ubi ioniales omnes in speciem vesaniae inciderunt eandem, utarunt se in cattos transmutatas esse, ideo ejularunt mnes ut catti. Subinde causae et somaticae et psychicae imul concurrunt ad vesaniam producendam, ita Pinel et. Esquirol referunt observationes plures de puellis inno- entibus vesania correptis, quod per viros barbaros bruta- es defloratae fuerant, ita subinde etiam mulieres optime noratae viro amato matrimonio junctae, post primum coi- um in vesaniam inciderunt, partim ob corporis irritatio- nem, partim ob animi commotionem.

In singulo casu individuali conamur causas tam prae- disponentes quam excitantes exquirere, ut possimus causam proximam morbi definire, Heinroth defendit, eam resi- dere in anima, et quidem in voluntate perversa a Deo et Religione vera aversa, hominem illuc usque sanae mentis esse, quousque innocens, bonus et religiosus manet, quam- primum immoralis evadit, statim insanit. Interim observa- tiones castae sine praejudicio omni institutae nos convincunt, causam proximam vesaniarum esse somaticam; anima nobis est immaterialis, morborum haud capax, exercitium tantum facultatum animae redditur abnorme, quod organa, quorum ope animae facultates exeruntur, in statum abnormem con- jiciuntur. Totus quidem organismus concurrit ad perficien- dum exercitium functionum animae, praecipuum tamen or- ganon ejus est systema nervosum. Post investigationes di- ligentia stupenda et in hominibus et in animalibus a Gall institutas diversitas exercitii facultatum animae depen- det a diversa fabrica cerebri, et disquisitiones anato- mico-pathologicae demonstrarunt, in cadaveribus vesanorum

to magnam summam pecuniae accepit vesanus evasit, non ob gaudium, sed ob timorem et sollicitudinem nimiam, ne fures auferant pecuniam. Ita tristitia e diversis causis orta, amor infelix, metus, terror, desperatio, ira, discordiae domesticae, revolutiones tam politicae quam religiosae vesanias excitant. Subinde ipsa conversatio cum vesanis instar contagii psychici eundem morbum producit; sic Sauvagés refert exemplum monasterii in Gallia, ubi moniales omnes in speciem vesaniae inciderunt eandem, putarunt se in cattos transmutatas esse, ideo ejularunt omnes ut catti. Subinde causae et somaticae et psychicae simul concurrunt ad vesaniam producendam, ita Pinel et Esquirol referunt observationes plures de puellis innocentibus vesania correptis, quod per viros barbaros brutales defloratae fuerant, ita subinde etiam mulieres optime moratae viro amato matrimonio junctae, post primum coitum in vesaniam inciderunt, partim ob corporis irritationem, partim ob animi commotionem.

In singulo casu individuali conamur causas tam praedisponentes quam excitantes exquirere, ut possimus causam proximam morbi definire, Heinroth defendit, eam residere in anima, et quidem in voluntate perversa a Deo et Religione vera aversa, hominem illuc usque sanae mentis esse, quousque innocens, bonus et religiosus manet, quamprimum immoralis evadit, statim insanit. Interim observationes castae sine praejudicio omni institutae nos convincunt, causam proximam vesaniarum esse somaticam; anima nobis est immaterialis, morborum haud capax, exercitium tantum facultatum animae redditur abnorme, quod organa, quorum ope animae facultates exeruntur, in statum abnormem conjiciuntur. Totus quidem organismus concurrit ad perficiendum exercitium functionum animae, praecipuum tamen organon ejus est systema nervosum. Post investigationes diligentia stupenda et in hominibus et in animalibus a Gall institutas diversitas exercitii facultatum animae dependet a diversa fabrica cerebri, et disquisitiones anatomico-pathologicae demonstrarunt, in cadaveribus vesanorum

semper adfuisse aliquem statum abnormem, sive in ossibus cranii, sive in meningibus, sive in vasis vel ipsa substantia cerebri ita, ut nobis summe probabile sit, per causas diversas excitantes semper induci statum dynamico-organicum abnormem systematis nervosi et inprimis cerebri, atque in propensione ad hunc statum consistere dispositionem in vesaniam, et statum eundem exaltatum constituere causam proximam vesaniae. In quo consistat status is dynamico-organicus abnormis, huc usque definire haud valemus, characterem tamen dynamico-organicum vesaniae cum probabilitate cognoscere possumus, si attentionem convertimus in decursum morbi, qui pro diversitate causarum et individui variat.

P. C. Hartmann, der Geist des Menschen in seinen Verhältnissen zum physischen Leben, oder Grundzüge zu einer Physiologie des Denkens. Wien. 1820.

M. Lenhossék, Darstellung des menschlichen Gemüths, in seinen Beziehungen zum geistigen und leiblichen Leben für Ärzte und Nichtärzte höherer Bildung. Wien. 1834, 1334.

J. L. Alibert, Physiologie des passions, ou nouvelle doctrine des sentiments moraux. Paris. 1825.

§. 213.

Saepe in decursu morbi totius distingui possunt stadium prodromorum, stadium vesaniae incipientis, stadium morbi perfecte evoluti et stadium decrementi.

Subinde dum causa excitans morbi nimis violenta fuit, vesania evolvitur citissime, longe frequentius tamen evolutio talis lenta est, aeger sentit jam per plures septimanas, subinde annos sanitatem suam et physicam et psychicam turbari, quae aberratio a statu normali saepe observatoris attentionem effugit ita, ut videatur morbus subito evolutus fuisse; sic refert Esquirol historiam mulieris, quae cum omnibus signis sanae mentis officia sua omnia diligenter perfecit, tantum ab aliquo tempore devotionem solito majorem exhibuit, postquam semel interfuerat sermoni sacro missionarii cujusdam zelosi, incidit illico in

maniam. Causa certo ultima excitans morbi fuit sermo ille missionarii, sed devotio insolita praegressa jam constituit stadium primum morbi. Idem auctor refert de viro juvene opulento, qui sex septimanis ante partum uxoris sibi carae sine causa cognita suscepit iter longum duorum annorum, in itinere expertus est aliquas molestias, et sexto mense incidit in maniam; certo jam ipsa susceptio itineris stadium primum morbi constituebat. Georget adnotat exemplum puellae nobilis, cujus parentes per infortunium inexpectatum pauperes redditi sunt ita, ut filia antea omnibus vitae commoditatibus assueta labores perficere debuerit diversos, ut sortem suam parentumque redderet magis tolerabilem: sanitas aliquo tempore illaesa mansit, sed dein in tristitiam incidit, sub qua evolvebatur idea, quod illa sit causa infortunii parentum, quod Deum offenderit, ideo coepit minus laborare, sed frequentius adivit ecclesiam, et confessarium confessionibus suis molestavit, tandem evoluta est idea, quod confessarium magis quam Deum amet, inde tristitia aucta usque ad desperationem, et tunc in vesaniam incidit. Alia puella novemdecim annorum ob amorem infelicem tristis reddita incepit emaciari, societatem hominum fugere, secus nulla indicia perturbatae mentis exhibuit, tantum solito magis devota quotidie missam celebrare curavit, ne stulta evaderet, morbi tamen evolutio haud impedita est. Sub hoc stadio prodromorum aegri ipsi sentiunt morbum sibi imminere, repraesentationes suas agnoscunt esse erroneas, ideo conantur eas supprimere et occultare, propterea habent anxietatem insolitam, character videtur totus mutatus esse, multi evadunt tristes, societatem hominum, quam antea amabant, vitant, solitudinem quaerunt, multi sine causa sufficiente in lacrymas solvuntur, alii in cachinnos, alii nimis loquaces, alii nimis taciturni evadunt, plurimi antea pacati nunc in animi affectus, inprimis in iram sunt valde proni; plurimi solito magis distracti, attentione debita destituti ad labores, quos secus cum solatio perfecerunt, sunt minus idonei, tantum negligenter et cum taedio officia sua explent, personas antea

caras relinquunt. Mutationibus variis psychicis saepe junctae sunt mutationes somaticae, multi persentiunt capitis gravitatem, dolorem, ardorem, aliqui propensionem habent majorem in somnum, plurimi pervigilio laborant, vel somnus eorum brevis somniis turbatur; appetitus cibi apud plurimos multum imminutus, tantum rarius morbose exaltatus occurrit; digestio est molesta, alvus tarda, rarius diarrhoica, nutritio corporis imperfecta ita, ut corpus incipiat emaciari, cutis inprimis faciei colore lurido notari; subinde stimulus Veneris morbose exaltatur, fluxus catameniorum vario modo abnormis redditur. Symptomata haec statum abnormem systematis nervosi indicantia perdurant per septimanas, menses, subinde annos, per therapiam rationalem non raro causis excitantibus remotis status normalis reducitur, et evolutio ulterior morbi impeditur. Tantum dum aeger praedispositus influxui potentiae nocentis vehementis expositus est, tunc sine prodromis praegressis illico morbus gravissimus erumpit. Hic observatus est casus puellae sedecim annorum, quae nulla prorsus signa morbi cujusdam exhibens, dum matri moribundae, quam tenerrime amabat, adsisteret, tanto moerore affecta est, ut illico in maniam incideret, diu noctuque vociferaretur, vestes dilaceraret, atque conatus omnes adhiberet vitam sibi adimendi, ut quanto ocyus in societatem matris devenire posset; duravit haec mania per tres menses, et postquam aegra experta fuerat, omnes conatus se ex alta aedificii fenestra in stratum lapideum, vel in flumen praecipitandi inanes esse, propositum formavit firmissimum se fame enecandi; sanitati tamen perfectae restituta est, licet dispositionem congenitam in morbum habuerit, nam etiam soror ejus natu major sine ulla causa cognita sexta septimana post puerperium clam noctu maritum et proles tenerrime amatos deseruit, et se in puteum praecipitavit. Interim subitaneae tales evolutiones vesaniarum sunt rariores, frequentissime praecedunt prodroma, et postea sequitur stadium secundum morbi, nempe eruptionis.

§ 214.

In stadio morbi secundo, nempe invasionis seu eruptionis vesaniae aeger usu rationis suae privatur; qui antea adhuc ideas erroneas supprimere valuit, nunc illico repraesentationes suas erroneas, objecta imaginationis pro veris et realibus habet, ideo errat in judicio et ratiocinio, et ex sermone et actionibus illius homo omnis sanae mentis agnoscit illum insanire. Dum hoc contingit, symptomata prodroma praegressa increscunt, et non raro pulsus arteriarum tangitur frequentior cum calore animali simul exaltato, et frequentissime morbus intra 24—48 horas tanta incrementa capit, ut jam tunc etiam species vesaniae cognosci possit. Non raro evolvitur talis vesania subito, homo adhuc mente apparenter sana decumbit, pacate dormit, et dum evigilat vesanus est. Aliqui persentiunt capitis dolorem intensum, et dicunt, sibi in capite aliquid ruptum fuisse, et illo momento insaniunt. Aliqui, ut observator summus Pinel refert, subito quasi attoniti stant, oculis versus coelum directis, immobiles, quasi in meditationem profundam immersi, eorum, quae circa illos accidunt, nihil percipiunt; alii inquieti hinc inde ambulant cum vehementia, mussitant, subinde exclamant, alii in cachinnum vehementem et continuum, alii in fletum sine causa solvuntur, alii loquacitatem singularem habent. In multis facies apparet turgida, rubicunda, oculi sunt micantes, conjunctivae eorum sanguine suffusae, carotides vehementer vibrant, conqueruntur de ardore capitis et praecordiorum, summe inquieti, actiones perpetrant violentas, omnia confringunt, destruunt, aliis, non raro et sibi nocere intendunt, diciturque haec species vesaniae mania vel universalis vel monomania. Alii sunt minus vehementes, licet inquietudinem et anxietatem internam magnam experiantur, nec tamen eam clamoribus aut motibus externis violentis manifestant, sed potius taciturni solitudinem quaerunt, ut ideae suae atrae eo magis inhaerere possint, atque de exequendo proposito suo cogitant; haec species vesaniae

vocatur melancholia. Alii inquieti quidem sunt, nullas tamen actiones violentas exerunt, utplurimum jucundi, in motu continuo constituti, omnia incohaerenter loquuntur et agunt sine judicio et sine ratione, sicut pueri, vocatur moria, dementia, stultitia. Alii nullam plane energiam facultatum intellectualium exercent, diciturque haec species vesaniae mentis imbecillitas, fatuitas, stupiditas, idiotismus.

Dum morbus ita perfecte evolutus est in stadio tertio seu incrementi, tunc praeter symptomata psychica observantur simul symptomata somatica diversa, ut pervigilium, sensus coenaesthesis obtusus, ut aegri famem et sitim diutissime ferant, nec epispasticorum, emeticorum, drasticorum, nec frigoris actionem persentiscant; saepe fluxus habituales, catameniorum, haemorrhoidum disparent, ulcera habitualia exsiccantur, efflorescentiae cutaneae evanescunt, duratque hoc stadium subinde tantum per paucas horas, vesania acutissima, saepe per plures dies, septimanas, menses, imo annos, sequitur dein stadium quartum morbi, nempe decrementum vesaniae, sub quo symptomata morbi tam psychica, quam somatica successive imminuuntur et tandem disparent.

§. 215.

Exitum vesaniae nanciscuntur diversum, pro diversa natura individuali morbi; in genere pertinet ad morbos maxime periculosos, non pauci tempore ipsius vesaniae exstinguuntur, multi, qui mortem effugiunt, in morbos alios psychicos vel somaticos incurabiles incidunt. Saepe tamen morbus in sanitatem terminatur, subinde per autocratiam naturae solam, saepius opera medici rationalis concurrente; ita Esquirol refert, in Anglia ex 5352 vesanis sanatos fuisse 2557, in Gallia vero ex 2005 sanatos fuisse 1218. Willis inter omnes psychiatros felicissimus fuit, nam ex decem aegris novem sanavit, sed vesanos tantum in curam suscepit primis tribus mensibus morbi. Ut prognosim cum

probabilitate aliqua pronunciare valeamus, momenta plura considerari debent:

Aetas aegri; quo junior est vesanus, eo major est spes curae, senes stulti rarissime sanantur;

Duratio morbi, quo citius cura suscipitur, eo major spes sanationis est, nam eo minor mutatio adhuc abnormis in organismo inducta est, ideo Willis jam prognosim infaustam pronunciavit, si vesania ultra tres menses duraverat. Pinel extendit curae probabilitatem ad durationem morbi per quinque usque sex menses, Esquirol vero ad annum usque duos annos, nam secundum observationes ejus ex 1223 mulieribus vesanis rationi restitutis primo anno morbi sanatae sunt 604, secundo anno 502, tertio anno 86, sequentibus annis tantum 41. Licet post duos annos superatos probabilitas curae valde exigua sit, nec tamen omnis spes abjicienda est. Pinel adnotat casum mulieris, quae per viginti septem annos vesana fuit, et tamen rationi restituta. Esquirol conservavit historiam alterius aegrotae, quae puella, dum fluxum catamenialem prima vice acceperat, vesana evasit, et in hoc statu miserrimo permansit usque annum aetatis quadragesimum septimum, tunc fluxu catameniorum cessante ratio sana reversa est;

Ratione sexus observationes docent, in genere plures vesanias occurrere in sexu sequiori, sed etiam in eo plures curas et facilius perfici.

Multum determinatur prognosis per speciem et complicationem vesaniae, ita mania sive universalis, sive monomania saepius sanatur, difficilius obtinetur scopus therapiae in melancholia et moria, difficillime in fatuitate, quae congenita, ut idiotismus, cretinismus, omnem curam respuit; ita si mania transit in fatuitatem, tunc rarissime curatur, si e contra fatuitas transit in maniam, tunc non raro cura felix succedit. Dum vesania excitatur per causas physicas, tunc spes sanationis major est, quam si causae excitantes fuerint psychicae, ut superbia vel fanatismus religiosus. Non raro complicatur vesania cum aliis morbis somaticis, ut febribus, efflorescentiis cutis acutis vel chronicis, cum

profluviis, quibus evolutis subinde mania imminuitur, cessat. Non raro morbi sub decursu vesaniae evoluti statum aegri reddunt deteriorem, scilicet dum superaccedunt spasmi universales, epilepsia, paralyses, scorbutus vel phthisis pulmonalis, tunc status aegri utplurimum incurabilis evadit.

Dum vesania causis excitantibus remotis in sanitatem transit, tunc observantur saepe evacuationes vel aliae mutationes, quae cum levamine manifesto contingunt, et ideo ab Hippocrate, Celso, Aretaeo, Galeno, Esquirol, Wering etc. pro crisibus declarantur, talesque sunt sudor universalis calidus, longiori tempore durans, inprimis si vesania excitata fuit per refrigerium admissum. Subinde emesis, frequentius diarrhoea, inprimis in melancholicis, subinde urina largior, sedimento jam lateritio jam cretaceo instructa, subinde epistaxis, fluxus catamenialis vel haemorrhoidalis, inprimis si suppressio eorum causam vesaniae constituebat, criticam indolem ostendunt; ita Esquirol refert exemplum puellae, quae cum amenorrhoea per decem annos durante vesana fuit, aliquando post somnum profundum et longum evigilans cum solatio summo acclamavit matri, se esse sanam; fluxus catamenialis largus comparuit, vesania omni dissipata. Subinde comparent in cuti furunculi, psydraciae, similes scabiei, ideo commendabatur a nonnullis ad curandam vesaniam inoculatio scabiei, quae tamen ab experientissimo Esquirol saepe suscepta, nunquam successum desideratum habuit. Per evacuationes nempe sub transitu vesaniae in sanitatem contingentes non evacuatur causa materialis vesaniae, sed quia status abnormis systematis nervosi inprimis cerebralis revertitur ad normalem, ideo contingunt etiam processus secretionis et reproductionis novi. Subinde transitus vesaniae in sanitatem contingit subito, ita Esquirol narrat de puella, cui nuptiae cum viro amato admissae non erant; incidit in melancholiam gravissimam, taciturna nonnisi mortem anhelabat, dum eam instare viderent parentes, virum juvenem advocabant, et libertatem nuptias celebrandi concedebant, et vesania omnis illico cessabat. Vir nobilis finem

unum diu conceptum assequi haud valens, incidit in tristitiam et melancholiam summam, sub qua cibum prorsus nullum sumere voluit, affirmans, quod comedere sit contra dignitatem viri adeo offensi; cum medicus nec per preces agnatorum et amicorum aegrum permovere valuerunt, mandatum regium cum omnibus formalitatibus externis vesano admanuari jussit, quo Rex demandabat, ut comederet, quod comedere pertineret ad dignitatem viri nobilis honesti; aeger aliquoties perlegit mandatum, et post aliquot horas incepit comedere, vesania omni deleta. Aliam historiam adnotat de viro erudito, qui per labores mentis excessivos enervatus incidit in tristitiam, concepitque propositum atrum, se ex ponte in fluvium praecipitandi, dum noctu progrediebatur ad locum destinatum, in itinere suo circumdabatur furibus, qui eum pecuniis spoliare conabantur, in iram concitatus se defendit, fures fugavit, et a vesania sua liber domum revertitur. Casus tamen tales rariores sunt, in longe pluribus transitus morbi in sanitatem lentis passibus contingit, aeger incipit tantum successive per vices rectius cogitare, indicare et ratiocinari, repraesentationem suam erroneam cognoscit, animus evadit tranquillior, memoria revertitur eorum, quae ante morbum acciderunt, interrogat de suis agnatis, parentibus, conjuge, prolibus, attentio in objecta singula major dirigitur, evolvitur propensio ad occupationes, ad labores sibi ante morbum familiares, ipse aeger agnoscit se infirmum, insanum fuisse; plurimi eorum, quae tempore vesaniae egerunt, et quae cum illis acta sunt, recordantur, nec tamen de iis libenter loquuntur, tristitia et pudore afficiuntur, ideo interrogationes imprudentes curiosorum sollicite vitant, bene gnari, quod plurimi homines supponant memoriam rerum tempore vesaniae emergentium deleri; aliqui in statum sanae mentis perfectae cito revertuntur, aliqui tamen longo tempore sensibiles et irritabiles remanent, nonnisi lentissime energiam cerebri normalem recuperant. Dum haec contingunt in statu psychico, observantur simul mutationes salutares in statu somatico, somnus aliquis, et quidem pacatus comparet, appetitus cibi

evadit magis normalis, nec voracitas nimia adest, nec aeger pertinaciter aversatur cibum et potum omnem, sensus coenaesthesis revertitur, frigus non amplius desiderat, potius calore moderato delectatur, insensilitas cutis erga caustica et alia stimulantia, insensilitas tubi alimentaris erga emetica et purgantia drastica disparet, secretiones et excretiones evadunt successive normales, habitus externus, inprimis faciei ostendit hominem magis tranquillum, non amplius ita anxium et inquietum. In genere aegri emaciantur ita, ut plurimi dum reconvalescunt, habeant faciem oblongam, oculos in orbita profunde reclusos, et plurimi de artuum dedolatione ac lassitudine conquerantur. Ex his phaenomenis spem sanitatis revertentis concipere possumus, cauti tamen esse debemus, ne silentibus symptomatibus morbi aegrum statim pro sano declaremus, nam vesania saepe est intermittens, habetque intervalla lucida, observantur vesaniae tertianae, quartanae, menstruae, semestrales, annuae, et in vesaniis intermittentibus insultus frequentissime comparent circa horam quartam quintam-ve jam regulariter, jam vero irregulariter, incerto tempore, dum nempe per potentias quasdam nocentes provocatur insultus. Sed si insultus talis longiori tempore emanet, aeger semper animo et corpore pacatior redditur, ipse reconvalescentiam suam cognoscit, morbum superatum timet, ne revertatur, labores amat, suorum antea sibi carorum societatem desiderat, functionibus corporis simul ad statum normalem revertentibus, tunc spes revertendae sanitatis semper magis increscit, et si per medium annum nulla amplius signa vesaniae observata sunt, tunc cum probabilitate summa morbum sublatum esse pronunciamus. Secundum observationes curae plurimae vesanorum contingunt verno tempore, aestas et hyems minus favent curis perficiendis. Si status somaticus aegri ita emendatur, ut appetitu cibi bono existente nutritio corporis augeatur, aeger pinguescat, bene dormiat, et tamen functiones psychicae perturbatae maneant, hoc signum prognosticum malum est, morbi pertinaciam, saepe incurabilitatem indicat. Plurimi aegri dum

reconvalescunt emaciantur. Nec sanitate per medium annum durante adhuc securitate plena gaudet aeger, dispositio enim in morbum superatum remanet longiori tempore, ideo vesaniae facile recidivae sunt, raro quidem morbus sponte revertitur, sed utplurimum quod aeger reconvalescens causis nocentibus expositus fuit: ideo frequentiores sunt recidivae apud pauperes quam apud divites; rarior est recidiva et cura magis stabilis, dum vesania excitata fuit per causas psychicas; difficilior est cura et facilior recidiva vesaniae provocatae per causas psychicas, per studia nimis intensa, per superbiam, per superstitionem religiosam. Vesania per qualescunque causas excitata saepius recidiva, diu durans, neglecta vel male curata non transit in sanitatem, sed evadit diuturna, perennis, aegrum tota vita affligens, vel transit in alios morbos, et quidem subinde una species vesaniae mutatur in aliam, subinde species vesaniae alternant, aegri aliquo tempore sunt maniaci furiosi, remittente furore evadunt melancholici, tristes; non raro melancholici devoti redduntur dementes, stulti, fatui; non raro vesania transit in morbos alios somaticos, in febres jam acutas, jam intermittentes, in paralyses, in spasmos, epilepsiam, in phthisim pulmonalem, subinde in scorbutum, qui morbus in nonnullis gyrgathis frequentior minus ab ipsa vesania, quam ab aliis potentiis nocentibus, quibus vesani multi expositi sunt, ab aëre humido, corrupto, ab alimentis minus congruis inducitur. Aliqui vesani in gyrgathis etiam aetatem attingunt seram, longe plures tamen per superaccedentes morbos enumeratos citius enecantur, et non raro docentibus Pinel et Esquirol morte subitanea apoplectica exstinguuntur.

In cadaveribus vesanorum deteguntur varia phaenomena, prout status praegressus aegrorum diversus erat; saepe in cuti externa conspiciuntur maculae, ulcera, in cavo abdominis et pelvis detegitur serum collectum, subinde liquidum puriforme vel sanguis; viscerum, ut hepatis, lienis, ventriculi, pancreatis, organorum uropoëticorum, inprimis autem uteri volumen, situs, textura vario modo mutata

sunt; in cavo pectoris observantur extravasata, pulmonum, cordis, vasorum majorum status abnormes. Plurimae tamen mutationes inveniuntur in cavo cranii, cujus ossa subinde sunt tenuiora, frequentius crassiora, in meningibus conspiciuntur vestigia praegressae inflammationis, subinde extravasata, substantia cerebri jam durior, jam mollior. Subinde tamen per anatomen nullus status morbosus in cerebro detegi potuit.

Romberg, Untersuchungen irrer Personen nach dem Tode (Nasse, Zeitschrift für psychische Ärzte. 1822, Hft. 1. S. 124).

Neumann, Fünfzig Krankheits-und Sections-Geschichten von Wahnsinnigen (Hufeland's Journal der prakt. Heilk. 1824. St. 7. S. 3).

§. 216.

Licet vesaniae constituant morbos gravissimos et periculosissimos, per conatus tamen medicinae rationalis saepe saepius feliciter sanantur, quem in finem definiri debet, per quem, ubi et quomodo cura suscipi debeat. Ad curam rite perficiendam necessariae sunt quidem cognitiones philosophicae, inprimis cognitio naturae animae humanae, cujus studio inprimis incumbunt philosophi et theologi, cura tamen tantum perfici potest per medicum rationalem, cognitio enim sola naturae animae humanae minime sufficit, maxime necessaria est etiam cognitio corporis humani, per cujus statum abnormem morbi psychici determinantur et sustentantur. Ut medicus psychiatriam cum successu exercere possit, praeter ingenium et conatum indefessum scientiam ac artem suam perficiendi, debet zelum peculiarem habere, sortem infelicium vesanorum omni possibili modo emendandi, tunc facile obtinebit confidentiam aegrorum suorum, per quam cura facilior redditur. Aegrorum sana mente praeditorum confidentiam, qua convincuntur, quod medicus et sciat, et velit morbum eorum sanare, saepe difficile est obtinere, longe difficilius vesanorum, qui de morbo suo minime convicti sunt, nec argumentis ullis persuaderi possunt, et si a medico tractantur ut vesani, tunc ira corri-

piuntur, morbusque illorum exasperatur. Vesani sunt similes infantibus et pueris, usu rationis adhuc destitutis, ideo tractari debent secundum principia eadem, quae sequitur pater prudens; et pueri et vesani maxime moventur benevolentia et mansuetudine, per rudem et inhumanam methodum irritantur, et morbus eorum deterior redditur, ut casum memorabilem adnotat Hufeland; medicus ob vesaniam ad nosocomium deductus, inde aufugit, per agnatos iterum reductus est; chirurgus inspiciens metuens, ne ob fugam arguatur negligentiae, ut aegrum deterreret a simili audacia, accessit ad vesanum vultu iram magnam indicante, jubetque famulis catenas adferre, et illas vesano injicere, quod dum vidisset aeger concidit, vestes omnes dislaceravit et nudus corpore universo terribiliter convellebatur, quatuor viri fortes non valebant illum in lectum deportare, nonnisi furore imminuto sex viri fortes poterant aegrum comprehendere et lecto illocare, medicus superveniens catenas et chirurgum removit, mansuetudineque sua maniam mitigavit, qua methodo continuata successive sanitas integra restituta est. Simul cum mansuetudine hac jungere debet medicus severitatem quamdam, ut vesani convincantur, quod ab auctoritate et voluntate medici dependeant, quod iis et libertatem dare et adimere valeat, quod et praemia distribuere et poenas dictare possit; propterea et vultus, et totus habitus medici debet aliquam auctoritatem et dignitatem exprimere, plurimi vesani sunt meticulosi, non raro aspectu solo medici jam compescuntur. Aegri omnes, sed inprimis vesani medicum valde observant, ideo nec in modo ejus agendi, nec in vestitu, nec in sermone aliquid indecori et incongrui observandum sit, vestitus sit semper mundus, modestus, non pueriliter ornatus, nunquam neglectus aut sordidus, attendat semper ad verba, ne quid inepti dicat, et nihil appromittat, quod adimplere non valet. Quia vesani saepe errores committunt, ob quos non secus ac pueri puniri debent, ideo poenae pro curandis vesaniis sunt necessariae, ut pharmaca drastica, in usu tamen eorum summa prudentia est necessaria, nunquam

dictet medicus poenam, dum ira commotus est, tunc enim facile injustus erit, et vesani non secus ac pueri sensum justi et injusti habent, et illum, qui poenam immeritam infert, odio prosequuntur. Olim miseri vesani ut animalia ferocia carceribus includebantur, catenis ligabantur, parietibus affigebantur, saepe virgis caedebantur, baculis verberabantur, quae methodus barbara plurimos adhuc magis insanos reddidit. Ideo poenae tales crudeles ex societate civili omni et ex cura rationali vesanorum eliminandae sunt. Poenae maxime sensibiles sunt: coarctatio libertatis major vel minor, et subtractio rerum secus gratarum, inprimis alimentorum et potulentorum. Si tamen poenae corporeae necessariae forent, eas ipse nunquam infligat, ne odium aegrorum incurrat, nec parabolanis concedat, ut aegris vel minimam injuriam inferre possint, nam homines minus culti utique proni sunt ad aegros rudius tractandos, et odium incurrunt eorum, ideo pro poenis infligendis persona distincta necessaria est, atque in plurimis casibus poena promerita aegro nec praesente medico, nec praesentibus aliis vesanis in loco separato infligenda.

§. 217.

Nec medicus philosophus ingenio et animo cultus curas vesanorum perficere valebit, nisi simul fuerit locus curae perficiendae idoneus. Multi quidem vesani, inprimis sub exordio morbi optime domi suae curantur; avulsio a suis nequaquam omni proficua est, imo potius iram ejus exaltat, injuriam sibi summam inferri autumat, qui animi affectus perpetuus et vehemens non raro insaniam reddit incurabilem, ideo minime commendamus, ut vesanus omnis statim in gyrgathum transferatur, sed potius circumstantiis faventibus cura gravis domi perficienda est, servitia enim multa diu noctuque necessaria a nemine ita sollicite et humaniter praestari possunt, quam a suis. Sed paucorum tantum vesanorum cura potest domi suscipi, cives pauperiores habent locum habitationis angustum, plures aegro auxilium praestare valentes totis diebus absunt domo, ut

panem mereantur pro vita familiae sustentanda, atque pro talibus nosocomia in omni morbo, eo magis in vesania sunt necessaria. Nec ditiores vesani semper inter suos relinqui possunt, saepe causa vesaniae per circumstantias domesticas alitur, non raro vesanus putat, quod familiam suam reddiderit infelicem, et per suorum tristitiam, sollicitudinem nimiam, fletum, ejulatum adhuc magis confirmatur in sua opinione. Nonnulli vesani putant, se esse magnos dominos, reges, ideo si jam tempore sanae mentis exercuerunt imperium despoticum in suos, nunc tempore vesaniae exercebunt tyrannidem; ideo necessaria sunt instituta publica pro vesanis recipiendis, partim ob securitatem aliorum hominum, qui facile a vesanis laedi possunt, partim ob securitatem et salutem ipsorum vesanorum, ne iis injuria inferatur, ne ipsi sibimet nocere possint, et ut a morbo suo gravi liberentur. Olim tales infelices includebantur in carceres publicos, vel ad aedes monachorum aut monialium, vel ad nosocomium cum aliis aegris commune, magis securitatis quam curae perficiendae gratia, donec per zelum humanissimum medicorum magistratus civiles permoti fuerunt ad erigenda instituta curandis vesanis destinata, quae vocantur gyrgatha, morodochia vel morocomia, qualia recte coordinata complura existunt in Anglia, inprimis Londini, Glasgoviae et Dublini, in Gallia Parisiis, in Germania prope Pirnam in Sonnenstein, in Italia Florentiae et Aversae prope Neapolim. Viennae institutum magnum a Josepho II erectum scopo minus respondet, egregium est a Görgen erectum et sustentatum.

Ut gyrgathum scopo respondeat, debet loco idoneo erigi, ubi adsunt conditiones necessariae pro sanitate incolarum instituti hujus conservanda et perficienda, ubi ergo aër purus et siccus semper hauriri potest; ideo locus paludosus, exundationibus obnoxius, vaporibus et exhalationibus noxiis vicinus seligi nunquam debet. Praeter conditionem aëris desideratur, ut aqua bona et sufficiens tam pro potulentis, quam pro balneis curam vesanorum praeprimis

adjuvantibus, praesto sit. Non debet institutum hoc in media civitate erigi, licet per civitates amplas subjecta plurima suppeditentur, sed ad curam eorum perficiendam requiritur quies et silentium; strepitus et inanes spectatores arceri debent, praeterea institutum tale requirit extensionem majorem, nam praeter aedificia requiruntur areae magnae, horti, agri, stabula pro equis, bobus, vaccis et altilibus, quia interest, ut vesani laboribus diversis continuo occupentur. Neque tamen institutum hoc nimis remotum esse debet ab urbe majori, nam ex urbe populosa plures adferuntur aegri, et cura vesanorum redditur facilior, nam vesani multi ad labores oeconomicos inepti variis laboribus mechanicis occupari debent, pro quibus opifices civitatis materiam amplam subministrant. Praeterea in instituto ab urbe majori remoto facile negligitur inspectio necessaria, sine qua facile errores irrepunt, ideo maxime exoptamus, ut gyrgathum sit in vicinia urbis et facultatis medicae, ut medicus instituti cum facultate nexum literarium fovere possit, et ut medici juniores occasionem habeant hanc partem medicinae practicae etiam excolendi. Magnitudo gyrgathi debet esse proportionalis necessitati individuali; non sint nimis parva, tunc enim plura necessaria forent, et administratio ac inspectio eorumdem difficilior, sumtus majores exigeret; ideo praestat pauciora et ampliora habere, nec tamen nimis magna, qualia Viennae et Parisiis existunt, in talibus enim per accumulationem aegrorum nimiam facile corrumpitur aër, et sic morbi alii vesaniam exasperantes, scorbutus et typhus contagiosus generantur, nec cura aegrorum debita suscipi potest; ideo in emolumentum vesanorum desideramus, ut institutum non sit pluribus quam centum aegris vesanis recipiendis adaptatum. Exstructio aedificii debet respondere numero, conditioni, vitae generi et consuetudini incolarum, ideo non possunt gyrgatha ubique ad eandem normam exstrui. Externa forma non debet esse nimis splendida, palatium referens, nec etiam horribilis, carceres repraesentans, sed jam forma externa aedificii debet simplicitatem cum so-

lidifate nexam ostendere, ut in vesanis advenis statim idea simplicitatis et ordinis excitetur; non debet aedificium esse nimis altum, saepe enim vesani difficulter scandunt gradus, inspectio eorum est difficilior, et se ex alto praecipitare possunt, ideo praestat, si aedificium tantum unicum tractum, potius extensionem majorem habet, ut sufficiat omnibus, in quorum utilitatem erectum est. Structura sit solida, firma, e materialibus bonis, ne humiditas noceat et ne parietes per vesanos saepe fortitudine nimia instructos destrui possint. Aedificium totum externe munitum sit, ut curiosi arceantur, et vesanis fuga omnis impediatur.

In distributione aedificiorum distincta esse debent aedificia pro sexu utroque, nisi enim separatio strictissima locum habuerit, excessus in venere, in quos vesani nonnulli valde proni sunt, evitari haud poterunt. Distincta cubicula necessaria sunt pro maniacis furiosis, qui clamore et actionibus violentis alios diu noctuque inquietant, et ad maniam provocant, et quidem singulus talis furiosus cubiculum distinctum et ab aliis remotum habere debet. Autenrieth commendat, ut cubile talis aegri sit asseribus obductum, cum muros facile laedere possit, sed asseribus exhalationes fortiter adhaerent, ideo praestat, parietes firmos habere lapideos. In plurimis talibus cellis fenestra adest tantum parva, supra portam collocata, tales nec aëri depurando sufficiunt; maxime congrua est constructio ab Esquirol proposita, ut fenestra sit unica ampla, portae e diametro opposita, clatris ferreis, colore albo tinctis, firmata, tunc aegri facilius inspici, et in actionibus suis vehementibus facilius coërceri possunt; dum nempe aeger furiosus coërcendus est, famuli aliquot ad fenestram accedunt, ac si eam aperire et ingredi vellent, tunc aeger conatum omnem resistendi versus fenestram adhibet, interim famuli per portam, seris firmis sed sine strepitu aperiendis, instructam ingrediuntur, et vesanum comprehendunt. Etiam sunt vesani immundi, qui vestibus suis dislaceratis nudi jacent, excrementa sua ubique deponunt, iis parietes, cutim propriam, faciem illiniunt, imo subinde ori ingerunt;

tales infelices, abominationem summam excitantes, a vesanis reliquis pacatis et mundis separari debent; ut munditiei necessaria conservari possit, singulus talis separato cubili imponendus est, in plurimis locis tales infelices tantum in terra, super stramine jacent, quod omni die renovandum est, et scopo conservandae munditiei praestat lectum ab Esquirol propositum adhibere. Lectus talis habet pedes firmos, ne loco facile moveri possit, collocaturque optime in medium cubiculi, ut accessus ex omni parte pateat pro coërcendo vesano; lectus instructus est loramentis retis instar, cui superimponitur stramen, vel saccus stramine repletus, aegrum incumbentem recipiens, infra lectum est basis lamina metallica obtecta, versus extremitatem unam declivis, et ibi perforata, ut excrementa defluant in vas infra foramen positum. Sellas patroclianas commendant nonnulli muro affixas, immobiles, sed in talibus foetor aderit continuus, ideo praestat, habere sellas mobiles, quae semper evacuari possint. Scopo munditiei conservandae cubicula furiosorum et immundorum debent lapidibus strata esse, ut frequenter elui possint.

Reliqui vesani, quorum semper major est numerus, nec furiosi, nec immundi debent habere cubicula ab illis sanorum vix distincta, supellectili necessaria instructa, neque requiritur, ut singulus aeger distinctum cubile inhabitet, nisi vitae conditio habitualis id exigat; in plurimis casibus praestat, ut vesani pacati in societate vivant, cubicula tamen ita distribuendo, ut in uno majori dormiant, in alio labores diversos perficiant, in tertio pro cibo sumendo conveniant; per vitam talem socialem redditur facilior inspectio aegrorum, et ipsi vesani conversatione sua mutua conferunt ad ideas erroneas delendas; tantum cavendum est, ne vesani iisdem ideis erroneis praediti, iisdem phantasmatibus occupati inter se jungantur, nam tunc deliria eorum augentur.

Praeter cubicula enumerata requiritur cubile amplum pro aegris somaticis recipiendis idoneum, ut cura eorum debita suscipi possit, pro sexu singulo distinctum; cubile

alterum pro pharmacopoea instituti necessitatibus accomoda; cubile aliud, in quo apparatus pro vesanis curandis et furiosis coërcendis necessarii conserventur; cubile aliud, in quo balnea diversa calida, frigida, vaporis, stillatitia adhiberi possint; cubile aliud, in quo vestimenta omnia vesanorum conservantur; inprimis attentio dirigenda ad vestimenta linea, ut haec sufficienti quantitate et semper munda sint; propterea in aliqua distantia adesse debet locus idoneus pro vestibus lineis lavandis et siccandis, quae lotio perfici debet per ipsas vesanas tranquillas. In distantia aliqua ab aedificio requiritur cubile pro cadaveribus recipiendis, cui adnexum sit cubile lucidum pro sectionibus anatomico-pathologicis perficiendis idoneum. Necessariae sunt culinae pro cibis parandis idoneae. In constructione totius aedificii habeatur ratio, ut lux adsit sufficiens, ut aëris renovatio suscipi valeat, ut hyemis tempore calefactio debite institui possit, fornaces minus conveniunt, multo magis praestat calefactionem instituere per aërem. Peculiaris attentio dirigatur in latrinas, quae ita construantur, ut vesani pacati eas accedere possint, quin vento vel pluviae expositi sint; ad praecavendum tamen infortunium vigiliae diu noctuque necessariae sunt, et ad impediendum foetorem latrinae caminis instructae esse debent, ut ventilatio locum habeat, et ubi fieri potest per aquam continuo affluentem latrinae eluendae sunt.

§. 218.

Praeter vesanos incolunt gyrgathum etiam alii homines ad curas vesanorum perficiendas necessarii, ideo in exstructione aedificii et hospitiorum ratio eorum haberi debet. Et quidem primo necessarius est medicus, qui animam constituit totius instituti, ideo director ejus esse debet, omnia quae ad sanitatem vesanorum restituendam necessaria sunt, ille solus recte disponere potest; ideo etiam necesse est, ut in ipso instituto habeat hospitium congruum, et pro laboribus gravibus societati civili praestitis praemium condignum. Hospitium ejus a cubilibus vesanorum debet esse penitus

separatum, nam illum et sani homines accedere debent. Nec medicus solus sufficit in instituto aliquantum majori aegris auxilium omne desideratum administrando, requiruntur simul medici juniores, vulgo secundiarii dicti, quorum saltem unus debet esse exercitatus in operationibus chirurgicis saepe necessariis. Hi socii medici in ipso instituto habitare debent, ut vesanos saepius per diem inspicere, et executioni curae per medicum dirigentem propositae invigilare possint; simul historias conscribant exactas de phaenomenis vesaniae et de effectu therapiae adhibitae, in casu mortis subsecutae sectionem pathologicam perficiant. Requiritur etiam sodalis pharmacopaeus, pharmaca omnia pro instituto necessaria praeparans; nisi institutum fuerit valde magnum pharmacopaeus minus occupatus erit, ideo simul officio scribae fungi potest, ut semper advenientium nomina, vestimenta et alia utensilia protocollo inscribat, et dein oeconomo tradat.

Necessarii sunt in omni tali instituto inprimis parabolani et parabolanae, licet in genere pro cura aegrorum in nosocomiis parabolanae longe magis scopo respondeant, quia majori humanitate aegros tractant, munditiei curam majorem habent, in gyrgatho tamen viris vesanis destinato parabolani necessarii sunt, ut maniaci coërceri possint. Parabolani tales debent esse viri sani, robusti, humani et taciturni, ne arcana per aegros tempore vesaniae communicata aliis pandant, praeter medicum dirigentem, ne per rixas et lites excitatas vesanias augeant, ne injuria minima aegros afficere audeant, ordinationes medici in exhibendis pharmacis, alimentis ac potulentis scrupulose exequantur, curam munditiei nunquam negligant, caput aegrorum quotidie pectine, cutim universam aqua tepida mundent; nisi enim mundities summa observata fuerit, aëris corruptio fiet. Ut parabolani officia sua rite expleant, necessarius est inspector, qui vir cultior, auctoritate pollens, ut primus parabolanus reliquos sibi subjectos habere debet, in instituto novo erigendo difficulter haberi possunt tales viri idonei, optime seliguntur ex orphanotrophiis et peda-

gogiis, qui jam educationi infantum praeerant, nam in tractandis vesanis cura similis necessaria est. Numerus parabolanorum debet esse accomodatus conditioni et numero aegrorum; pro aegro distinctum cubile inhabitante etiam parabolanus distinctus necessarius est, dum aegri pacati in societate habitant, pro quinque eorum unus parabolanus sufficit. In instituto eodem habitare debet minister religionis humanus et philosophus, qui conatus medici in curanda vesania multum adjuvare valet. Quia janua gyrgathi semper clausa esse debet, necessarius est janitor, qui accessum et exitum nemini concedat sine indultu dirigentis medici. Olim consuetudo viguit, omni septimana semel curiosos ad gyrgathum admittendi, et non raro famuli miseros aegros irritando produxerunt spectacula tristia, quae consuetudo noxia jam in plurimis gyrgathis abolita est ita, ut nulli admittantur nisi medici aut aegrorum agnati, et hi etiam tantum tunc, dum aegri jam ita emendati sunt, ut cum illis convenire possint sine periculo, atque in hunc scopum necessaria sunt etiam cubicula praeparatoria, in quae recipiuntur aegri novi adlati, de quibus dubium adhuc obversatur, an vesani sint; ad eadem deferuntur aegri plene reconvalescentes, brevi dimittendi.

Tandem requiritur in instituto oeconomus, qui curam habet totius aedificii, procurat cuncta pro usibus communibus necessaria, ligna, alimenta, potulenta, vestimenta, qui administrat fundum totum instituti, rationes ducit de proventibus et expensis, quotidie medico dirigenti exhibet rationes de cunctis in instituto necessariis; ipse medicus dirigens dicasterio dirigenti omni septimana vel omni mense reddit relationes de aegris adlatis et consanatis, adjungitque semper rationes per oeconomum praestitas. Interest, ut per magistratum dirigentem seligantur viri rei medicae et oeconomicae gnari, qui saepius per annum institutum inspiciant, de progressu ejusdem aut de erroribus detectis referant, nisi enim errores remoti, et delinquentes poena affecti, bene meriti autem praemiati fuerint, institutum tale citius vel tardius vilescet, et sic scopus gyrgathi haud obtinebitur,

quod docent querelae multae recentissimae contra gyrgatha Anglorum motae.

C. F. W. Roller, die Irrenanstalt, nach allen ihren Beziehungen. Carlsruhe. 1831.

F. Bird, Bemerkungen über Krankenhäuser für Wahnsinnige, (Henke's Zeitschrift für die Staatsarzneikunde. Erlangen. 1832. Erg. Hft XVI. S. 172).

§. 219.

Ut therapia rationalis vesaniae suscipi possit, diagnosis morbi individualis, quantum fieri potest exacta construi debet, quem in finem non sufficit ab aliis relata considerare, sed aeger debet saepius inspici, inopinate et diverso tempore diei observari, subinde et noctis tempore, ut e sermonibus et actionibus ejus morbus cognosci possit. Ad gyrgathum in civitate bene coordinata nemo traduci potest, nisi necessitas talis testimonio medici legalis confirmata fuerit, aegroque omni tradi debet historia morbi, in qua adnotetur status psychicus parentum et agnatorum, ut appareat, sit-ne vesania haereditaria; adnotentur momenta educationis physicae et psychicae, vitae genus, causae forte in aegrum agentes et vesaniam producere valentes: violentiae externae mechanicae, excessus in esu, potu, venere et motu corporis, adstrictio mentis nimia, animi affectus vehementes, in specie amor infelix, superstitio religiosa, tristitia nimia, terror, superbia, vel morbi alii, inprimis profluvia vel retentiones. Adnotari debet evolutio morbi prima et incrementum ejus successivum, prout et therapia forte jam adhibita. Ex relatione tali colligimus anamnestica, ut tamen judicium de natura morbi ferre valeamus, ipsi aegrum investigare debemus, adnotamusque colorem et turgorem faciei, conditionem sensuum omnium externorum, respirationis, circulationis, caloris animalis, se-et excretionum, verbo omnium functionum vitae et organicae et animalis, et ne errorem committamus, investigationem nostram subinde reiteramus, nam diagnosi tantum

cum probabilitate summa constructa potest therapia rationalis efficax coordinari.

§. 220.

Therapia alia est necessaria durante insultu, alia eo silente. Insultus vesaniae, inprimis maniae furiosae requirit maximam attentionem, ne aeger sibi vel aliis injuriam inferat, sibi quidem in furori constituto raro laesionem inferunt; sed in alios saepe crudelitate horrenda saeviunt. Ad furorem talem restringendum commendantur diversa remedia; si adfuerint parabolani robusti numero sufficienti, et locus satis amplus, in quo furiosus aliis injuriam nullam adferre valet, tunc optimum est, aegrum in aëre libero relinquere, ut corpus suum commoveat, clamet per plures horas, donec defatigatur. Sed in defectu talis loci, et dum eodem tempore in eodem loco plures tales furiosi existunt, ibi aegri in sua libertate relinqui haud possunt. Saepe quidem ad maniacum pacandum sufficit, si medicus dirigens vel inspector parabolanis pluribus circumdatus audacter versus furiosum procedit, subinde tamen nihil observat maniacus, per adventum solum quietus non redditur, ipsi medico vel inspectori laesionem inferre conatur. In tali casu commendat Heindorf, ut circulus ferreus funi alligatus projiciatur versus aegrum, ut ejus ope capiatur, vel ope semicirculi metallici perticae longae ligneae adnexi corpus vesani trudatur versus parietem, et sic intercipiatur; cum per has methodos corpus aegri facile laeditur, et simul ira vehemens excitatur, ideo eas commendare haud valemus. Optima est methodus per Pinel adhibita; inspector cum parabolanis procedit versus furiosum, linteamine forti caput furiosi obtegitur, sic cito coërcetur, et ad lectum deponitur.

Cum status furiosus saepe longiori tempore duret, ideo tales infelices olim ligabantur catenis, verberabantur baculis, caedebantur virgis, quae methodus rudis raro profuit, saepe manifeste nocuit. Pinel zelo humanissimo animatus anno 1793 e numero vesanorum quadringentorum catenis

ligatorum uno die facta investigatione octuaginta aegris vincula solvi jussit, non sine murmure et stupore custodum; audacis hujus tentaminis successus fuit felix, nam aegri multi citius sanitati redditi sunt, et ab illo tempore usus catenarum in gyrgathis abolitus est. Interim adhibentur adhuc machinae diversae ad aegros furiosos coërcendos; in Germania conservatur arca coërcens, quae similitudinem habet arcae, cui horologium impositum est. Tali arcae inclusitur vesanus et immobilis redditur. Machinam tamen hanc minime commendamus, aeger exponitur risui aliorum sociorum, quod iram excitat; si per foramina lateralia brachia exporrigantur, facile locum habet compressio vasorum subaxillarium, circulationem impediens. Dum autem brachia inclusa sunt arcae, tunc facile omnia exercetur; nec alia machina, rotam magnam cavam referens, cui vesanus imponitur et continuo calcare cogitur, rotam in continuo motu sustentans, scopo respondet. Coxe laudavit machinam gyratoriam, quae similitudinem habet cum mola terrestri; rotae horizontalis radio uni imponitur lectus cum vesano furioso ita, ut pedes ejus respiciant axim rotae, caput autem peripheriam, dum rota dein celeriter movetur, aeger corripitur vomituritione, vomitu, et pacatus redditur; minus violentus est effectus sellae gyratoriae, interim nec hae machinae votis medicorum satisfecerunt. Horn thoraci aegri applicuit pectorale forte, in dorso annulo ferreo munitum, quod affigebatur parieti; simul aderant loramenta, per extremitates superiores et inferiores excurrentia, eorumque ope et brachia et pedes et caput alligabantur parieti, sed et remedium hoc et saccus, cui vesanus furiosus intrusus fuit, basis caput et faciem obvelans tela nigra obtegebatur, ut remedium violentum vix amplius adhibetur. Neumann maxime commendat lectum coërcentem, cui aeger in situ horizontali imponitur, et ope loramentorum brachia, truncus et pedes ligantur; nec tamen aeger diu in situ horizontali conservari potest, ob congestionem majorem sanguinis in caput, nec mundities debita observari. Scopo magis respondet sella coërcens, cujus parti

posteriori altiori ope loramentorum truncus et caput aegri, brachiis lateralibus brachia aegri, pedibus autem sellae pedes aegri alligantur; in medio, ubi aeger sedet, sella est perforata, ut vas pro recipiendis excrementis supponi possit. In sella tali coërcentur vesani furiosi et in cubili et in aëre libero, adhibeturque ea in gyrgathis tam Gallicis quam Anglicis. Praeterea in usum vocatur pectorale coërcens, seu tunica manicata, e linteo forti confecta, ad formam indusii, in parte posteriori aperti, instructa manicis longis. Tale pectorale vesanus furiosus interceptus induitur, extremitates manicarum ligantur, et brachia cruciatim postrorsum versus ligantur, sicque libertas aegri coërcetur, et multi jam post tempus brevius pacatiores evadunt.

Contra symptoma unum molestum, clamorem nempe continuum, commendat Autenrieth personam (larvam) e corio forti confectam ita, ut aperturis pro oculis et naso relictis, motus maxillae inferioris coërceatur, quia tamen circulatione machinae ope impedita congestio sanguinis major in encephalon locum habet, ideo machina haec rarissime adhibetur, sed aeger sellae coërcenti imponitur, et in clamore relinquitur; si tamen clamor diutius duraverit, tunc cubiculo tenebricoso includatur, et facies linteo nigro obveletur.

§. 221.

In cura individuali vesaniae desumimus indicationem primam a causis excitantibus, ideo laesione capitis mechanica praesente non raro remedium chirurgicum morbum tollit; vesaniam a saburra dependentem evacuantia gastrica, subinde anthelminthica removent, infarctus abdominales saepe statum psychicum abnormem inducentes methodum solventem exigunt; dum animi affectus causam morbi constituunt, tunc cura psychica necessaria est, ita si vesania excitata fuerit per amorem infelicem, tunc ubi fieri potest, possessio objecti desiderati concedenda est; concessione tali haud admittenda, objectum affectus removeri debet. Si status morbosi diversi in organismo evoluti provocaverint

vesaniam symptomaticam vel antagonisticam, tunc natura morbi protopathici suggerit indicantia curae. Saepe accidit, ut causis excitantibus jam remotis vesania tamen perduret, tunc a causa proxima morbi, a statu dynamico-organico cerebri abnormi desumimus indicationem. Naturam quidem status illius abnormis definire haud valemus, saltem illud scimus, quod sustentetur per statum dynamicum abnormem totius organismi. Si attentionem nostram dirigimus in dispositionem aegri jam ante morbum sese manifestantem, in habitum corporis, in potentias nocentes, quibus expositus fuit, in evolutionem morbi, ac symptomata cuncta, tunc convincimur, causam proximam vesaniae in multis casibus consistere in processu inflammatorio, vel in processu ad eum accedente, in encephalo aut meningibus evoluto. Symptomata quidem encephalitidis aut meningitidis manifesta observantur tantum in mania acuta, sed etiam in vesania chronica turgor faciei, pulsatio carotidum major, vehementia singularis in actionibus hominis indicant congestionem et irritationem majorem in encephalo, atque in tali casu methodus anti-phlogistica est maxime indicata, princepsque remedium constituit sanguinis evacuatio jam universalis jam topica. Minime tamen hoc remedium contra omnem vesaniam proficuum est; Pinel et Esquirol conqueruntur, vesanos e nosocomio alio translatos rarissime curari potuisse, ob sanguinis evacuationes et purgantia dosi excessiva adhibita, qua methodo mania quidem furiosa sopita est, sed aegri inciderunt in fatuitatem, nulla amplius arte tollendam, ideo methodus anti-phlogistica cum circumspectione magna adhiberi debet. Procuretur aegro quies summa, irritamenta externa, ut lux, sonus, calor excessivus removeantur, cibus tantum tenuis et pro potu aqua simplex, decocta emollientia vel emulsiones tenues exhibeantur. Non raro utilia sunt etiam purgantia anti-phlogistica, inter quae maxime laudatur tartarus tartarisatus, nihil tamen specifici possidet, saepe sal amarus, sal mirabilis Glauberi, arcanum duplicatum eundem effectum salutarem praestant, saepe calomela virtute sua superat.

Contra hanc speciem vesaniae praeter remedia nunc laudata maxime proficua est applicatio frigoris, vel ope aëris frigidi, vel ope fomentorum frigidorum, quae capillis abscissis vel derasis applicantur cranio. Majorem adhuc virtutem exerit perfusio cum aqua, quae demittitur in caput aegri aut per cribrum, aut per tubulum jam tenuiorem jam crassiorem, ex altitudine diversa instar rivi ita, ut continuo in unam partem capitis defluat, vel perfusio instituitur integris amphoris, ut aqua defluat per totam superficiem corporis, quem in finem vesanus cado vacuo imponitur, furiosus loramentorum ope ligatur, et dein ex altitudine diversa defunduntur aquae amphorae plures, secundum Horn 20, 30 usque 80. Sed etiam hoc remedium heroicum caute adhiberi debet, observationes enim tristes docent, sub tali perfusione enatas fuisse convulsiones universales, et vesanias ad gradum altiorem increvisse.

§. 222.

Saepe nullus status inflammatorius detegi potest, vesaniam sustentans, tunc methodus anti-phlogistica inutilis et non raro noxia est, therapia casui individuali adaequata nonnisi per attentionem in omnia momenta morbi, et in effectus remediorum adhibitorum definiri potest. Saepe status dynamicus vesani talis est, ut gradu debilitatis valde exiguo praesente irritabilitas organismi sit morbose exaltata, unde congestiones et calores facile exoriuntur, in tali casu indicata sunt acida, et quidem saepe jam acida vegetabilia, ut acetum, jam utilitatem magnam praestant, saepe vesania per acetum solum, vel camphora junctum sanata fuit. Subinde effectum majorem exerunt acida mineralia. Dum vesania sustentatur per sensibilitatem potius exaltatam, tunc narcotica indicata sunt, Chiarugi et Ferriar laudant opium, Durand et Hufeland daturam stramonium, Coxe hyoscyamum, Marcet belladonnam, Perfect digitalem purpuream, recentiores acidum hydrocyanicum et aquam laurocerasi. Interim narcotica cautissime adhiberi debent, plurima excitant congestionem

sanguinis majorem in encephalon, ideo secundum observationes a Greding factas, in plurimis casibus nocent, tantum congestione sanguinis in caput nulla praesente, pervigilio molesto perdurante, possunt narcotica manu cauta exhiberi. Secus ad irritabilitatem et sensibilitatem morbosam imminuendam, gradu debilitatis majori haud praesente, utilissime adhibentur lotiones corporis frigidae et balnea frigida. Gradu debilitatis aliquo jam evoluto, lotiones frigidae minus conducunt, magis proficua sunt balnea tepida, per Pinel inprimis commendata. Interne autem exhibemus infusa e floribus chamomillae vulgaris, vel foliis aurantiorum, vel radice valerianae sylvestris; inprimis comprobata est virtus camphorae contra vesanias diversas; dum morbus sustentatur per hysteriasim aut hypochondriasim, tunc castoreum, asa foetida, subinde praeparata ammoniae et moschus utilia sunt, dum autem debilitas manifesta est in organis digestionis ac nutritionis, tunc saepe amara roborantia, tonica, martialia, cortex cinchonae indicata sunt, testaturque Esquirol, morbum gravem saepe sublatum fuisse usu corticis cinchonae.

§. 223.

In multis casibus remedia prioribus paragraphis laudata contra statum sthenicum aut asthenicum directa effectu desiderato destituuntur, et vesaniae potius sanantur per remedia antagonistica, quae applicantur jam tubo alimentari, ut emetica, tartarus emeticus, ipecacuanha, vitriolum zinci vel cupri dosi jam minori, ut tantum nauseam excitent, jam majori, ut emesim provocent, vel purgantia jam mitiora, ut sal amarus, arcanum duplicatum, sal mirabilis Glauberi, aqua Seidschützensis, Pilnauensis, jam fortiora, ut rheum, folia sennae, gratiola, jam drastica, ut aloë, helleborus, colocynthis, elaterium, scammonium, oleum crotonis tiglii, quae remedia saepe utilia, incaute adhibita inflammationem tubi alimentaris inducere et aegrum in summum vitae periculum conjicere valent. Saepe praestat, antagonistica remedia applicare cuti, sinapismos, emplastrum

cantharidum, emplastrum et unguentum antimoniale, quod ipsi capiti successu felici inunxerunt Horn et Müller. Simili ratione utilia fuerunt subinde ulcera artificialia: fonticuli, setacea, moxa, ferrum candens. Nonnunquam et mitiora remedia, ut electricitas, galvanismus et magnetismus animalis votis satisfecerunt.

§. 224.

Remedia physica contra morbos psychicos statui individuali adaptata in perficiendis curis efficaciam suam magnam comprobarunt, raro tamen sola sufficiunt, nisi simul remedia psychica adhibita fuerint, per quae sola saepe cura omnis morbi perficitur. In usu remediorum psychicorum principia therapeutica sequentia observari debent:

1mo. Objecta vesaniam alere valentia omni studio removeantur, si causae vesaniae fuerint discordiae domesticae, tunc personae ingratae, a vesano fanatico libri mystici et signa omnia mysticismi removeri debent.

2do. Nunquam tamen vesano aperte contradicendum est, argumentis enim rationis persuaderi non potest, contradictio provocat iram, quae vesaniam auget, propterea conamur evitare omnia, quae iram provocare valent;

3tio. Pars praecipua curae psychicae consistit in eo, ut attentio aegri ab objecto vesaniae abducatur, et in objecta alia dirigatur; ideo saepe ad morbum curandum peregrinatio utilis est; propterea plurimi ad gyrgatha deferri debent, in quibus occupatio continua partem curae praecipuam efficit; multi vesani otium amant, ad labores cogi debent; ideo in gyrgatho omni, ut cura vesanorum perfici possit, in laboribus quotidie exequendis ordo strictus observari debet. Incolae omnes gyrgathi hora quinta surgant, fortiores ipsimet capillos pectant, caput et cutim universam aqua frigida abluant, debilioribus concedimus aquam tepidam pro lotione et adjutorium famuli; fortiores et laboribus jam antea assueti ipsimet lectum suum componant et cubile scopent. Hora sexta matutina conveniant omnes, exceptis furiosis et immundis, ad refectorium, ubi minister religio-

nis admonitione brevi facta praedicat orationem succinctam et facultati intellectuali aegrorum accomodam; postea sumant cibum matutinum. Eodem tempore compareat medicus cum oeconomo domus, inspectore parabolanorum sexus utriusque, et relatione eorum exaudita distribuat labores singulo vesano congruos. Alii mittantur ad agros, alii ad hortos colendos, alii ad ligna findenda, alii ad labores diversos opificii sui perficiendos; mulieres vesanae mittantur ad labores sexui suo convenientes perficiendos, ut ad vestes lineas lavandas etc. Cultioribus tales labores haud perficere valentibus assignentur labores varii in cubili; delineatio, versio, descriptio etc. Ita exerceantur vires aegrorum diverso modo toto tempore antemeridiano, circa meridiem ad pulsum campanae iterum revertantur ad cubile commune, manibusque lotis assideant mensae, optime in societate medici et ministri religionis, ut eo magis decorum omne observetur. Cibi non sunt necessarii copiosi, sed bonae qualitatis et justae quantitatis, quare ad errorem evitandum aegris concedi non potest, ut quisque solus cibum sibi sumat. Post prandium una altera-ve hora transigatur in conversatione, in lusibus inprimis gymnasticis, ad quos pertinent etiam exercitia militaria, viris congrua, minime mulieribus. Refocillati dein accedant aegri iterum ad labores diversos, quos pro diversitate temporis continuant usque quintam, sextam-ve horam vespertinam, tunc domum reversi inter se conversentur, cultiores se et alios distrahant cantu vel musica, hora septima sumatur coena, atque hora nona decumbant omnes.

Principia haec therapeutica circa omnes vesanos observari debent, sed modificationes necessariae sunt pro diversitate vesaniarum, ideo earum species praecipuae adhuc considerationi subjici debent.

J. C. A. Heinroth, Anweisung für angehende Irrenärzte zu richtiger Behandlung ihrer Kranken. Leipzig. 1825.

J. Conolly, an inquiry, concerning the indications of insanity with suggestions for the better protection and cure of the insane. London. 1830.

MONOMANIA.

§. 225.

Monomania dicitur illa species vesaniae, in qua aeger tantum de uno objecto vel de una serie objectorum judicia erronea fert, et ideo etiam actiones insanas ponit, de objectis aliis cum illo delirii haud connexis judicat ita recte, ut ab aliis hominibus sanae mentis distingui haud possit. Sic Paulus Zachias refert de aegro, qui intrantibus in gyrgathum vesani singuli historiam ita accurate retulit, ut nullum prorsus signum laesae mentis ostenderet, donec ad unum devenisset, de quo dicebat: „Ille imaginatur se Spiritum Sanctum esse, cum tamen ego ille sim." Ab auctoribus non paucis species haec vesaniae vocatur melancholia, sed quia cum hac denominatione conjuncta est idea tristitiae, ideo Esquirol substituit nomen monomaniae; nam aegri plures hac specie vesaniae affecti minime tristes, sed potius jucundi sunt; ideo jam Lorry distinxit melancholiam tristem et jucundam.

Melancholia tristis vocatur etiam tristimania, lippeomania, athymia, et se manifestat per symptomata varia tam psychica quam somatica, aegri sunt tristes, nullius laetitiae capaces, habitum corporis habent utplurimum macilentum, colorem cutis pallidum, pallido-flavescentem, conqueruntur de molestiis digestionis et chylificationis, de gastralgia, enteralgia, ructibus, sputatione frequenti, alvo morosa, de noctibus inquietis, somniis terrificis perturbatis, sunt in animi affectus, inprimis in iram valde proni. Multi tales societatem hominum aliorum fugiunt, solitudinem quaerunt, ut suis ideis fixis magis inhaerere possint, vocatur misanthropia seu odium hominum. Aliqui eorum continuo eidem ideae inhaerent, motum corporis omnem vitant, continuo jacent vel sedent, et ad motum perficiendum nullo modo persuaderi possunt, vocatur melancholia fixa vel athy-

mia attonita. Alii e contra quiescere non possunt, sed locum continuo mutant, vocatur melancholia vagabunda, athymia errabunda. Multi tales melancholici licet tristes animo tamen sunt tranquilli, innocentes, meticulosi, nemini damnum inferunt. Sed dantur etiam melancholici malevoli, qui occulte cogitant diversa ad damnum aliis inferendum, jam excitant incendium, jam trucidant alios, ut exempla complura referunt Pinel et Gall. Dum tali monomania affecti sanitati restituuntur, memoriam retinent status maniaci praegressi, testanturque se continuo audivisse vocem „occide illum!" et licet longo tempore reluctati fuerint, tandem ad scelus perpetrandum coactos esse. Haec ipsa idea jam symptoma vesaniae fuit. Non raro tales melancholici vitae tedio correpti, sibi ipsis violentas manus inferunt, dicitur suicidium, misopsychia seu autochiria, perpetraturque vario modo; alii se enecant fame, alii se praecipitant ex alto, alii in puteum vel flumen saltant, alii se suspendunt, alii se sclopo, vel instrumentis scindentibus, pungentibus letaliter vulnerant, alii se veneno enecant, et propensionem morbosam ad suicidium tantam habent, ut etiamsi a mortis periculo liberentur, tamen post aliquot tempus iterum eandem speciem mortis sibi inferant. Frequentior fuit haec species monomaniae in Anglia, propterea vocatur melancholia Anglica, sed hodie ubique locorum occurrit.

Saepe aegri monomania affecti jucundi sunt, vocatur melancholia moria, stultitia hilaris, amenomonia, chaeraphrosyne, tales aegri nulla tristitia afficiuntur, continuo cantant, saltant, rident, se et dignitatibus magnis ornatos et opibus abundantes autumant, ideo cogitant de honoribus et opibus aliis distribuendis, de lusibus adornandis, aedificiis splendidis exstruendis; tales utplurimum bene dormiunt, appetitum cibi bonum habent, et ideo habitum corporis laetum exhibent.

§. 226.

Monomaniae tam tristes quam jucundae distinctae sunt pro diversitate objectorum, circa quae versantur, et pro diversitate causarum, per quas excitantur et sustentantur, unde etiam diversae species monomaniae adnotantur, et quidem:

Monomania chimaerica seu phantastica seu athymia phantastica, in qua aeger judicium erroneum fert de persona sua, de statu corporis sui, erroremque suum nullis argumentis rationis perspicit. Dantur vesani, qui putant se esse Creatorem mundi, Jesum Christum, Spiritum Sanctum, monarcham orbis terrarum; sic Wierius narrat de aegro, qui titulum ferebat sequentem: rex regum, dominus dominantium, J. Frank in gyrgatho Londinensi vidit aegrum, qui se appellavit archi-imperatorem, reliquos imperatores et reges consideravit ut suos proconsules, et continuo occupabatur chartis geographicis delineandis. Alii se putant reges, cardinales, miraculorum auctores. Sic Alexander Trallianus refert de una muliere, quae persuasa fuit, se totum orbem terrarum super digitum gerere, ideo verebatur digitum flectere, ne orbis totus corruat. Alii judicium erroneum ferunt de corpore suo, ita observati sunt aegri, qui se putabant corpus habere e butyro, ideo ignem et fornacem fugiebant ob timorem liquefactionis, alter putabat caput suum bibliis repletum. Alii putant, se in ventriculo et intestinis habere serpentes, ranas vel alia animalia. Alii existimant, se transmutatos esse in animalia, in gallinas, canes, feles, et non raro horum animalium clamores, latratus, ululatus imitantur, vocatur lycanthropia seu cynanthropia.

2do. Saepe monomania versatur circa repraesentationes erroneas de religione et cultu Dei, vocatur monomania religiosa, superstitiosa, cujus species est daemonomania, obsessio diabolica, dum aegri putant daemonem in corpore adesse; incantatio, fascinatio, morbi magici, dum aegri putant se habere commercium cum sagis ac spectris. Frequentissime tales melancho-

lici religiosi sunt tristissimi, continuo orant, flent propter peccata propria et aliorum; plures sunt pacati, innocui et valde humiles; ita J. Frank refert de uno, qui quotiescunque eidem offerebatur pulvis nicotianae vel sella, pectus percussit dicens: Domine, non sum dignus. Sed nonnulli sunt valde malevoli, ex fanatismo ut Deo complaceant homines trucidant, ut olim Diis immolarunt homines; exempla plura adnotavit Pinel; J. Frank refert historiam viri quadragenarii in nosocomio Viennensi, qui summe tristis affirmabat, se esse summum peccatorem, ideo Deum diu noctuque exorabat, ut quo citius subjiceretur poenis promeritis inferni; dum aliquando custos horis vespertinis per momentum aberat, aeger januam cubiculi clave intus locata clausit, et candelam ardentem lecto suo admovit, mox flammis circumdatus ejulabat: O me felicem, qui poenas promeritas luere possum. Quia janua admodum crassa, et fenestrae clatratae fuerunt, illico periculum averti haud potuit, jam incendium domui imminebat, foetor aegrum comburi testabatur, tunc centurio quidam ob vulnus brachii in eodem nosocomio degens advenit, et virtute herculea clatra revulsit, aeger semitostus furiosus e lecto prosiliit, aggrediens veluti furia liberatorem, sed vir fortis aegrum humi stravit, ab adstantibus dein comprehensus, sed usque ad ossa combustus post paucas horas exspiravit. Reil refert casum de sutore Italo, qui 1805 Venetiis semet ipsum cruci suffixit, interrogatus de causa, respondit, hominum superbiam castigari, et ad crucem terminari debere.

3tio. Non rara est monomania, quae excitatur per amorem nimium, vocatur erotomania, melancholia erotica, distinguiturque erotomania phantastica seu amor Platonicus, dum aeger continuo occupatur repraesentatione objecti amoris sui, sine desiderio coitus; cum aeger existimat, se vicissim amari, tunc est jucundus, in casu contrario est maxime tristis, desperatus, in utroque casu perpetrat actiones multas stultas. Distincta est erotomania physica, cujus symptoma praecipuum

est desiderium excessivum coitus, vocatur in viro satyriasis, quae connexa est cum erectione molesta, frequenti et diuturna penis, vocatur priapismus; in sexu sequiori dicitur haec species monomaniae nymphomania, quae connexa est cum stimulo veneris excessivo, ratione haud domabili, qui stimulus cogit ad frequentem contactum genitalium, ad frictionem, onaniam, et nisi curetur, pudicitia omni abjecta, aeger individuum qualecunque alterius sexus provocat ad coitum, non raro violentia illata cogit, et saepe per coitus celebratos non exstinguitur, imo increscit morbus.

Peculiaris species monomaniae est nostalgia, seu nostrasia seu nostomania, cujus symptoma praecipuum est desiderium nimium in patriam ad suos revertendi. Frequentius morbus hic observabatur inter Helvetios, qui e patria procul abducti fuerunt ad servitia militaria perficienda, sed etiam alios homines non raro invadit; ita homines pauperes ex Islandia in Daniam translati omnibus vitae necessitatibus abunde instructi in hanc speciem melancholiae gravissimam inciderunt, et occubuissent, nisi in patriam reducti fuissent. Idem observatum fuit de Brasiliensibus Viennam deductis et in aula Caesarea conservatis. Non raro hanc speciem melancholiae observamus, dum tempore belli incipientis tyrones violenter deducuntur ad campum honoris, pars eorum magna occumbit, antequam praelio interesse potest. Aegri tales successive amittunt somnum et appetitum cibi, tristes, anxii, inquieti evadunt, pallidi, macilenti angorem et lassitudinem magnam persentiunt, et in febrim hecticam incidunt.

§. 227.

Diversae species monomaniae producuntur per diversas causas: habent aliqui homines dispositionem peculiarem in unam speciem monomaniae, Pinel et Gall referunt exempla multa de pluribus membris ejusdem familiae eadem specie monomaniae correptis, Esquirol commemorat casum trium fratrum, in diversos vitae status positorum,

quorum unus incidit in melancholiam gravissimam, omni pietate fraterna, ei adstiterunt duo fratres, non obstante cura medica, autochiria impediri haud potuit, postea pluribus annis elapsis successive ambo fratres eodem morbo correpti eandem mortis speciem subiverunt. Dispositio in hunc morbum evolvitur per aetatem, raro observatur morbus aetate teneriori, aetate juvenili frequens est erotomania, melancholia tristis frequentissime tantum aetate virili provectiore occurrit, subinde constitutio atmosphaerae peculiaris generat dispositionem peculiarem ita, ut monomaniae epidemicae adnotatae sint.

Causae excitantes diversae adnotantur ab observatoribus, ut frigus, calor, aër corruptus, humidus, vaporibus diversis impraegnatus, error in diaeta commissus, venena narcotica cuti vel ventriculo applicita, motus corporis violentus vel otium, evacuationes profusae qualiscunque liquoris inquilini, inprimis succi genitalis, vel evacuationes habituales suppressae, subinde conceptio, graviditas, puerperium, adstrictio mentis nimia, animi affectus vehementes, subinde morbi alii, ut febres nervosae, febres intermittentes perniciosae, infarctus viscerum abdominalium, hypercinesia hypochondriaca et hysterica. Per influxum potentiae nocentis jam unius, jam plurium producitur in organismo status dynamicus abnormis, causam proximam morbi constituens; antiqui cum Hippocrate et Galeno assignant causam proximam esse atram bilem, recentiores post Pinel, Esquirol et Sprengel repetunt morbum a statu peculiari abnormi plexus solaris, quem ut cerebrum abdominale considerant, nam in monomaniis plurimis adest laesio functionum digestionis et chylificationis; monomania saepe sanatur per pharmaca in viscera abdominalia inprimis agentia, et Esquirol in multis melancholicis detexit situm abnormem intestini colon, quod ascendens non flectitur in regione hypochondriaca dextra versus sinistram horizontaliter transverse, sed plurimum diagonaliter decurrit versus regionem iliacam ad angulum acutum, imo subinde perpendiculariter descendit in cavum pelveos. Non ob-

stantibus his observationibus summa cum probabilitate asserimus, causam proximam monomaniae residere in statu peculiariter abnormi partis cujusdam cerebri, nam saepe in cavo abdominis nullus plane status abnormis detegi potest, in cavo vero cranii reperiuntur status abnormes diversi, et quidem docente Gall in multis monomaniis tantum una pars cerebri morbose affecta est.

§. 228.

Monomania semel evoluta relate ad typum jam continua continens, jam intermittens durationem habet diversam, non raro acutissima, saepe per septimanas, menses, imo et annos excurrens nanciscitur exitus diversos in sanitatem, morbum alium vel mortem. Non raro per solam autocratiam naturae deducitur in sanitatem, comparentibus simul evacuationibus criticis, quales sunt: evacuationes alvi atrae, sudor, urina, haemorrhagiae, furunculi vel efflorescentiae cutis variae. Exitu tali felici haud subsecuto, morbus evadit chronicus, per annos complures arti omni rebellis, metuimusque talem morbum, si dispositio congenita, haereditate acquisita, per vitium organicum sustentata, vel neglecta fuerit. Relate ad species ceteris paribus difficilius sanatur monomania superstitiosa. Subinde contingit transitus in alios morbos, et quidem dum melancholia transit in maniam furiosam universalem, tunc subinde exitum habet felicem, dum vero transit in fatuitatem, tunc prognosis est tristis, nam statum cerebri paralyticum evolutum esse indicat. Subinde transit in epilepsiam, tabem, febrim hecticam, paralysim, vel apoplexiam, qui tamen exitus fatales non raro averti possunt per therapiam rationalem.

§. 229.

Therapia varia contra monomaniam indicata est, pro diversitate momentorum causalium; non raro per statum dynamico-organicum inflammatorium vel inflammatorio proximum sustentatur morbus, et tunc methodus anti-phlogistica gradui intensitatis accommoda est utilissima; caute ta-

men incedendum est, ne per evacuationes sanguinis largiores pessumdentur vires ad resolutionem morbi necessariae. Saepe monomania sustentatur per infarctus abdominales, ideo saepe methodus solvens maxime salutaris est, saepe sola aqua simplex dosi successive aucta, saepe acidulae, inprimis blandiores alcalinae tam naturales quam artificiales, saepe fructus maturi substantiam saccharinam continentes, ut cerasa, persica, pruna, botri dulces, saepe succi herbarum recentes, ut taraxaci, cerefolii, cichorei, fumariae, vel extracta earumdem; saepe sales medii purgantes, et tartarus emeticus dosi minori exhibiti solventia sunt praestantissima. Minime tamen cedit monomania omnis remediis nunc laudatis, dum provocatur per status abnormes alios, ut profluvia nimia, vel retentiones nimias, vel per morbos alios, inprimis efflorescentias cutaneas evanidas, vel per cachexias diversas, ut syphilidem, tunc therapia pro diversitate horum momentorum modificanda est. Subinde non detegimus aliam causam morbi, quam debilitatem in organis digestionis, chylificationis et reproductionis, tunc methodus roborans indicata est.

§. 230.

Raro perficitur cura morbi per sola remedia physica, nisi simul adhibita fuerint psychica, quae saepe sola curam omnem absolvunt. Ut potentiae nocentes psychicae evitentur, saepe necesse est aegrum a circumstantiis suis consuetis separare, excepta unica specie monomaniae, nempe nostalgiae, in qua, nisi spes excitata fuerit, ad suos revertendi, aeger interit. In reliquis speciebus monomaniae ad curam perficiendam multum confert peregrinatio aut translatio in gyrgathum bene coordinatum. In omni casu princeps cura psychica in eo versatur, ut vesanus ab objecto vesaniae suae avocetur, propterea necessariae sunt occupationes continuae, labores mechanici, exercitia gymnastica; subinde ad repraesentationem erroneam delendam dolus necessarius est. Sic narrat Boerhave de aegro vesano, qui metuebat urinam mittere, ne diluvium exoriatur, post-

quam longo tempore monita omnia inutilia fuissent, adornavit, ut multi homines ad cubile aegri accurrerent desperati, ejulantes de incendio magno, urbi interitum minante ob defectum aquae; tunc medicus jussit, ut urinam mittat ad exstinguendum incendium, et sanatus est. Swieten conservavit casum aegri eruditi, qui continuo ad fornacem jacuit, metuens ne crura vitrea frangantur, tandem ancilla vesaniae heri pertaesa, dum ad fornacem ligna adferret, ea rudius projecit, ut crura laederet, tunc in iram conjectus, exiliit e lecto, et sanatus exstitit.

Symptoma saepe molestum in monomania est, dum aegri ad cibum sumendum persuaderi non possunt. Subinde perfusio capitis aqua frigida, subinde impositio aegri in lectum, vel sellam coërcentem, vel applicatio tunicae coërcentis voluntatem ejus frangunt, et si sola coarctatio libertatis argumentum haud sit sufficiens, tunc nares comprimantur, et ori aperto cibus infundatur. Talis tamen vis saepe adhiberi non potest, nam per iram excitatam morbum exasperat, ideo etiam contra hoc symptoma remedia psychica sunt praestantiora. Pinel conservavit historiam clerici, qui videns, sub revolutione Gallica altaria spoliari et ministros religionis impie tractari, in melancholiam incidit, et se fame enecare voluit, tunc ex ordinatione inspector gyrgathi cum famulis multis nigro vestitu indutis et cornubus instructis sub forma diaboli strepitu magno cum catenis facto accedit cellam clerici, et illi annunciat, nisi comederit cibum adlatum, per diabolum ad infernum deferendum esse, tunc clericus territus cibum sapide comedit et convaluit. Perfect refert historiam juvenis Angli, qui in melancholia gravissima putabat se mortuum esse, ideo nullum cibum sumere voluit, tunc medicus plures amicos aegri persuasit, ut in vicino cubili in tumbas allatas vestitu albo induti decumberent, signo dato per campanam, porta aperta, mortui e tumbis se elevarunt, et mensae cibis repletae assidebant, sapideque comederunt; obstupuit vesanus et interrogavit, qualesnam homines essent, et cum affirmatum fuisset, mortuos comedere, tunc ipse quoque surrexit et comedit. Hic

aegra in summam melancholiam conjecta conatus varios adhibuit sibi vitam adimendi, occasione omni impedita, se fame enecare voluit, nihilque sumsit praeter medicinam e pharmacopoea allatam, tunc decoctum saturatum e pedibus vitulinis in pharmacopoea paratum est, quo pharmaco diligenter sumto convaluit. Non raro monomania transit in maniam universalem.

MANIA UNIVERSALIS.

§. 231.

Mania vocatur etiam furor, delirium maniacum, insania furiosa, est illa species vesaniae, in qua facultates intellectuales ita perturbatae sunt, ut aeger de plurimis objectis repraesentationes habeat erroneas, judicia ferat erronea, falsa, et simul cum delirio hocce voluntas ejus ita perversa sit, ut influxu rationis sanae liberae penitus sublato, per solos animi affectus incitetur ad actiones violentas, quae tendunt ad destructionem aliorum corporum, aliorum hominum, vel suimet ipsius. Frequentissime eruptionem maniae praecedunt prodroma, rarissimi sunt casus morbi in homine apparenter sano subito evoluti, qualem adnotavit Neumann de auriga, qui nullis plane aegritudinis signis datis animo pacatissimo adjuvante uxore currum suum pro itinere suscipiendo oneravit, equos injunxit, dum currum conscenderet, quin abiret, incepit inter clamores violentos scutica sua saevire in omnes, maniaque evoluta est longo tempore durans. Apud plurimos jam breviori, jam longiori tempore observantur symptomata, quae indicant congestionem sanguinis majorem in encephalon, aeger conqueritur de capitis calore, dolore, de oculorum aurium-ve sensibilitate majori, observatur turgor et rubor major faciei, defectus somni, vel somnus inquietus, insomniis terrificis turbatus, propensio major in animi affectus, inprimis in iram. His praegressis comparet subito insultus maniacus, in quo aeger vociferatur, in motu vehementi

constitutus putat se circumdari et persequi ab inimicis, ad animalibus rapacibus vel diabolis, actiones perficit violentas, omnia destruit, vestes dislacerat, homines alios laedere, imo occidere conatur. In tali statu furioso sensus coenaesthesis obtusus est, frigus aeger non sentit, corpus suum denudat, nec fami vel siti torquetur, pauci voraces omnia ori ingerunt. Cutis est sicca et calida, facies rubra, bulbi oculorum prominentes, cum conjunctivis sanguine suffusis, nec tamen semper, nam mania longiori tempore excurrente facies redditur pallida, quia sanguis omnis congeritur inprimis in cerebro; excretiones alvi et urinae sunt suppressae, evacuationes autem contingunt sine ullo respectu loci. Mania ita evoluta subinde est brevissima, ut exemplum memorabile refert Heim de viro culto, amico suo, qui priori die adhuc jucundus in societate constitutus, vesperi sanus decubuit, sub mesonoctio exiliit e lecto, et conjugem, quam dilexit, per crines arripuit, versus fenestram traxit, ut dejiceret; ea restitit, clamores excitavit, famulus accurrens tentavit auxilium ferre, sed per herum verberatus aufugit, et advocavit medicum Heim, qui cum pluribus viris adveniens, invenit aegrum in furore jam ultra duas horas cum uxore luctantem; aeger ligatus in lectum deponebatur, vena inscindebatur et sanguinis evacuatione largiori instituta quies aliqualis procurabatur, tunc emeticum exhibebatur, vomituque largo subsecuto aeger obdormiit, et post plures horas e somno profundo evigilavit, nullam memoriam habens status furiosi. Heim recidivam metuens, nonnisi duobus annis post morbum evolutis, quin symptoma ejus ullum reversum fuisset, historiam promulgavit. Tales tamen maniae rariores sunt, longe frequentius morbus excurrit per septimanas, imo menses complures, typumque habet, dum acuta est mania, continui continentis, secus remittens et non raro intermittens est, occurruntque maniae periodicae tertianae, quartanae, menstruae, annuae. In tali mania periodica, animadvertente Pinel, persentit aeger per plures dies sensum doloris, ardoris in regione epigastrica, postea comparet sensus doloris in ca-

pite cum anxietate et inquietudine peculiari, ut per observatorem attentum jam insultus imminens praedici possit.

§. 232.

Symptomata morbi tam manifesta sunt, ut maniam praesentem quisque facile cognoscere possit, natura tamen ejus obscura erit, nisi causae simul individuales erutae fuerint. Aliqui homines dispositionem peculiarem habent ad maniam, sexus virilis frequentius hac specie vesaniae corripitur, licet furiosae mulieres haud desint; ab anno aetatis vigesimo quinto usque quinquagesimum mania frequentior est, licet subinde et juniores et seniores potentiis vehementioribus et diutius expositi hoc morbo corripiantur. Causae excitantes variae referuntur ab observatoribus, subinde *frigus* intensum, frequentius calor excessivus, ideo mania saepius observatur in regionibus calidis; excitatur etiam per potus spirituosos excessivos, inprimis per crematum, formaque propria occurrit, et vocatur delirium tremens vel insania potatorum; subinde narcotica, evacuationes habituales suppressae, tempore puerperii suppressio lactis vel lochiorum, subinde morbi alii, inprimis cutis evanidi, animi affectus vehementes, ut terror, ambitio, superbia laesa, inprimis ira maniam excitant.

§. 233.

Exitus maniae diversi sunt, inter omnes tamen species vesaniae frequentissime sanatur, qui exitus felix non raro per solam autocratiam naturae adducitur, crisibus tunc salutaribus observatis per sudorem, haemorrhagiam, urinam, alvum, subinde per furunculos, psydracias, herpetem, possumusque exitum talem cum probabilitate exspectare, dum dispositione congenita absente morbus recens, inprimis per causas somaticas excitatus est, secus enim prognosis est dubia, morbus evadit chronicus, saepe transit in monomaniam, vel in fatuitatem fatalem; non raro evolvuntur morbi somatici, epilepsia, tabes, febris hecti-

ca, phthisis pulmonalis ita, ut phaenomena maniae dispareant, non raro tamen et morbus somaticus, et psychicus simul perdurant, donec aegrum enecant. Non pauci apoplectice subito exspirant, tales antea summe furiosi subito evadunt pacati, se componunt in lecto, nihil loquuntur, incidunt in somnum, et moriuntur. In cadavere reperiuntur diversa phaenomena, inprimis talia, quae indicant statum dynamico-organicum abnormem encephali et meningum ejus, cui juncta sunt non raro etiam vitia viscerum cavo pectoris et abdominis inclusorum, quorum statum dynamico-organicum conamur in aegro singulo definire, ut therapiam congruam adornare valeamus.

§. 234.

Maniacus omnis curae subjici debet etiam propter securitatem publicam, et saepe prodromis observatis per curam prophylacticam insultus eruptio impediri potest. Indicationem curae primam desumimus a causis excitantibus, iis remotis a statu dynamico organico abnormi, maniam sustentante; status ille consistit in congestione majori sanguinis ad encephalon ita, ut sub prodromis metus justus sit vel encephalitidis, vel insultus maniaci; in tali casu omnia congestionem majorem in encephalon producere valentia, ut motus corporis, labor, animi affectus removeri debent. Sit aeger in loco tranquillo, moderate frigido, magis obscurato, cibis utatur tantum paucis et blandissimis, pro potu aqua sola, vel decoctis emollientibus cum acidis vegetabilibus, iisque haud sufficientibus in usum vocamus purgantia mitiora, sanguinis evacuationem, subinde universalem, saepius topicam, atque per hanc methodum non raro evolutionem maniae impedimus.

Sed saepe auxilium nostrum expetitur, dum aeger jam insultu maniaco correptus est, atque tunc curam eo dirigimus, ut aegrum coërceamus, ne sibi et aliis nocere possit, conditione loci favente et vigilibus sufficientibus praesentibus relinquimus maniacum liberum, donec per clamores intensos defatigatus sponte sua quietus evaserit. In defectu

conditionis loci et servitii necessarii maniacus coërceri debet vel per tunicam, vel sellam coërcentem, semper tamen methodus rudior evitanda est, ne iram provocando morbus exasperetur. Postquam libertate restricta furor aegri remisit, conamur modo humano ac mansueto confidentiam ejus lucrari, ideo jubemus vincula omnia solvere, sed caute, ut aeger semper sub custodia constitutus sit, saepe enim furor cito revertitur, et tunc aeger iterum coërceri debet. Dum haec coordinamus, excipimus historiam brevem morbi, attentionem dirigimus in omnia symptomata ejus, ut naturam individualem definire valeamus. Saepe maniae etiam chronicae causa proxima est status dynamico-organicus in encephalo aut ejus meningibus residens, si non inflammatorius, saltem ad eum accedens, atque tunc methodus antiphlogistica est indicata, non raro per solas sanguinis evacuationes ab omni aevo commendatas mania sanata est, excessive tamen adhibitae, admonentibus inprimis Pinel et Esquirol, morbum incurabilem reddunt. Alterum remedium princeps possidemus in aqua frigida; subinde lotiones solae, frequentius tamen perfusiones cum aqua frigida indicatae sunt; maniacus denudatus cado imponitur, ex altitudine majori aqua frigida amphoris decem usque sexaginta capiti infunditur, plurimi ita pacati redduntur, ut vinculis solutis lecto imponi possint, et non pauci solo hoc remedio sanantur. Sed nec hoc remedium universale est contra omnem maniam proficuum, imo testantibus Pinel et Esquirol perfusio cum aqua frigida multis aegris noxia fuit.

§. 235.

Status dynamico-organicus systematis nervosi causam proximam morbi constituens saepe peculiaris est, remedia etiam peculiaria tantum per observationem definienda exposcens. Saepe balneum tepidum utilissime adhibetur, functione cutis magis restituta inquietudo et pervigilium saepe tolluntur. Non raro narcotica remedia utilia fuerunt, subinde belladonna, cicuta, stramonium, digitalis purpurea, acidum

hydrocyanicum; opium inprimis contra delirium tremens laudatur, quae tamen pharmaca summa cum cautela adhibenda sunt. Subinde ad morbum sanandum successu felici adhibebantur valeriana, camphora, liquores aetherei, castoreum, moschus. Saepe tamen remedia haec inutilia, imo noxia sunt, utilitatem majorem praestant remedia antagonistica, saepe emetica dosi minori exhibita, ut tantum nauseam excitent, saepe dosi plena praescripta, ut emesim provocent; tunc remedium prodest non per saburrae evacuationem, sed per irritationem ventriculi ac plexus solaris, sic enim imminuitur irritatio encephali; praescribimus: tartari emetici granum unum, amyli puri scrupulum unum, omni media hora unum pulverem, donec emesis bina secuta fuisset. Si post decem pulveres emesis nulla locum habet, ab ulteriori applicatione remedii abstinemus, cujus usum praeter gastro-enteritidem contra-indicat etiam dispositio apoplectica, congestio sanguinis major in encephalon, tunc praestat scopo antagonistico purgantia exhibere. Antiqui maxime laudant helleborum, et hodie utilem. Saepe tamen purgantia alia virtutem exerunt majorem, ita Pinel maxime commendat salis amari unciam unam in decocti cichorei libra una, Vering maxime laudat tartarum tartarisatum in decocto taraxaci. Multi observatores maxime commendant calomelam, non raro profuit senna, aloë, colocynthis, scammonium, elaterium et oleum crotonis tiglii. Saepe effectum salutarem exerunt antagonistica cuti applicita, epispastica, fonticuli, setacea, emplastrum et unguentum antimoniale, moxa et ferrum candens, et saepe mania acuta per sola remedia physica feliciter sanatur. Ad maniam chronicam curandam simul psychica remedia sunt necessaria, maniacus considerari debet ut puer ratione destitutus, cui necessaria est educatio moralis, quantum fieri potest optima; furia sopita omnimode cogi debet aeger ad observandum ordinem, munditiem et ad labores initio quidem tantum mechanicos, sed deinde etiam pro gradu culturae ad labores intellectuales perficiendos. Quamprimum aeger incipit amorem habere in labores, ordinem, munditiem, me-

